Martin Connally to
Oct 28 " 1870

237
B

n.2.7.4

# INSTITUTIONES
# THEOLOGICÆ
## AD USUM SEMINARIORUM

---

TOMUS VI

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR

Besançon. — Imprimerie d'Outhenin-Chalandre fils.

# INSTITUTIONES

# THEOLOGICÆ

## AD USUM SEMINARIORUM

**AUCTORE J. B. BOUVIER**

EPISCOPO CENOMANENSI

---

DUODECIMA EDITIO

PROMOVENTE ET APPROBANTE ILL. AC REV. DD. C. FILLION

APUD SEMINARIUM CENOMANENSE REVISA ET EMENDATA

---

TOMUS SEXTUS

**DE JURE, INJURIA ET RESTITUTIONE.— DE CONTRACTIBUS. DE CENSURIS. — DE IRREGULARITATIBUS. APPENDIX. — INDEX RERUM MEMORABILIUM.**

Property of CLgA Please return to Graduate Theological Union Library

ALMA COLLEGE 208.9 LIBRARY B669 Alma, California

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

PARISIIS

APUD MEQUIGNON JUNIOREM

NUNC A. JOUBY, SUCCESSOREM

Facultatis theologiæ bibliopolam

VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM, 7

M DCCC LXV

796

Property of
CLaA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

INSTITUTIONES

# THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

## TRACTATUS

DE

## JURE, INJURIA ET RESTITUTIONE.

I. Definitur justitia. — Justitia aliquando sumitur pro complexione omnium virtutum, ut cum Christus dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, Matth. v, 6; sed prout est virtus specialis definitur : *Virtus moralis, constanter inclinans voluntantem ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.*

1° Dicitur *virtus;* nam virtus in genere est habitus qui reddit hominem et illius opus bonum; at justitia reddit hominem illiusque opus bonum : ergo est virtus.

2° Dicitur *moralis;* illa enim virtus est moralis, quæ non habet Deum pro objecto immediato, sed ad mores spectat; justitia autem Deum non habet, etc. : ergo.

3° Dicitur *constanter inclinans* quia virtus justitiæ non consistit in aliquo particulari actu, aut in quibusdam tantum actibus particularibus, sed in firmo et constanti proposito alteri, etc...

4° Dicitur *inclinans voluntatem*, quia non pertinet ad intellectum qui solummodo veritatem percipit, nec ad me-

moriam quæ præterita recordatur, sed ad voluntatem quam perficit, et cujus est actus simul et habitus.

5° Dicitur *ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem*, per illa verba justitia differt tum ab aliis virtutibus moralibus, v. g. a temperantia, a prudentia quæ *ad alterum* hominem non ordinant sed ad seipsum ; tum a virtute religionis qua Deo jus suum reddimus, sed non ad æqualitatem.

II. Dividitur justitia. — Justitia sic generaliter sumpta, dividitur in justitiam legalem, distributivam, commutativam et vindicativam.

1° Justitia *legalis* est illa quæ hominem relative ad principem vel ad rempublicam, velut partem ad totum, ordinat, et definiri potest : *Virtus qua quis reddit reipublicæ cujus est pars, vel principi cujus est subditus, quod ipsis debitum est, nempe obediendo legibus et bonum publicum procurando.*

2° Justitia *distributiva* ea est quæ rempublicam vel principem aut ejus ministros ordinat ad cives, velut totum ad partes, et definiri potest : *Virtus qua reipublicæ locum tenens, bono et onera communia civibus, juxta uniuscujusque merita, dignitates, vires ac facultates distribuit :* unde non æqualitatem rei ad rem, sed proportionem rerum ad personas, seu ad personarum merita, dignitatem, conditionem et facultatem spectat.

3° Justitia *commutativa* ea est quæ hominem ad hominem tanquam partem ad partem ordinat, et definiri potest : *Virtus inclinans hominem ad reddendum proximo quod ipsi stricto jure debitum est, servando perfectam æqualitatem rei ad rem*, scilicet pretii ad merces, restitutionis ad damnum, nulla ratione habita meriti, dignitatis vel facultatis, v. g., ut ille cui centum debentur nummi, eos obtineat. Dicitur *commutativa*, quia commutationes et contractus dirigit.

4° Justitia *vindicativa* est ea qua superior reum pro culpa, ad servandum et procurandum bonum publicum, plectit.

5° Divitur iterum justitia in *justitiam strictam* et in

*justitiam minus strictam* seu *latam*. Justitia *stricta* debentem non tantum stricte obligat, sed etiam alteri jus exigendi reparationem confert; et ideo non potest violari quin restituendi onus sequatur. Altera autem justitia *minus stricta* debentis quidem conscientiam ligat sed alteri non confert jus exigendi. Sic pauperi non stricte debetur eleemosyna, et magis tenetur dives erga Deum quam erga pauperem. Sed notandum est inter justitiam *strictam* et justitiam *commutativam* vix ab auctoribus distingui; justitia enim commutativa ad sensum justitiæ strictæ ordinarie extenditur; et justitia stricta ipsa sumitur secundum rigorem justitiæ commutativæ, quæ tanquam justitiæ strictæ norma habetur.

Cujuslibet supradictæ justitiæ violatio de genere suo est peccatum mortale; graviter enim rectæ rationi et bono ordini repugnat, ut omnibus aperte videtur. At solius justitiæ strictæ violatio obligationem restituendi inducit, ut postea expendemus.

III. Dividitur tractatus. — Objectum justitiæ est ipsum jus observandum; justus enim dicitur qui jus custodit: vult igitur justitia jura omnia custodiri, ea violari prohibet, et violata jubet reparari. Hinc præsentem tractatum in tres partes dividimus: 1ª erit de jure et principiis generalibus juris; 2ª de injuria et restitutione in genere; 3ª de injuria et restitutione in specie.

---

# PARS PRIMA.

## DE JURE ET PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS.

I. Juris definitio et divisio. — Duplici potissimum sensu jus accipitur: nempe pro lege: sic dicitur jus naturale, jus positivum divinum, jus humanum; pro fa-

cultate quam quis ad rem aliquam possidendam habet, et sic acceptum definiri potest : *Legitima potestas aliquid faciendi, possidendi et obtinendi, cujus violatio ad restitutionem vel ad satisfactionem obligat.*

1° Dicitur *legitima*, id est lege concessa aut legi conformis, et justo innixa titulo.

2° Dicitur *aliquid faciendi, possidendi, aut obtinendi;* et illa verba exprimunt quidquid objectum juris esse potest : concipitur enim jus exerceri posse vel in proprias actiones, et est potestas aliquid faciendi; vel in res acquisitas, et est potestas possidendi; vel in res acquirendas, et est potestas aliquid obtinendi.

3° Dicitur *cujus violatio ad restitutionem...* quæ verba exprimunt obligationem ex jure consequentem; vanum enim esset et illusorium jus unius, nisi correlativa esset alterius obligatio. Distinguitur insuper his verbis jus strictum a jure minus stricto et imperfecto cujus violatio, licet non fiat absque peccato, absque obligatione restituendi fieri potest.

Jus ita acceptum dividitur in jus ad rem et in jus in re. Jus ad rem legitima est potestas quam quis habet ut res aliqua fiat sua; dat actionem in personam, non autem in rem ipsam, id est, efficit ut persona ante judicem citari, non vero ut res ante sententiam occupari possit. — Jus in re est legitima potestas quam quis habet in re aliqua jam sibi acquisita, et est ipsummet dominium.

II. Hujus partis distributio. — De jure in posteriori sensu intellecto nobis agendum est in hac prima parte quam in quinque capita distribuemus. In 1° quædam videbimus de dominio in genere, in 2° quodnam sit dominii subjectum; in 3° quodnam sit ejus objectum; in 4° quibus modis acquiratur; quintum addemus de præcipuis dominii speciebus.

# CAPUT PRIMUM.

## DE DOMINIO IN GENERE.

Dicetur de dominii natura, origine et legitimitate.

I. De dominii natura. — Dominium seu ipsa proprietas est jus de re aliqua disponendi tanquam sua, nisi usus illius lege aut pacto prohibeatur. Tria complectitur, nempe : — a) rei fruitionem, id est, jus faciendi quod necesse est ad percipiendum rei utilitatem; — b) dispositionem, quod est jus de re propria quidquid libuerit faciendi, scilicet alienandi, dandi, vel consumendi; — c) exclusionem, id est jus alios excludendi a fruitione rei vel ab usu quocumque. Addunt aliquando jus abutendi, sed per hæc verba aliud significare non intendunt quam plenam et perfectam rei suæ proprietatem, et potentiam quæ non limitatur nisi a lege vel alterius jure.

Dominium dividitur in perfectum et imperfectum. Dominium perfectum est jus de re sua et de omnibus ejus commodis, usu, usufructu disponendi. Dominium imperfectum est jus disponendi de re sola, aut de solis ejus commodis; et ideo dividitur in directum et indirectum. Directum est illud quo sola habetur rei proprietas; indirectum est illud quo sola habentur rei commoda, ut fructus, et vocatur dominium utile.

Communiter, sed non satis recte, olim dividebant dominium in dominium *humile* et dominium *altum*. Dominium *humile* illud est quod supra definitum est. Dominium *altum* est jus quod habet princeps vel respublica de bonis privatorum pro bono publico disponendi. At, juxta omnes, non potest princeps de bonis subditorum disponere nisi in omnium commodum, et data convenienti compensatione; ergo a dominio seu proprietate distinguitur jus illud, et ad jus jurisdictionis revocari expedit.

II. De origine dominii.— Dominium seu proprietas incœpit esse inter homines cum divisa sunt terra et bona terrestria. Certum est enim in prima rerum origine omnia bona fuisse communia, et terram Adamo et ejus posteris absque ulla divisione datam esse a Deo. Hæc primæva communitas dicitur negativa, quia nec jus aliquod acquisitum supponit, nec proprietatem individualem excludit. Bonorum divisio et exclusiva proprietas inducta est prout homines multiplicabantur, et bonis variis indigebant. Ex Scriptura sacra constat quamdam bonorum divisionem etiam primis temporibus extitisse, ita ut bona unius non essent bona alterius. Sic Abel dicitur obtulisse munera de primogenitis *gregis sui*, Gen. iv, 4. Forsan jam inter duos fratres erat quædam terræ divisio; siquidem fuit Abel pastor ovium et Cain agricola. Sed aperte declarat Scriptura quod *in diebus Phaleg. divisa est terra.* Gen. x, 25.

Quærere solent theologi quo modo qualive auctoritate facta fuerit bonorum divisio; an facto hominum res nondum occupatas apprehendentium; an conventione expressa aut tacita, ut videmus de Abraham et Lot, quamdiu terra ante eos fuerit aperta et spatiosa; an auctoritate paterna, aut etiam, saltem post primæva tempora, auctoritate legum et principum, nihil omnino constat. Valde probabile est his omnibus modis terram fuisse occupatam, et hanc divisionem fuisse tempore vel lege sancitam. Sed certum est ab antiquiore tempore bonorum divisionem et individualem proprietatem fuisse apud omnes gentes receptam.

III. De legitimitate dominii.— Legitimam esse constat proprietatem individuam Scriptura sacra, omnium consensu ac ratione.

1° *Scriptura sacra.* Frequenter enim divisionem bonorum, et individuam proprietatem supponit Scriptura, ut, v. g., quando loquitur de divisione inter Abraham et Lot effecta, de patriarchis multas possessiones habentibus, necnon de quotidianis inter homines emptionibus, donationibus et commutationibus, et ea referens nunquam

improbat; quin imò, tum in Veteri, tum in Novo Testamento debita solvere cuique præcipitur, a furto abstinere, pupillis et egenis eleemosynas erogare; porrò hæc omnia supponunt proprietatis jura inter homines vigere, et uti legitima haberi.

2° *Omnium censensione.* Ubique enim existit privata proprietas, ubique observatur, ubique certis legibus regitur, sancitur, et contra injustos invasores defenditur, ubique fures plectuntur pœnis, et neminem præterit quod hic universalis usus naturæ humanæ sit insitus ac proinde legitimus reputandus.

3° *Ratione.* Experientia constat proprietatem privatam et bonorum divisionem fuisse non tantum sapientem sed et necessariam; si enim Abrahàm et Lot communiter habitare nequiverunt eo quod eorum substantia multa esset et quasi indivisa, quid inter alios minus pios futurum fuisset? Quot bella dum unusquisque rem communem, ea utendo, suam facere voluisset! Aliunde agri remansissent inculti; si enim homo, tardus ad laborem, non raro propria negligit, quanto magis communia neglexisset! Hinc procul rejicienda sunt systemata *J.-J. Rousseau,* et eorum qui dicuntur *Saint-Simoniens, Communistes,* quibus quandoque ipsi etiam incaute favent quorum magis interest societatum conservatio et securitas.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### QUODNAM SIT DOMINII SUBJECTUM, SEU QUINAM DOMINII SINT CAPACES.

Certum est omnem et solum hominem dominii proprie dicti esse capacem; omnis enim homo natura sua est intelligens ad disponendum, et solus corporalis ad utendum vel fruendum : porro dominium non concipitur nisi prout utile est et in usum domini cedit.

Moveri tamen potest dubium de quibusdam hominum conditionibus, nempe de parvulis et amentibus, de filiis familias, de uxoribus et de clericis : de his in sequentibus articulis dicemus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE PARVULIS ET AMENTIBUS.

#### PROPOSITIO.

*Parvuli et amentes dominii sunt capaces.*

*Prob.* 1° *Scrip. sacra.* Gal. IV, 1 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium :* ergo parvuli declarantur bonorum domini : eadem est ratio pro amentibus : ergo dominii sunt capaces.

2° *Ratione.* — a) Si parvuli et amentes dominii non essent capaces, bona eorum pertinerent vel ad rempublicam, vel ad curatores aut tutores ; at duo posteriora dici nequeunt : ergo. — b) Si dominii non essent capaces, maxime quia usum rationis non habent ; at usus rationis necessarius est quidem ad disponendum de bonis, non vero ad ea possidenda, seu ad dominium habituale ; sic omnes judicant.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE FILIISFAMILIAS.

I. QUINAM SINT FILIIFAMILIAS. — Nomine filiorum familias ii intelliguntur qui sub potestate patris vel matris, vel tutoris vivunt, bonis familiæ nondum divisis. Ex novo Codice, qui inter filios familias nondum adepti sunt vigesimum et primum annum vocantur *minores ;* post autem vigesimum et primum annum fiunt *majores.* Majores omnes actus vitæ civilis exercere possunt, præter

ea quæ ad matrimonium pertinent, et in bona sua jura perfecta habent; at minorum jura multum a lege restringuntur.

II. Quænam sint jura minorum et quomodo a lege restringuntur. — 1° Certum est filios familias nullorum bonorum suorum administrationem habere ante suam majoritatem vel emancipationem. Sunt autem majores anno vigesimo primo completo; emancipari possunt a patre vel a matre, anno decimo quinto; ab alio tutore, anno decimo octavo.

2° Minores habent dominium et commoda (*jouissance*) bonorum quæ per industriam separatam acquirunt, aut quæ ipsis dantur vel legantur sub expressa conditione quod nec pater nec mater illis fruantur : id expresse statuitur in Codice civili, art. 387. Ad eamdem speciem revocantur bona provenientia ex successione ablata parentibus tanquam indignis (*Cod. civ. art.* 730), vel *majoratum* componentia.

3° Pariter minores qui patrem et matrem amiserunt, vel patrem tantum, si mater propter novum matrimonium usufructu suo privetur (*Cod. civ. art.* 386), omnium bonorum suorum dominium et commoda habent, et tutor omnes fructus illis reddere tenebitur, tantummodo expensas educationis et administrationis deducendo.

4° His exceptis, omnibus bonis filiorum suorum fruuntur parentes usque dum isti decimum octavum annum attigerint vel emancipentur, et quidem pater solus, durante matrimonio (art. 384), et pater aut mater dissoluto matrimonio; nec fruitionem amittunt etiamsi tutelam non exercerent aut ea privarentur; sed semper requiritur ut pater vel mater procuret fieri æstimationem (*inventaire*) bonorum conjugis defuncti. (*Cod. civ. art.* 1442.) Excipienda sunt bona de quibus supra in n° 2°.

Pater autem aut mater dominium utile non habet in bona filiorum naturalium vel spuriorum. Sic *Delvincourt*, t. I, p. 100 et 459, et *Toullier*, t. II, p. 302.

III. Quæstiones practicæ. — *Quæritur* 1° utrum filius

familias perfectum habeat dominium in bona a parentibus sibi data.

*R.* 1° Perfectum habet dominium in ea quæ primo usu consumptibilia sunt, ut, v. g., alimenta, de illis, juxta omnes, pro nutu valide disponere potest.

*R.* 2° Filius familias non perfectum, sed utile tantum habet dominium in bona a parentibus sibi data, quando usu primo non consumuntur, ut sunt vestimenta, libri, etc.; parentes enim improbare solent dispositiones quas filii familias de hujusmodi bonis, ipsis inconsultis, faciunt : ergo. Hæc itaque bona filii familias donare, vendere aut mutare non possunt absque consensu parentum, saltem rationabiliter præsumpto.

*R.* 3° Quando agitur de pecunia quæ aliquo modo primo usu consumitur, videndum quænam fuerit parentum voluntas. Si enim accepisset ad emendos libros, ad pensionem solvendam, dominium in eam proprie non haberet, et ideo onus restituendi incurreret, si eam in alium finem impenderet.

*Quæritur* 2° specialiter utrum lucra quæ filius familias in domo paterna facit, ad ipsum vel ad patrem pertineant.

Tria diversa opinantur theologi : alii jus filii familias affirmant, alii negant, alii demum distinguunt inter filios majores et filios minores; cum his.

*Resp.* 1° Nullum jus habent *generatim* filii familias si non sint majores aut saltem emancipati; — a) nam sunt sub potestate paterna, et velut membrum familiæ agere censentur. — b) Lucrum quod faciunt communiter parvum est et vix potest compensare expensas a parentibus irrogatas. — c) Ordinarie æqualiter filii ejusdem familiæ laboraverunt. — d) Contraria sententia familiarum paci valde noceret. — e) Sic demum æstimasse videtur legislator qui parentibus tribuit fruitionem bonorum filiorum suorum, nihil excipiendo, præter bona quæ industria privata comparantur.

Diximus *generatim;* jus enim habent filii familias — a) si laboraverint nomine proprio et aliquid compara-

verint industria separata, v. g., arte aliqua, ut musica, sculptura, etc. *art.* 387. — b) Item, si filius laboraverit cum patre, vel ex bonis paternis, sed conventione facta, conventioni standum est. Hinc, si laboraverit ut socius, v. g. in commercio, habet jus ad lucra, juxta regulas istiusmodi societatis, si ut mercenarius, jus habet ad stipendium in tali conditione usitatum. Verum nunquam ut socius haberi potest, nisi de societate actu authentico constet, juxta *art.* 854. — c) Iterum, probabilius jus habet filius familias qui præ cæteris fratribus labore extraordinario et indebito laboravit.

*Resp.* 2° Si e contra filii familias sint majores aut emancipati, *generatim* jus habent ad sua lucra. Non sunt enim conditionis deterioris ac extranei, atqui extranei jus habent ad stipendium. Præterea nulla lege tenentur prædicta lucra titulo gratuito patri relinquere; neque lege naturali, neque lege civili, casu paupertatis excepto; imo lex civilis statuendo filium majorem aut emancipatum jus perfectum habere in bonis suis nulla bona excipit.

Sed diximus iterum *generatim* quia et in hoc casu plures dantur exceptiones nempe : — a) si non habuissent intentionem jura sua reservandi; — b) si alii liberi æqualiter laborassent, absque ulla compensatione; — c) si pater inde damnum patiatur, quod contingeret si alios invenisset qui gratis laborassent, vel si opus illud ipse fecisset. Verum in quocumque casu, filiis familias nihil unquam deberi potest ex prædictis bonis, nisi prius deductis eorum impensis in domo paterna.

Attamen cum istæ decisiones non sint omnes æqualiter certæ sed plus minusve probabiles, videndum in praxi quid sit magis opportunum. In genere non est filiis indulgendum ante factum, scilicet antequam postulent aut sumant prædicta lucra; post factum vero multo moderamine utendum est ne quid durius in eorum perniciem imponatur. Sedulo perpendendæ sunt circumstantiæ in quibus versantur filius et ejus cohæredes, ut judicetur quid sit æquum et justum. — Vid. *Carrière*, n. 73, *Gury*, n. 540.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE UXORIBUS.

Per matrimonii contractum quamlibet conventionem circa bona secum inire queunt sponsi, dummodo nihil statuant contra bonos mores, auctoritatem mariti in uxorem, paternam potestatem in liberos, jura alterutrius sponsi superviventis relative ad minores, ordinem successionum, etc. *Cod. civ. art.* 1387 et seq.

Sub triplici regimine constitui possent sponsi quoad bona : videlicet, sub regimine communitatis, sub regimine communitatem excludente, et sub regimine dotali.

I. De regimine communitatis. — *Duplex est communitas*, alia legalis et alia conventionalis.

Communitas legalis locum habet quando sponsi matrimonium legitime ineunt sine ulla conventione quoad bona, vel quando simpliciter declarant per contractum sub regimine communitatis se constituere. *Cod. art.* 1400.

Hæc autem communitas coalescit — a) ex omnibus bonis mobilibus quæ sponsi ineuntes matrimonium possident, vel quæ sibi tempore matrimonii, titulo successionis vel donationis adveniunt; — b) ex omnibus fructibus et quibuscumque reditibus bonorum immobilium quæ sponsi ante matrimonium possidebant, vel quæ durante matrimonio, quocumque titulo sibi advenerunt; — c) ex omnibus bonis immobilibus quæ ex bonis communibus tempore matrimonii acquisita sunt. *Cod. civ. art.* 1401.

Prædicta bonorum communitas speciali conventione variis modis augeri vel limitari potest, et tunc communitas conventionalis vocatur. *Cod. art.* 1497 et seq.

Solus maritus habet administrationem bonorum communium, durante communitate ; solus ea vendere, commutare et in hypothecam tradere potest, etiam absque consensu uxoris. *Cod. art.* 1421.

Non tamen stricto sensu maritus dicendus est proprietarius; sunt enim bona communia, ut dictum est; et ideo

ipsius potestas sub quibusdam respectibus lege limitatur : sic bona communitatis immobilia quocumque titulo vel etiam mobilia titulo universali gratis donare nequit, nisi de statu unius e liberis suis constituendo agatur ; et licet juxta legem mobilia, titulo particulari, cuilibet personæ habili, per actus inter vivos gratis donare possit, modo usumfructum sibi non reservet, non semper juxta conscientiam, si nempe hujusmodi donationes in detrimentum familiæ notabiliter vergant. Per testamentum vero nihil ultra partem suam valide donare potest. *Art.* 1422 et 1423. Vide card. *Gousset* in art. 1401.

Dissoluta communitate, in bonorum suorum plena possessione statim restituitur mulier ; accipit insuper dimidiam partem bonorum communium. At si facto meriti qui solus administrationem habuit ita debitis gravarentur bona communitatis ut ad solutionem integram non sufficerent, communitati renuntiare poterit uxor, et si non renuntiaverit ad nihil tamen tenetur supra portionem quam accipit. Imo, si ipsius bona in bonum communitatis fuissent conversa, non tantum ex bonis communitatis sed etiam ex bonis mariti debet compensari. *Art.* 1472.

II. De regimine communitatem excludente. — *Regimen communitatem excludens* quemdam tenet locum medium inter regimen communitatis et regimen dotale ; duplici modo illud constituunt sponsi, vel declarando se matrimonium inire sine communitate, vel statuendo se in bonis suis futuros omnino separatos.

1° In priori casu, vir cunctos percipit reditus bonorum uxoris, et ipse solus quæcumque bona, sive mobilia, sive immobilia, sive ante matrimonium existentia, sive durante matrimonio uxori advenientia, administrat. Sed ea omnia, aut illorum valorem, si usu consumuntur, dissoluta communitate, integra reddere tenentur. *Art.* 1530 et seq.

2° Ubi vero statuerunt sponsi se in bonis suis futuros esse omnino separatos, tunc mulier liberam habet omnium bonorum suorum mobilium et immobilium administra-

tionem, et cunctis redditibus eorum perfecte fruitur. Uterque sponsus ad onera matrimonii per conventionem specialem simul concurrit. Ex hypothesi autem quod nulla hujusmodi existat conventio, usque ad tertiam partem reddituum suorum concurrit uxor. *Art.* 1536 et 1537.

Quamvis mulier in eo casu plenam habeat proprietatem et administrationem bonorum suorum, immobilia tamen alienare non potest, sine speciali approbatione seu permissione mariti, vel tribunalis primæ instantiæ, marito renitente. *Art.* 1538.

III. De regimine dotali. — *Regimen dotale* non ita præcise vocatur, quia dos aliqua traditur; per dotem enim ea intelliguntur bona quæ mulier affert et tradit marito ad onera matrimonii sustinenda; porro in utroque regimine præcedenti, et in primis in communitate, mulier quædam tradit bona ad onera matrimonii sustinenda. In eo præcipue regimen dotale ab aliis regiminibus distinguitur, scilicet quod bona in dotem constituta integra semper remanere debeant, et finita societate, integra reddantur.

Mulier constituere potest in dotem vel omnia bona sua, tum præsentia, tum futura, vel bona præsentia tantum, vel partem bonorum præsentium et futurorum, vel unam tantum partem specialiter designatam, v. g., tale prædium aut talem pecuniæ summam, etc.; sed dos illa per solum matrimonii contractum constitui potest, et matrimonio semel inito, nec constitui, nec augeri potest. *Art.* 1542 et 1543.

Maritus omnimodam bonorum dotalium administrationem habet, omnes eorum redditus percipit eisque plene fruitur : uxor igitur solam illorum habet proprietatem.

Potest tamen ex speciali conventione, aliquam partem reddituum singulis annis, proprio dato chirographo, percipere ad subveniendum impensis suis. *Cod. art.* 1534 et 1549.

Cuncta alia bona uxoris, quæ non traduntur marito ad onera matrimonii sustinenda, dicuntur paraphernalia, a duobus verbis græcis παρα, *præter*, φερνή, *dos*. Plenam

eorum administrationem uxor habet, licet pro eis coram tribunalibus comparere, aut immobilia quocumque titulo alienare nequeat, sine expresso mariti consensu legitime dato, aut, renitente marito, sine tribunalis primæ instantiæ auctoritate. *Cod. art.* 1575.

Bona quæ sibi comparat uxor vel propria industria, vel labore extraordinario, post datam gubernationi familiæ debitam attentionem, vel aliquid subtrahendo de sibi concessis a marito ad victum, vestitum, recreationes, etc., vel quæ sibi data sunt sub expressa conditione quod ad maritum non pertineant, ad paraphernalia revocanda esse videntur; de illis idcirco disponere potest uxor ad quoslibet voluerit usus honestos et lege permissos. Ita olim judicabant theologi, et in novo Codice nihil contrarium reperitur.

*Quæritur* an uxor ex bonis communibus eleemosynas facere possit, aut aliquid pro se vel liberis vel pro aliis personis clam sumere valeat.

*R.* Uxor non est serva, sed domina : quamdam igitur administrationem habere debet in domo mariti, juxta honestum morem communiter receptum. Hinc aliquas ex bonis communibus facere potest eleemosynas his bonis proportionatas, præsertim si maritus nullas faciat : tunc enim obligationi satisfacit mariti qui rationabiliter invitus esse non potest. Pariter quæ sibi necessaria sunt ad honestam sustentationem, juxta suam conditionem, ex bonis communibus clam subreptis emere potest, si maritus ea præstare nolit aut difficillime tantum concedat; jus enim habet ut hæc a marito sibi concedantur : contra justitiam ergo non peccat, modo id ad quod jus habet non excedat. Idem simili argumento dicendum est de iis quæ pro liberis suis, etiam primi matrimonii, emeret, de parvis muneribus quæ aliis personis propter decentiam vel necessitatem daret, v. g., amicis, consanguineis, proximis, etc. Ita cum pluribus aliis Bonacina, *Habert*, P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, etc.

Item contra justitiam non peccat uxor cujus vir est dissipator, si de communitate ea subripiat et abscondat

quæ ad honestam sui suæque familiæ sustentationem necessaria sunt, vel ne dos sua in decoctione pereat. *Sic communiter theologi.*

Caute admodum nihilominus hæc omnia, non dicimus suadenda, sed etiam permittenda sunt uxoribus, quibus potius restringendæ quam laxandæ sunt habenæ; sed multum illa principia inserviunt in praxi ad solvendos casus particulares sæpe occurrentes.

Si quid autem de bonis communibus, et *a fortiori*, de bonis dotalibus, subripiant uxores, præter causas assignatas aliasve similes, veram committunt injustitiam erga maritum, et illi vel hæredibus ejus tantum restituere debent quantum necesse est ut damnum injuste illatum perfecte reparetur.

## ARTICULUS QUARTUS.

### DE CLERICIS.

Bona clericorum triplicis distinguuntur generis, videlicet, bona patrimonialia, bona quasi-patrimonialia et bona ecclesiastica.

Bona *patrimonialia* sunt ea quæ clericis obveniunt, sive ante sive post clericatum, independenter ab omni ministerio aut beneficio ecclesiastico, ex hæreditate, dono, industria, etc.

Bona *quasi-patrimonialia*, quæ alii quasi ecclesiastica vel casualia vocant, sunt illa quæ clericis adveniunt, non ratione beneficii, nec ex bonis ipsi Ecclesiæ oblatis et approprietatis, sed ratione ministerii personalis, v. g., oblationes vel stipendia ob Missarum celebrationem, concionem, cantum in choro, etc.

Bona *ecclesiastica* ea sunt quæ secundum suam originem ad ipsam Ecclesiam pertinent, et clericis attributa sunt in congruam eorum sustentationem, ob ministerium spirituale ab ipsis præstandum; qualia sunt beneficia.

Nunc igitur nobis dicendum est quo jure hæc illave bona clerici possident.

I. De bonis patrimonialibus clericorum. — *Quoad bona patrimonialia* nulla subesse potest difficultas. Certum est

enim clericos perfectum habere dominium in sua bona patrimonialia, sicut laicos; nam si dominium in illa bona non haberent, vel propter votum, vel propter legem aliquam : atqui neutrum dici potest. Non propter votum, paupertatem enim non voverunt; non propter legem, siquidem nulla lex hac proprietate clericis interdicit : ergo. *Sic generaliter theologi.*

Tanquam patrimonialia reputanda sunt, juxta omnes, bona quæ clerici acquirunt ob functiones non sacras, v. g., docendo philosophiam aut theologiam ; proindeque de illis bonis sicut de patrimonialibus suis disponere possunt ; non minus enim sunt capaces dominii in hujusmodi bona quam laici : ergo.

Item patrimonialibus communiter assimilantur bona parcimonialia, et quidem merito : bona enim illa sunt quæ clerici ex honesta sua sustentatione parcius vivendo seponunt : porro jus habent ad honestam sustentationem, et ideo quod sibi sic subtrahunt suum faciunt. Ita *S. Ligorius*, n. 491 ; *Gury*, n. 538.

II. De bonis quasi patrimonialibus clericorum. — Utrum autem clerici dominium habeant perfectum in bona quasi-patrimonialia, id est, in ea quæ ob functiones sacras personales acquiruut, v. g., in stipendia pro Missarum celebratione, pro divini officii cantu, etc., non conveniunt inter se theologi.

Et longe communior et probabilior est sententia affirmans, nam 1° fideles hæc bona titulo mere gratuito non tribuunt, sed tanquam aliquid ob ministerium personale vere debitum; ea liberæ eorum dispensationi omnino relinquunt, nec ullum eis imponere volunt onus: ita omnes apprehendunt. 2° Præterea, bona hæc ad clericos pertinent, vel ad Ecclesiam, vel ad donatores : sed duo posteriora dici nequeunt. Non pertinent ad Ecclesiam, siquidem ipsi non sunt appropriata; non pariter ad donatores, quia omnino ea abjecerunt : restat igitur ut ad clericos pertineant. Ergo clerici perfectum in ea habent dominium.

Et vero frustra allegaretur quod clerici non possint prædicta bona sibi acquirere quin de re sacra contrahatur,

vel res sacra pretio æstimetur; quod esset simoniæ crimen. Non enim pro re sacra sed rei sacræ occasione, aut ministerii personalis retributio ab Ecclesia determinatur. Ita in ordine civili multa retribuuntur officia quæ pretio non convenit æstimari. Sic *communiter theologi*, ac præsertim *Benedictus XIV* qui, *de synodo diœces.* lib. XIII, cap. 8, n. 3, probat ex regula S. Chrodegangi, sub fine VIII sæculi, eleemosynas pro Missa vel pro alia functione sacra receptas, in quoslibet usus, pro voluntate accipientis, expendi posse. Demum S. Pœnitentiaria interrogata an responsio ab ipsa die 19 januarii 1819 data relative ad salaria a gubernio soluta, extendi deberet ad oblationes fidelium, respondit, die 9 aug. 1821, *negative;* magis adhuc expresse locuta est de vero dominio clericorum circa hujusmodi bona die 9 jan. 1823. Hæc igitur sententia haberi potest ut certa in praxi.

III. De bonis ecclesiasticis clericorum. — 1° *Certum est* clericos non habere dominium in funduin, ita ut illum valide commutare, vendere aut donare possint.

2° *Certum est* item clericum, qui aliqua canonice possidet bona ecclesiastica, ex illorum redditibus sumere posse quidquid necessarium est ad honestam sui sustentationem, etiamsi habeat bona patrimonialia ex quibus vivere possit; nam, qui annuntiant Evangelium, jus habent ex Evangelio vivendi. I Cor. IX, 14.

3° Omnes adhuc conveniunt clericum teneri, sub peccato de genere suo mortali, dare pauperibus vel in pios usus impendere omnes redditus ecclesiasticos, qui honestæ suæ sustentationi necessarii non sunt. Hanc enim obligationem, ait Benedictus XIV, de Synod. diœc. lib. VIII, c. 2, omnes Ecclesiæ canones clericis imponunt, aut impositam supponunt.

An vero hæc obligatio clericis imposita sit ex justitia, vel ex obedientia et religione, graviter controvertitur inter theologos. *Lessius*, l. II, cap. 4, n. 43; *Sylvius*, q. 185, art. 7, concl. 7, et *Billuart*, cum multis aliis, contendunt clericos perfectum habere dominium in hujusmodi bonorum ecclesiasticorum proventus, ac proinde, licet gravi-

ter peccent eos male consumendo, ad restitutionem tamen non teneri. His præsertim argumentis nituntur.

1° In primis Ecclesiæ sæculis, omnia bona ecclesiastica in communi possidebantur, ad Ecclesias pertinebant, et ab episcopis secundum necessitates distribuebantur ipsis ecclesiis, clericis et pauperibus; at incerto tempore, a tertio ad octavum vel nonum sæculum, hæc bona divisa sunt in tres partes, quarum una assignata est fabricis ecclesiarum, altera pauperibus, et tertia clericis qui ecclesiis deserviebant; ergo illius partis clerici vere facti sunt domini.

2° Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 1, declarat clericos non residentes, fructus suos non facere : ergo qui resident, faciunt fructus suos: porro facere fructus suos, est perfectum in illos acquirere dominium : ergo.

Idem sacrosanctum concilium interdicendo clericis, ac præsertim episcopis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve augerent, consulto abstinuit ab allegauda prohibitionis causa id est quod episcopi non sint nisi *bonorum ecclesiasticorum dispensatores.* Noluit ergo quæstionem dirimere.

3° Hanc sententiam expresse docet D. Thomas in *Quodlibet*, 6, art. 12, ad. 3, ubi, distinctis bonis ecclesiasticis quæ assignantur pauperibus ab his quæ assignata sunt clericis, de posterioribus ait : « In secundis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est. Unde non tenetur quis ad restitutionem peragendam. »

Juxta hanc igitur sententiam, clerici specialissimo et ecclesiastico præcepto sua superflua in eleemosynas et pia opera impendere tenentur; sed præceptum natura non mutatur, et ideo illud infringentes contra charitatem vel obedientiam peccant, sed non contra justitiam, nec onus restituendi incurrunt.

Multi alii theologi contrariam sententiam fortiter tuentur, inter quos *Habert*, *Natalis Alexander*, *P. Antoine*, *Pontas*, *Collet*, *Coll. Andegav.*, etc. Gravissimis autem nituntur rationibus, scilicet : 1° intentione fundatorum,

qui clericos ditare noluerunt, sed bona opera facere, ut testatur Conc. Aquisgranense, cujus hæc sunt verba : « Fi- » deles ob animarum suarum remedium suis facultatibus » sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his et mili- » tes Christi alerentur, Ecclesiæ exornarentur et pauperes » recrearentur.» Can. 116. 2° Mente Ecclesiæ, quæ intentioni donatorum exsecutioni providere voluit, non vera ei derogare. Unde sæpius in conciliorum decretis, in jure canonico et apud Patres bona ecclesiastica dicuntur patrimonium pauperum, patrimonium Christi, et clerici vocantur eorum dispensatores, administratores; exigit ergo Ecclesia ut superflua in pia opera impendantur. 3° Auctoritate Concilii Trident. quod, sess. 25, cap. 1 de Reformat., «omnino interdicit eis ne ex redditibus Eccle- » siæ consanguineos familiaresve suos augere studeant. » Et licet, ut supra dictum est, concilium a declarando motivo hujus declarationis abstinuerit, plurimis id rogantibus episcopis, illud tamen in mente habuit, et ideo dicitur ex redditibus Ecclesiæ, id est ex bonis non suis. 4° Pluribus summorum pontificum decisionibus, et consueta agendi ratione Sacræ Romanæ Pœnitentiariæ in suis responsis. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est quod bona ecclesiastica sint Ecclesiæ appropriata ad honestam sustentationem clericorum; nihil igitur vere et proprie clerici acquirunt nisi quod congruum est ad hunc finem et ideo superfluum erogare tenentur.

S. Ligorius dicit priorem sententiam esse probabilem et inter recentiores valde communiorem : sed ipse alteram sequitur. Benedictus XIV, perpensis utriusque momentis, noluit aliquid derimere. Quidquid sit, certum est clericum aliter sua superflua impendentem graviter peccare saltem contra charitatem et Ecclesiæ præceptum; porro, ut ait Bellarminus, « parvi refert, utrum quis » damnetur quia peccavit contra charitatem vel contra jus- » titiam, non bene distribuendo suas facultates. » Verum in hac diversitate opinionum, iis, qui hæc bona titulo hæreditatis acceperunt, non est imponenda stricta obligatio restituendi, cum sententia opposita auctoritate non

careat. Ipsis tamen est suadendum, si opportunum fuerit, ut pro ratione dubii, partem aliquam in pias causas impendant.

Arbitrati eramus pensiones quæ a gubierno nunc solvuntur clericis in Gallia, et bona quæ titulo supplementi parochis et vicariis a parochianis tribuuntur, ad bona quasi patrimonialia revocanda esse ; cum enim hæc bona ratione ministerii sacri percipiantur, sunt quasi patrimonialia vel ecclesiastica : at ecclesiastica nobis non videbantur, quia ecclesiis non sunt appropriata, sed clericis personaliter tribuuntur, præsertim populorum supplementa, sicut stipendia pro Missarum celebratione, etc.

Verum nobis prolata est sacræ Pœnitentiariæ decisio quæ sic se habet : *Quæsitum* : « An salaria quæ in Belgio » a gubernio solvuntur pastoribus et canonicis, induant » naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, » et annexam habeant obligationem inhærentem his » bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem ex- » pendendi superfluum pauperibus seu piis causis, et » residentiæ, sub pœna non faciendi fructus suos. »

*Responsum* : « Sacra Pœnitentiaria, perpensis exposi- » tis, respondet jam alias a Sancta Sede, de consilio se- » lectæ Congregationis, responsum fuisse affirmative. Da- » tum Romæ, die 18 januarii 1819. »

Hujus decisionis ratio patet ex eo quod hujusmodi pensiones habendæ sint tanquam justa compensatio pro bonis ecclesiasticis tempore perturbationis in Gallia inique ablatis. Hac enim tantummodo conditione, Pius VII bona ecclesiastica injuste detinentibus cessit, ut in his verbis decreti ad novam sedium episcopalium circumscriptionem supponitur : « Declaramus earumdem ecclesiarum » dotationem ex iis reditibus conflatam fore, qui ab ipso » gubernio, juxta præfatæ conventionis tenorem, singu- » lis archiepiscopis et episcopis assignandi erunt. » Saltem igitur tutius est pensiones a gubernio variis titulis ecclesiasticis assignatas, ut bona vere ecclesiastica habere, atque ideo regulas a sacris canonibus pro hujusmodi bonis statutas apprime sequi. In quacumque autem hypothesi,

certum est clericos functiones titulis suis essentialiter annexas graviter negligentes, contra justitiam peccare et ad restitutionem teneri : jus enim non habent sive ad pensiones gubernii, sive ad parochiarum supplementa, nisi in quantum officia sibi præscripta fideliter adimplent, si legitime non impediantur.

Bona quæ passim ecclesiis in perpetuum donantur, vel quibus seminaria dotantur aut in futurum dotanda sunt, vere ecclesiastica judicari debent; non enim personis, sed ipsis ecclesiis aut seminariis appropriantur.

## CAPUT TERTIUM.

### DE OBJECTO DOMINII.

Hic agitur de variis bonorum speciebus, quæ sub dominio hominis cadere possunt.

I. De rebus in quantum objectum dominii possunt fieri. — 1° Primum et præcipuum objectum dominii hominis sunt res omnes terrestres, quæ nempe propter utilitatem nostram a Deo factæ sunt, et ideo jure naturali dominio hominis subjici possunt.

Ut autem proprie cadant sub dominio hominis tria requiruntur; — a) ut possint occupari, alioquin vanum esset hujusmodi dominium, nec utile, nec alicui vere proprium. Sic astra non possunt occupari et proprie nullius sunt. — b) Ut sint utiles, si enim homo non indigeret, nec rebus externis augeretur, ad aliquid acquirendum non laboraret. Vix tamen est aliquid quod usibus humanis inservire non possit. — c) Ut usu non exhauriantur, alioquin supervacanea esset omnino hujusmodi rerum divisio, et individualis possessio; imo nec esset possibilis. Sic, aer, lux, aqua Oceani non est objectum dominii nisi in quibusdam casibus.

Res illæ duplicis sunt generis, corporeæ scilicet et incorporeæ. Corporeæ seu sensibiles dividuntur in bona mo-

bilia et in bona immobilia. Bona mobilia ea sunt quæ moveri possunt sive per se, ut equus, sive extrinsece, ut pecunia Alia sunt usu fungibilia, ut panis vel pecunia; et alia non fungibilia, ut vestes. Bona immobilia ea sunt quæ transferri nequeunt, sive ex natura sua, ut ager, sive ex destinatione, ut jumenta alicui prædio annexa. Vide Cod. art. 511 et seq.

Res incorporeæ sunt jura pretio æstimabilia quæ sub sensibus non cadunt, ut jus per agrum transeundi, jus pensionem percipiendi, hæreditatem colligendi, et in genere jus ad aliquid obtinendum et possidendum. Sunt et ipsa mobilia vel immobilia, secundum speciem boni quod afficiunt vel ad quod tendunt. *Art.* 527.

2° Homo dominium habet in proprii ingenii fetus. Hic agitur de novis inventis vel de libris ab aliquo scriptis, gallice *Propriété littéraire*, *brevet d'invention*. — A) Ex lege positiva, jus auctorum vel inventorum incertum non est. Ubique nunc apud gentes excultas privilegium concessum est auctoribus, ut ex operibus suis vel inventis fructum legitimum percipiant, aliis exclusis. In Gallia autem jus illud, si de scriptis agatur, conceditur non tantum ad vitam auctoris, sed transmittitur ad totam vitam si ad hæreditatem veniant conjux aut filii, et per decennium ad alios hæredes. Pro inventoribus autem conceditur inventori privilegium pro tempore determinato, si tamen postulaverit, et proportionatam pecuniæ summam solvere tenetur.

— B) Ex jure autem naturali, primo aspectu non dubitandum videretur; nihil enim tam proprium est homini quam ingenii sui inventum, et hoc quidem certum est ante omnem divulgationem per scripta aut verba. At ubi typis mandata publica fiunt, ea unusquisque intelligit et sic vere sua facit. Objectum enim earum est quid intellectuale et universale a quo non possunt quicumque intelligunt impediri. Unde non videtur quomodo dominium perfectum et præsertim exclusivum auctori constituere possint. Sed contra ex natura sua, statim ac noscuntur, res omnium fiunt, et in dominium publicum ca-

dunt. Et vero si jus perfectum haberent auctores in sua opera, ea in perpetuum hæredibus transmittere possent, in detrimentum societatis, quæ hujusmodi inventis et scriptis non plene frueretur.

Æquum tamen et consentaneum fuit, ut titulo compensationis sumptuum, remunerationis et gratitudinis, societas auctoribus et inventoribus aliquod privilegium circa fetus ingenii sui concederet; sed ad tempus tamen, ne in perpetuum hujusmodi inventis defraudetur.

3° Homo dominium directum, sed aliquo modo ligatum habet in famam suam. Bonam enim famam cura et industria sibi homo comparavit, jus igitur habet ut illa fruatur ad utilitatem suam, ut injuste læsam in judicio tanquam rem suam repetat. Sed potest insuper de illa libere disponere illamque, si velit, abjicere. Sic seipsum potest infamare, v. g., ad petendum consilium, ad humilitatem acquirendam, ad superbiam coercendam, ad misericordiam commendandam, ad famam alteri restituendam : porro hæc homini non licerent, si non haberet verum famæ suæ dominium. Qui tamen sine rationabili causa graviter sese infamaret, eodem modo peccaret ac qui bona sua sine prudentia administraret, et eo gravius quo melior est fama quæ bonis fortunæ longe præstat. Peccaret etiam contra charitatem, ratione scandali, et insuper contra justitiam, si fama ejus ad gloriam Dei et utilitatem proximi esset necessaria. Huic enim præcipue dicitur : *Curam habe de bono nomine*; Ecclesiastic. XLI.; ideo diximus habet dominium ligatum.

II. — De homine, in quantum fieri potest dominii objectum. — 1° Quique sui est dominus; id est homo in vitam suam et in membra sua habet jus exclusivum et quidem strictissimum; nulla enim tam injusta esse potest juris nostri violatio quam si quid injuste ageretur contra vitam nostram et membra nostra. Nec obstat quod principes possint interficere malefactores et exponere subditorum vitam, v. g. in bello, quia id faciunt non ut illorum domini, sed ut custodes tranquillitatis et boni publici.

2° Habet homo dominium utile vitæ et membrorum suorum, seu jus fruendi ; potest enim, ut dictum est, occupare et possidere res externas, non potest tamen nisi legitimo usu membrorum suorum. Insuper fruitur homo legitime bonis externis; at necesse est ut prius vitæ propriæ corporis et membrorum suorum fruitionem habeat.

3° At non habet dominium directum et absolutum, id est, jus disponendi, in vitam suam neque in membra, nisi pro servanda vita. Et hoc prius patet :

— A) *Scriptura sacra.* Sap. XVI, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Unde sic : Auctor sacer loquitur de potestate vitæ et mortis tanquam de attributo Deo speciali : hæc autem potestas attributum Deo speciale non esset, si homo dominium de quo agitur haberet.

— B) Deinde *ex ratione.* Si enim dominii jus perfectum et absolutum haberet homo in vitam suam, de ea disponere posset et eam abjicere seipsum occidendo : at non potest seipsum occidere, quin injuriam faciat Deo et societati; ratio est quia vitam non sibi acquisivit et comparavit, sed accepit a Deo mediante societate et familia; et hoc ipsi pagani non ignorabant; « nemini enim fas, in» quit Pythagoras, referente Cicerone, injussu, impera» ratoris summi Dei de præsidio et statione vitæ disce» dere. » Apud Lessium, Curs. comp. p. 499. Cum autem membra subordinentur ad corpus, sicut partes ad totum, de illis ad servandam vitam disponere licet.

4° *Denique vivendum est an et quale dominium homo in alterum hominem habere potest.* Dominium utile in alterum hominem est ipse servitutis status. — A) Si consideretur in se illud dominium non est absolute injustum nec illicitum. Etenim servitus definiri potest : *status subjectionis perpetuus qua aliquis tenetur pro alimentis omnia opera sua alteri præstare.* Porro nihil impedit quin status ille sit aliquando justus et licitus. Homo enim dominium utile quod naturaliter habet in labore suo potest valide alienare et etiam licite si causam sufficientem habeat, v. g. propter nimiam paupertatem et victus necessitatem. Quod

si causam rationabilem non haberet, peccaret quidem, ut dictum est de fama, et eo gravius, quo bonum libertatis bonis fortunæ et famæ præstantius est; contractus tamen valeret.

Igitur servitutis status servo non aufert liberum arbitrium, nec illam corporis libertatem in quantum membrorum usus spectat ad mores. Unde jus domini in servum ad illum tantummodo extenditur servitium, quod inter homines ab uno ad alterum præstari potest; quidquid ultra dominus attentaret, iniquum esset et injustum.

— B) Præter legitimum contractum quo aliquis semetipsum libere in servitutem redigeret, servitutis ab auctoribus assignantur plures causæ plus minusve justæ, ut nativitas, jus belli, et justa condemnatio. — a) Præcipue inducta est servitus ex jure belli. Apud paganos enim non tantum hostes, sed et innocentes et aliquando omnes cives devictæ gentis in servitutem redigebantur: porro jus belli, etiamsi bellum justum fuerit, ad jus vindicativum refertur, nec unquam potest victori aliquod dominium in captivum conferre. Idem dicendum est de jure ex justa condemnatione; quantumcumque sit jus victoris et judicis, non tamen ex eorum jure ligatur conscientia patientis, qui illud absque injuria infringere potest.— b) De nativitate autem ex parentibus servis an justus in aliquem conferatur titulus saltem disputari potest; et opinio negativa nobis non displiceret. Jus enim domini non excedit limites dominii utilis, ut dictum est; porro generatio liberorum spectat ad mores, et ad hoc usque jus domini extendi non videtur. Præterea nec alimentorum titulo servorum suorum liberos sibi dominus vindicaret; domini enim parentibus substituuntur, non tantum quoad jura et commoda, sed et quoad officia et onera; porro jure naturali tenentur parentes liberos suos alere usque dum sibi providere possint.— Ex his tamen causis jus quoddam gentium et universale exortum est, quod etsi verum et legitimum titulum dominis non semper dederit, ut tale tamen ubique acceptum est, et legibus et consuetudine sancitum.

—C) At vera et universalis servitutis causa fuerunt primi hominis peccatum et omnia cæterorum peccata, non quidem ut alii aliis juste dominentur, sed ut omnes sub jugo servitutis redigantur, quia adversus Deum, patrem et factorem suum rebelles facti sunt. « Rationalem enim fac» tum, ait S. Augustinus de Civit. lib. XIX, c. 15, ad ima» ginem suam noluit Deus nisi irrationalibus dominari : » non hominem homini, sed hominem pecori..., conditio » quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. » Nomen itaque (servi) culpa meruit, non natura. » Imo et propter eamdem causam oportuit homines legem justitiæ ignorantes freno servitutis contineri, ut possit aliquis ordo inter hominum societates servari. Ideo in Veteri Testamento servitutem Deus non prohibuit : erat enim peccati justa pœna et vindicta, erat vividum et externum miseræ illius servitutis signum qua sub peccato et dæmonis potestate detinebantur homines usque ad adventum Christi. Legem tamen istam durissimam mitigavit Deus misericorditer. Non erunt enim servi de populo suo; et si quis paupertate compulsus seipsum fratri suo vendiderit, non opprimetur servitute famulorum, sed erit ut colonus usque ad annum jubilæum. Lev. XXV, 37, 40. Servi vero de advenis erunt, nec et ipsi opprimentur. « *Recordaberis,* inquit Dominus, *quoniam servus fueris in Ægypto.* » Deut. XVI, 11.

— D) Cum autem advenerit Christus, omnium redemptor, Ecclesia per orbem dispersa, servitutem ubique degentem invenit, non eam ut illicitam reprobavit, nec subito abolendam suscepit, sed exemplo Apostoli servos ad fidelitatem, ad obedientiam et patientiam, dominos autem ad misericordiam et benignitatem adhortata est. Interea ubique proclamabat coram Deo non esse servum neque liberum, sed omnes unum esse in Christo, omnes sive servos sive liberos eumdem habere patrem in cœlo, eumdem dominum et liberatorem Christum. Primum igitur, mentibus omnium humanitatis et justitiæ sensu insito, homines jam a vitiis liberatos ad libertatem suscipiendam præparabat. Omnes enim qui inter christianos a

fonte baptismatis suscipiebantur, jam non pro servis sed pro fratribus charissimis habebantur. Sæpe charitatis motivo et religionis domini servis suis libertatem restituebant. Apud gentes christianas, leges magis ac magis servis liberandis favebant; sic Ecclesia allevavit eorum conditionem, et ipsam servitutem paulatim et sine commotione abrogavit.

*Quæritur* 1° Utrum servis fugere liceat.

*Resp.* 1° Servi qui seipsos vendiderunt vel ab aliis juste venditi sunt, vel promiserunt se nunquam fugituros, sine injustitia fugere non possunt; legitimus enim tunc in favorem possessoris adest contractus, qui sine injustitia violari non potest.

Servi tamen qui a dominis excitarentur ad peccatum et grave periculum consentiendi incurrerent, vel inhumaniter tractarentur, licete fugere possent; domini namque in eo casu potestate sua manifeste abuterentur et jus obedientiam exigendi non haberent : si vero domini suam agendi rationem mutarent, tunc servi ad illos redire tenerentur.

*R.* 2° Qui jure belli vel in pœnam alicujus delicti redacti sunt ad servitutem in foro conscientiæ damnandi non essent, si, secluso alterius damno, fugerent, juxta id quod in Tractatu *de Legibus*, cum S. Th. et plerisque theologis, docemus, ubi de pœnis.

*Resp.* 3° Servis a nativitate forsan indulgendum esset si fugerent, præsertim si quoddam rationabile motivum haberent, quia de jure domini non aperte constat.

*Quæritur* 2° Utrum commercium Nigrorum sit licitum.

*Resp.* Commercium Nigrorum, licet in se lugendum, absolute haberi posset ut legitimum, si nempe Nigri juste libertate sua privarentur, et humano modo tractarentur; et hoc sufficiet ad solvendos casus particulares.

Cum autem tres supradictæ conditiones fere nunquam reperiantur, vix accidere potest ut qui tale commercium exercent, damnabiliter non peccent.

Ideo summi Pontifices tale commercium semper reprobaverunt, ut videre est in Constitutionibus Pii II, 7 oct.

1462; Pauli III, 29 maii 1537; Urbani VIII, 22 aprilis 1639; Benedicti XIV, 30 decembris 1741; Pii VII in postulationibus ad principes. Prædecessorum suorum vestigiis insistens, ut ipse ait Gregorius XVI, constitutione 3 decemb. 1839, cupiensque *tantum hujusmodi probrum* a cunctis christianorum finibus avertere, postquam omnes Christi fideles vehementer in Domino obtestatus fuerit, ne quis audeat, in odium christiani nominis, *inhumanum illud commercium exercere, quo Nigritæ, tanquam si non homines, sed pura animantia forent*, in servitudinem redacti, *contra justitiæ et humanitatis jura emuntur, venduntur, ac durissimis laboribus devoventur*, sic concludit et statuit: « Nos prædicta omnia tanquam christiano nomine prorsus indigna auctoritate apostolica reproba» mus; eademque auctoritate districte prohibemus atque » interdicimus, ne quis ecclesiasticus aut laicus ipsum » illud Nigritarum commercium veluti licitum sub quo» vis obtentu aut quæsito colore tueri, aut aliter contra » ea quæ nostris hisce apostolicis litteris monuimus, » prædicare seu quomodolibet publice vel privatim do» cere præsumat. »

Leges civiles in plerisque nunc regnis, ab anno 1814 sæpe renovatæ, hujusmodi commercium stricte prohibent ut humanitate prorsus indignum.

---

## CAPUT QUARTUM.

### DE MODIS QUIBUS DOMINIUM ACQUIRI POTEST.

Extra contractum de quo agitur in speciali tractatu, plurimi dantur modi dominium acquirendi, quorum præcipui sunt occupatio, inventio, præscriptio et accessio, de quibus in sequentibus articulis dicetur.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE OCCUPATIONE.

I. De occupatione quatenus in genere dominium legitimum introducit. — Occupatio est actus quo rem nemini pertinentem nobis apprehendimus. Certum est occupationem esse modum legitimum acquirendi. Sic enim ubique acceptum est, sic multa bona acquisita sunt antequam inter homines divideretur terra, nec alio modo nunc multa acquiruntur in terris novis.

Verum ut valeat occupatio ad acquirendum tria requiruntur, nempe ut res occupata vere sit nullius, id est ut non habeat dominum; ut vere et realiter occupetur aliquo actu externo et sensibili; ut occupans intentionem habeat rem illam sibi acquirendi.

Paucissimæ nunc inveniuntur res nullius, vel quia jam fere omnia bona sunt occupata et appropriata, vel quia aliquando res hujusmodi lex quibusdam tribuit, aut gubernium sibi vindicat; sic apud nos, *art.* 713 *Cod. civ.* statuitur res dominum non habentes ad gubernium pertinere. Res autem præcipuæ quæ hodie etiam nullius sunt indicantur quædam animalium genera; fodinæ et metalla in terra, quæ dominum certum non habent; ligna aliqua in sylvis et pascua in locis vacuis, quæ a domino, si quis sit, primo occupanti permittuntur. Circa hæc alia determinavit usus et æquitas naturalis, alia lex statuit. De his quædam dicemus.

II. De occupatione quorumdam animalium. — Animalia triplicis distinguuntur generis; alia enim sunt fera, alia cicurata et alia mansueta seu domestica.

1° Animalia fera, sive terrestria, ut lepores, cuniculi, etc., sive volucres qui libere in aere volant, sive pisces in mare et fluminibus nantes, fiunt primi occupantis, servatis tamen legibus circa venationem et piscationem specialiter existentibus.

Hæc enim animalia ad nullum proprie pertinent; sed

supponitur ea non fuisse libertate privata. Ideo enim ad nullum pertinent quia nondum occupantur.

Unde qui feras muro aut sepe circumclusas occideret, qui pisces in vivario vel in stagno et *a fortiori* in rete caperet, hæc restituere teneretur animalia; nam libertatem suam amiserunt, ac proinde ad illum pertinent, cujus est rete, stagnum vel vivarium.

Si libertatem recuperassent et probabiliter a domino comprehendi jam non possent, ad primum occupantem pertinerent, perinde ac si nunquam capta fuissent.

E contra si graviter jam vulnerata certo ab eo qui vulneravit capienda forent, ad istum pertinent, quia jam occupari inceperunt.

Dixi *servatis legibus* circa venationem et piscationem existentibus. Leges enim quæ non sunt evidenter injustæ in conscientia obligant et sub peccato. At dici non potest leges circa venationem et piscationem esse injustas : provident e contra multiplicationi animalium omnibus utilium. Quicumque ergo venari aut piscari volunt illas observare tenentur.

In Gallia facultas venandi et piscandi specialiter regitur et determinatur a lege, *art.* 715. Circa venationem tria statuuntur : primo, venari non licet absque legali permissione dicta *port-d'armes*. An autem mortaliter peccet qui sine hac permissione venatur, non dicimus. Multo saltem tutius est dictæ legis dispositioni se conformare, sed qui licentiam legalem petere omisit, ad solvendum pretium hujus licentiæ, ante sententiam judicis non tenetur, quia contra justitiam commutativam non peccavit.

Excipitur tamen dominus qui venatur in possessione omnino sepe aut muro circumclusa et habitationi conjuncta.

Secundo, unusquisque jus venationis in fundo suo habet; igitur in alterius fundo venari non licet sine expresso vel rationabiliter præsumpto domini consensu. Qui tamen contra leges istas venatus esset, ad prædarum restitutionem non teneretur; cum enim hæc animalia ab uno loco

in alium libere transeant, ad nullum proprie pertinent.

Tertio, non omni tempore venatio permittitur. Et tempus quo diversis regionibus Galliæ venari licet a ministro determinatur. Qui autem plura de legislatione circa venationem desiderat adeat leges speciales, *leges* 30 *april.* 1790, *decretum* 11 julii 1810, *Bulletin*, n. 5729, *leg.* 3 *mai* 1844, *decretum* 1863.

Circa piscationem sunt etiam leges speciales. — a) In mari unusquisque piscandi jus habet, quia mare ad nullum pertinet. Sunt tamen quædam leges aut consuetudines quoad istam piscationem maritimam quas nocere debent quorum interest. — b) Jus piscandi in fluminibus navigabilibus in Gallia pertinet ad gubernium, et pretio locatur : igitur retibus piscari in his fluminibus non licet. Projectili linea, non vero dormiente, in illis piscari olim licebat; non videtur hanc dispositionem fuisse mutatam. Cæterum speciales consulantur leges, tum circa flumina navigabilia, tum circa minores rivos. Citatus *Avis du conseil d'Etat approuvé le* 30 *pluviôse an* XIII; *au Bulletin des lois*, n. 932.— c) Jus in fluviis non navigabilibus piscandi ad eos solos quorum proprietates sunt adjacentes, pertinet, et ab ipsa proprietate separari non potest. *Avis du Conseil d'Etat du* 19 *avril* 1811.

Qui contra leges piscarentur, peccarent quidem, sed ad restitutionem piscium non magis tenerentur quam venatores ad restitutionem prædam occisam aut captam, nisi forsan piscatio locaretur; utriquе tamen tenerentur reparе notabile damnum quod venando aut piscando intulissent, v. g., magnam quantitatem prædarum vel piscium capiendo, destruendo, dispergendo, etc., tunc enim jus venandi et piscandi minoris fit pretii. Item, si grave et notabile damnum aliunde inferatur, v. g., si segetes graviter conculcentur, sepes evellantur, etc. Qui hujusmodi damnum inferunt, illud reparare tenentur.

2° Animalia cicurata, id est, quæ ex feris fiunt mansueta, aut quasi mansueta, sicut columbæ in columbario, cuniculi in garena, etc., ad dominum columbarii, garenæ, etc., pertinent : hæc ipsa ratio dictat; imo anima-

lia ista in jure novo bona immobilia reputantur. *Cod. civ. art.* 514.

At si columbæ ex uno columbario in aliud columbarium, cuniculi ex una garena in aliam, pisces ex uno vivario vel stagno in aliud transeant, ad dominum posterioris columbarii, garenæ, vivarii aut stagni pertinent, modo illecebris allecti non fuerint. *Cod. civ.*

Idem dicendum est de examine apum : quamdiu dominus illud prosequi non cessavit, habet jus illud reclamandi et apprehendendi : secus, examen ad proprietatem fundi in quo requiescit pertinet. *Toullier*, t. III, p. 237, et t. IV, p. 51, *citant la loi du 6 octobre* 1791. Attamen, si dominus fundi apes istas nondum occupavit, qui eas apprehenderet, non magis contra justitiam peccaret quam si nidos avium in arboribus vicini positos tolleret. Vide card. *Gousset*, in art. 714, n. 4.

Si columbæ aut cuniculi vicinis graviter noceant, eos abigere licet : si ad advertendum damnum illos abigere non sufficiat, videtur licitum ea occidere, præsertim cum jus columbarii aut garenæ nunc titulo oneroso non existat, nec titulo gratuito, sed unusquisque jus habeat columbas aut cuniculos in fundo suo tantum alendi, non autem in vicinorum agris.

3° Si animalia cicurata ad dominum ita pertineant ut sine injustitia auferri nequeant, multo magis et animalia domestica, *ut patet.*

Qui hæc igitur animalia quolibet modo caperet, qui eorum lanas, plumas, ova, pelles, pilos, etc., sibi appropriaret, restituere teneretur. Pariter qui partem ovis, v. g., ex faucibus lupi eripuisset, eam domino reddere deberet. Facile tamen crederemus animalia quæ magni non sunt pretii, ut gallinas, anceres, etc., occidi posse quando graviter nocent, et aliter a damno inferendo averti nequeunt; sed eorum cadavera semper domino relinqui debent.

III. De occupatione fodinarum. — Fodinæ sunt quædam moles ex metallis aut lapidibus quæ sub terra latent. Illæ fodinæ et lapidicinæ jure naturali ad dominum fundi per-

tinere videntur; nam proprietarius jus habet non solum in superficiem fundi sui, sed in profundum indefinite, id est, ut dicunt, usque ad centrum terræ. Attamen, juxta jus novum, fodinas metallicas, carbonarias, salinacidas effodere et effossas continuare sine permissione gubernii non licet. (*Loi du* 21 *avril* 1810 (*Bulletin des lois*, n. 5401), *citée par Delvincourt*, t. I, p. 327, edit, in-4°, et par *Toullier*, t. II, p. 102.)

Triplici generis fodinæ distinguuntur a lege, *les mines, minières et carrières*. — a) Fodinæ prioris generis a gubernio conceduntur cui vult, data tamen indemnitate sive proprietario, sive inventori. — b) Secundi generis (*minerais de fer, terres pyriteuses, terres alumineuses, tourbes*) ab ipso proprietario effodi possunt et satis erit quod factum coram præfecto delaretur. Defectu autem proprietarii, alii, quorum interest, a præfecto licentiam effodiendi obtinere possunt. — c) Tertii generis fodinæ (*Ardoises, grès, pierres à bâtir, marbres, granits, pierres à chaux, pierres à plâtre*) a solo proprietario et sine ulla licentia effodi possunt.

Gemmæ et lapilli pretiosi nulla lege possunt regi, et ad inventores pertinent.

IV. De lignatione et pastione. — Hic agitur de his qui ligna cædunt in silvis, vel pecora mittunt in pascua aliena vel communia.

1° Qui ligna viridia et notabilis pretii cædunt in silvis, sive ad privatos pertineant, sive ad principem, sive etiam ad communitatem, cujus sunt pars, ad restitutionem tenentur, nisi jus quoddam habeant. Injustum quippe damnum inferunt, aut privatis aut etiam communitati, quæ legitime invita est in eo quod unus de communi bono propria auctoritate disponat.

Sed diximus, *nisi jus quoddam habeant speciale*, nam olim qui juxta silvas habitabant, ad compensanda damna a feris silvarum non raro illata jus quoddam lignationis aut pastionis habebant. Porro, in quibusdam locis illa jura novis legibus abrogata consuetudine servata sunt; item in pluribus locis sunt adhuc bona communia, sive

silvæ sive pascua; tunc ordinarie jus privatorum lege aut consuetudine determinatur.

Pauperes qui ligna minoris pretii cædunt in silvis, v. g., ligna sicca vel parva virgulta, qualia sunt gallice *les genêts*, *la bourdaine*, *la bruyère*, etc., pro sua gravi utilitate et necessitate, non peccant nec ad restitutionem tenentur; nullum enim fere damnum dominis silvarum inferunt, aut domini rationabiliter non sunt inviti, et aliquo modo consentiunt; quotidie enim vident aut saltem non ignorant hujusmodi ligna e silvis suis auferri et non obstant. *Ita generaliter theologi.*

Idem dicendum esse nobis videtur de pauperibus qui in agris et in sepibus quædam minuta ligna sicca pro gravi necessitate sua colligunt, si ea colligendo, aliud damnum non inferant, v. g., sepes divellendo; nam domini tunc rationabiliter inviti esse non possunt. Secus ratiocinandum est de iis qui ligna notabilis valoris auferunt, v. g., brachia quercuum cædunt vel frangunt, alias arbores præsertim fructiferas evellunt, juniora succidunt ligna quæ pretiosiora futura fuissent, etc.

Diximus *pauperes;* nam rationabiliter inviti essent domini, si divites hujusmodi ligna vel etiam sicca cæderent atque auferrent.

Diximus *pro sua gravi necessitate*; non videntur enim facile excusandi pauperes qui talia colligunt ligna, sive in locis campestribus, sive in silvis, ut ea vendant, nisi alio modo vivere non possint aut nisi domini illud cognoscant et impedire non curent.

2° Quod de lignis dicitur, per proportionem dicendum est de pascuis. Duplicis generis distinguuntur pascua, pinguia scilicet, id est, quorum fructus colligi, conservari aut vendi possunt, et pascua vana, vulgo *vaine pâture*. Nemo pecora sua deducere potest in prioris generis pascua, nisi aut jus habeat, aut consensum domini obtineat vel rationabiliter præsumat. Pauperes autem domestica animalia mittere possunt in vana pascua, juxta consuetudinem in variis locis receptam.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE INVENTIONE.

Quadruplicis generis distinguuntur bona quæ inveniri possunt, scilicet thesauri, res nuper amissæ, bona derelicta et bona vacantia.

#### § I. — De thesauris.

Thesaurus definitur in novo Codice, art. 716 : Res quæcumque abscondita vel infossa in quam nemo se jus habere probare potest, et quæ casu fortuito detegitur.

I. Ad quem pertineat thesaurus. — 1° Jure naturali thesaurus ejus est qui eum detegit, quia antequam detegatur nullus, ne quidem proprietarius fundi, habet in eum dominium. Jure vero positivo thesaurus æque dividitur inter proprietarium fundi et inventorem. Unde si quis inveniat thesaurum in fundo suo, totum retinet titulo inventoris et proprietarii; si in fundo alieno dimidiam partem tantum habebit, alteram proprietario deferre tenetur. Ille dicitur proprietarius qui habet dominium directum fundi; unde nihil usufructuario lex tribuit, nisi sit inventor. *Art.* 598. — Inventor autem ille est, non qui prius apprehendit, sed qui prius detegit et vidit, ut concluditur ex art. 716 Cod. civ.

Si vero thesaurus inveniatur in via publica, in littore maris, in fluminibus navigabilibus, aut in aliis fundis qui, juxta art. 538 Cod. civ., ad rempublicam pertinent, media pars ad principem deferenda est.

2° Si ex industria thesaurus inveniatur, difficultas exurgit ex eo quod lex definiat thesaurum casu fortuito inveniri. Ad hanc difficultatem solvendam videndum est quis invenerit. Si inventor sit proprietarius fundi, nulla est difficultas; clausula enim non pertinet ad essentiam definitionis, nec contra proprietarium apposita est, sed contra extraneos, ne sub pretextu thesauri detegendi bona

non sua perlustrare ac subvertere præsumant. Si inventor sit usufructuarius, ex ipsamet littera legis excludi videtur; si tamen ad mentem legis attendatur, jus suum non amittit, quia terram fundi, cujus fructum habet, fodiendo domino injuriam non facit. Ita *Delvincourt* hac de re interrogatus. Atsi inventor sit extraneus et terram fodierit ad thesaurum inveniendum, sine consensu domini, jus suum ad dimidiam partem amittit, et totum domino reddere debet, quia ex actione alteri injuriosa fructum percipere non licet. Ita veteres statuerant leges. *Delvincourt et Toullier* putant judices hanc veterum legum dispositionem sequi teneri, et quidem merito. Licet enim lex nova illud expresse non statuat satis innuitur in definitione thesauri. *Carrière*, n. 103. — Si ex consensu domini terram fodierit, ex circumstantiis videndum est quænam sint inventoris jura : saltem ad dimidium jus habet, nisi a domino conductus fuerit ad hunc inquirendum thesaurum.

3° Illæ legis dispositiones stricte obligant : igitur non tantum peccaret qui illos violaret, sed et insuper ad restitutionem teneretur. Sed observandum est essentiale dari discrimen inter eum qui thesaurum casu fortuito invenit, et eum qui ex intentione thesaurum inveniendi terram fodiebat : lex enim quæ dimidiam partem thesauri domino fundi adscribit, est lex dirigens et non mere pœnalis, ac proinde ante sententiam judicis obligat : lex autem quæ domino fundi totum tribuit thesaurum de industria quæsitum et repertum, est lex pœnalis et ante sententiam judicis non obligat. Unde in eo casu, inventor ante sententiam judicis tenetur dimidiam partem thesauri domino reddere, sed alteram dimidiam retinere potest donec ad eam solvendam condemnetur. Ita Lessius, l. II, c. 5, n. 59; card. *de Lugo*, d. 6, n. 112; Sylvius, t. III, concl. 9, et *Billuart*. Si autem de consensu domini thesaurum quæsiisset, totum sibi retinere posset, quia injuriam ei non intulisset. Requireretur tamen ut jus quærendi thesaurum, non vero alias substantias, v. g., lapides, arenas, etc., obtinuisset. Ita *Billuart* cum aliis.

II. Quæstiones practicæ. — *Quæritur* 1° an homo qui pretio communi emit agrum suspicans thesaurum in eo esse reconditum, totum sibi retinere possit, si reipsa illum inveniat.

*R.* Totum retinere potest; valor enim rei non præcise ex majori aut minori utilitate vel bonitate ejus intrinseca pensari debet, sed ex communi hominum æstimatione : porro emptor agrum juxta communem æstimationem emisse supponitur. Et vero thesaurus nondum repertus, ad dominum agri non pertinet, siquidem jure naturali nullius est. Ergo. *Ita communiter theologi.*

Qui autem thesaurum inveniens, illum reconderet et agrum emeret, mediam partem tantum sibi retinere posset, quia media pars ejus ad dominum fundi pertinet, statim ac repertus est.

*Quæritur* 2° an opifex qui in angulo parietis, vel in arca veteri, aut in veste summam pecuniæ invenit, illam aut illius partem sibi retinere valeat.

*R.* Vel quædam adsunt vestigia quibus prudenter judicatur hanc pecuniam ad talem personam vel familiam pertinere, vel nulla exstant hujusmodi vestigia. Si adsint, tota pecunia reddi debet, habet enim dominum. Si nulla hujusmodi sint vestigia, ex definitione novi Codicis, hæc pecunia ut thesaurus haberi debet, ac proinde media pars ejus ad inventorem et altera pars ad proprietarium pertinet. Sic Lessius, card. *de Lugo*, in locis modo citatis. Quid bona fide emit arcam in qua gemmas vel pecuniam invenit, totum sibi retinere potest, si nulla sint vestigia quibus judicari possit ad quem hæc pertineant, quia est simul inventor et dominus. Ita Lessius.

### § II. — De rebus amissis.

Res amissæ eæ intelliguntur quæ involuntarie perditæ sunt, et dominum adhuc merito judicantur habere.

I. De rebus amissis et inventis juris naturalis et positivi principia. — *Certum est* 1° apud omnes res istas reddendas esse domino, si inveniri possit; nam *res cla-*

*mat domino.* Similiter admittunt omnes inventorem nullam mercedem exigere posse, pro re inventa domino reddenda, nisi aliquid pretio æstimabile fecerit. Attamen si quid promissum fuerit inventori, debetur ex fidelitate et probabilius ex justitia. Libere oblatum, sive fuerit promissio, sive non, procul dubio, acceptari potest.

*Certum est* 2° etiam apud omnes, inventorem debere dominum inquirere cum diligentia eo majori quo res reperta majoris est pretii; hoc enim præceptum charitatis exigit, et, juxta plures, quasi contractus proveniens ex eo quod, rem suscipiendo, eam subtraxit eis qui forte tales fecissent inquisitiones; per suam ergo negligentiam inventor jus domini læderet. Illa vero inquisitio cum expensis domini rei amissæ facienda est : sed inquisitione diligenter facta, si dominus non appareat, quid faciendum est?

Ex lege positiva solvi non potest quæstio. Equidem in *Cod. civ. art.* 717 declaratur jus in res hujusmodi legibus particularibus esse determinandum. Sed illæ leges nullibi inveniuntur; veteres quidem quæ hanc materiam regebant abrogatæ sunt, nec novæ latæ sunt. Æstimat *Delvincourt*, t. I, p. 580, res inventas post tres annos fieri inventoris, si dominus non compareat. Hoc concludit ex *art.* 2279 in quo statuitur intra tres annos rem suam perditam dominum repetere posse. Sed tantum ex illo articulo concludi licet actionem civilem domino ad repetendam rem suam jam non concedi post tres annos.

Ex jure naturali duplex est hac de re sententia. Prima tenet rem sic inventam pauperibus erogandam esse vel in alios usus pios impendendam. His nititur argumentis : — a) *Auctoritate Theologorum Doctorumque* qui fere usque ad *D. Soto*, ut ipse fatetur, hanc sententiam quasi unanimiter tenuerunt. — b) *Auctoritate Catechismi Tridentini*, qui hanc doctrinam pastoribus et fidelibus tradit his verbis : « Quod si rerum dominus nulla ratione inve» niri potest, illa sunt bona in usus pauperum confe» renda. » *P.* III, *C.* VIII, *n°* 17.— c) *Persuasione fidelium,*

qui communiter in praxi ab illâ Catechismi Tridentini doctrina non recedunt. — d) *Ratione*; res enim amissa non cessat ad dominum pertinere : valde enim distinguuntur proprietas et possessio, et ideo licet dominus rem suam amiserit nec illam nunc possideat, jus tamen strictum in eam retinet : porro jus naturale dictat, si dominus jam inveniri non potest, juxta ipsius præsumptam voluntatem rem impendendam esse ; at rationabiliter præsumendum est dominum velle ut res sua modo magis sibi profuturo impendatur, ac consequenter in pios usus erogetur.

Alii autem recentiores cum *D. Soto* putant inventorem jure naturali rem retinere posse. Veteribus theologis alios multos inter recentiores opponunt : porro eo major esse debet recentiorum auctoritas quo præcipue movetur quæstio de voluntate domini præsumpta. Porro sic ratiocinantur : Res amissa in communitate negativa recidit ; nam dominus licet dominium *metaphysicum* in rem suam non amiserit, amisit tamen dominium *morale* consistens in facultate re sua utendi et de ea disponendi ; sic *Gury* ; et hoc probant exemplo thesauri qui in communitate negativa ideo recidit et ad primum occupantem pertinet, quia jam ab illo dominus omnino separatur nec illo uti potest. Porro, etiamsi dominus jus in re sua retineret, rationabiliter præsumitur ipsius voluntatem esse ut inventor eo modo de re sua disponat quo ipse de re aliena inventa disponere vellet ; ut inventor, post inquisitionem diligenter factam, rem faciat suam, sicque omnes ad colligendas res amissas et faciendas inquisitiones alliciantur ; denique ut inventor de re sua eo modo disponat quo facilius eam poterit recuperare ; at facilius eam recuperare poterit si in manibus inventoris remaneat quam si pauperibus distribuatur.

Rationes posterioris sententiæ sat firmæ non videntur : si enim res inventa Ecclesiæ, xenodochio, etc., tradatur cum obligatione reddendi domino apparenti, facillime jam a domino invenietur. Nec merito comparari potest thesauro dominum realiter non habenti, moraliter non reperibili, et ideo in communitatem negativam recidenti,

quod dici non potest de re amissa. Tertiam tuetur sententiam post *de Lugo S. Ligorius*, quam dicit veriorem et sequendam. Hæc sententia distinguit : si moraliter impossibile videtur quod dominus deinceps detegatur, res amissa fit nullius, et ad inventorem pertinet; quamdiu e contra absolute possibile est dominum inveniri, res aut rei pretium servari debet. Interea, re illa inventor uti potest, si usu non consumatur, donec aliquid sit certum de domino.

Probabilior est tamen et firmiori innixa auctoritate prima sententia; ideo in praxi est suadenda, non tamen imponenda, præsertim si inventor alteri opinioni in bona fide adhæreat, feceritque diligentiam ad inveniendum dominum, nec ipse sit dives. Sed semper res servanda est quamdiu absolute possibile est dominum inveniri. *S. Lig.* n. 603.

II. Quæstio practica. — *Quæritur* quid sit agendum, si postquam res ab inventore fuit consumpta, vel in pios usus impensa, dominus compareat.

*R.* 1° Inventor qui graviter neglexit dominum inquirere, pretium rei et damnum ex destructione ejus secutum reparare tenetur; quamvis enim contra charitatem tantum peccaverit, dominum inquirere negligendo, justitiam commutativam læsit rem alienam temere destruendo, vel aliis donando, nisi ex bona fide agens, a peccato gravi excusatus fuerit.

*R.* 2° Si res adhuc existat, domino reddi debet, quia res, ubicumque sit, clamat domino. Attamen si vendita fuisset in foro publico, vel a mercatore res hujusmodi publice vendente, emptor eam reddere non teneretur, nisi pretio quo eam emit sibi soluto : ita enim lex positiva statuit, art. 2280, pro bono societatis, nempe ut emptores sufficientem obtineant securitatem. Dominus autem semper recursum ad venditorem habet.

*R.* 3° Si post adhibitam sufficientem diligentiam, res consumpta sit quando dominus apparet, vel ipse inventor eam consumpsit, vel pauperibus erogavit, vel in alios pios usus impendit. Si eam in bona fide consumpserit, tene-

tur in domino reddere ex quo factus est ditior; si pauperibus eam erogaverit, ad nihil tenetur, et pauperes id tantum restituere debent ex quo ditiores facti sunt; plerumque, ut patet, ad nihil tenentur nec obligari possunt; si in alios usus pios illam impenderit, ecclesia, xenodochia, monasteria, etc., quibus fuit distributa, eam si adhuc existat, vel id quod eam repræsentat, si non existat, reddere debent; secus, ad nihil tenentur. Ratio responsionum istarum est, quod res inventa non detur nisi sub conditione saltem implicita eam reddendi, si dominus compareat.

### § III. — De bonis derelictis et vacantibus.

Bona derelicta ea dicuntur quæ a domino relinquuntur vel abjiciuntur cum intentione ut non sint sua.

Bona vacantia sunt ea quæ relinquuntur a personis sine hæredibus legitimas et absque testamento decedentibus.

Bona hæc tam derelicta quam vacantia nunc pertinent ad gubernium. *Cod. civ. art.* 539 *et* 713.

Inter bona derelicta aut vacantia computari non debent bona quæ in mare vel in flumina ad vitandum naufragium projiciuntur; hæc enim habent dominum : eorum restitutio vel partitio specialibus regulis determinatur. (*Voyez un arrêté des Consuls, du* 17 *floréal an* VIII, *au Bulletin des lois, n°* 665. *Cet arrêté renvoie à l'ancienne ordonnance de Louis XIV, de* 1681, *et à la loi du* 13 *mai* 1791, *relative à ces différentes espèces de choses trouvées sur les bords des fleuves, ou sur le rivage de la mer, et dites* épaves. *On peut voir encore un arrêté des Consuls du* 10 *thermidor an* X, *au Bulletin des lois, n°* 1385.)

In constitutione regia, mensis augusti anni 1681, distinguuntur res a mari productæ quæ ad neminem adhuc pertinuerunt, et res projectæ vel ex naufragio proventæ. Res prioris generis, ut gallice *le corail, l'ambre, les poissons gras ou à lard, tels que baleines, marsouins, veaux de mer, thons, souffleurs*, etc., ad occupantem pertinent, si

in mari capiantur vel ad littus industria ducantur : si vero in arena jacentes inveniantur, tertia pars ad inventorem pertinet et duæ aliæ partes ad fiscum regium.

Res posterioris generis iterum distinguuntur ex eadem constitutione. Quæ e profundo maris vel ex mediis fluctibus extrahuntur sic dividuntur : tertia pars statim et absolute tribuitur extractori ; duæ aliæ partes officiariis maritimis traduntur ut proprietario intra annum et diem reclamanti reddantur, vel nemine reclamante ad fiscum pertinent. Sed excipiuntur in favorem extractoris anchoræ quæ si intra duos menses non fuerint reclamatæ ad ipsum pertinent, et in favorem proprietarii res ipso tempore naufragii extractæ quæ integræ domino reddi debent, deductis tantummodo expensis ad eas salvandas factis.

Res vero quæ reperintur in littore maris, vel prope naves, vel ex navibus ad terram ejectæ, in integrum domino redduntur, aut si dominus non compareat, fisco tribuuntur; sed nihil inventoribus tribuitur, præter justam compensationem laboris. Si tamen apud cadavera submersorum pecunia, gemmæ aliæque hujus generis inveniantur, jus habent inventores ad tertiam partem, si intra diem et annum non repetantur. Vide *Toullier*, t. IV, p. 42 et seq.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE ACCESSIONE.

Accessionis nomine intelligitur jus illud quo dominus principalis fit dominus accessorii, id est omnium quæ ab aliqua re sua producuntur, vel ipsi naturaliter aut artificialiter uniuntur. *Art.* 546.

Augmentatio aut illa accessoria triplici modo fieri potest scilicet per productionem, per specificationem vel per adjunctionem.

I. De accessione per productionem. — Per productionem, ex *art.* 547, titulo accessionis ad proprietarium rei

pertinent omnes illius fructus naturales et industriales. Fructus naturales sunt fructus arborum et ea omnia quæ spontanee producuntur; non quidem excluditur omnino labor hominis, sed pro hujusmodi labore, si adsit, justa compensatio a domino debetur. *Art.* 548. Inter fructus naturales computandi sunt fetus animalium. Si animalia procreantia non sint ejusdem domini, pertinent ad dominum animalis feminei sexus, juxta axioma : *fetus ventrem sequitur.*

Fructus industriales pertinent ad dominum fundi in quantum sunt naturales, et quatenus sunt industriales ad eum cujus est industria. Attamen, juxta *art.* 549, possessor bonæ fidei facit fructus suos; secus ad dominum pertinent, ut postea dicetur.

II. De accessione per specificationem. — *Specificatio* est confectio novæ alicujus speciei ex aliena materia, v. g., si quis ex alienis uvis vinum, vel ex auro alieno poculum fecerit; in illo casu proprietarius materiæ novam speciem ex materia sua confectam repetere potest, solvendo artifici laboris ipsius pretium. *Cod. civ. art.* 570.

Si pretium laboris artificis valorem rei alienæ longe superet, v. g., si sculptor marmor alienum in statuam converterit, vel pictor alienam telam pinxerit, tunc artifex novam speciem sibi retinere potest solvendo proprietario materiæ justum illius valorem. *Cod. civ. art.* 571. At si artifex materiam alterius ad novam speciem conficiendam mala fide adhibuisset, omne quod intulisset illi damnum reparare teneretur in foro interno, et ad illud etiam in foro externo damnaretur. *Cod. civ. art.* 577.

III. De accessione per adjunctionem. — *Adjunctio* spectari potest ad res mobiles vel ad res immobiles. 1° Quoad res mobiles *confusio* vel *commixtio* dicitur quando duæ res confunduntur, ut duo vina diversa, vinum et mel, etc., aut commiscentur, ut duo acervi tritici, duo greges ovium. Quæ in specie propria et in individuo separari possunt, ut greges, separanda sunt : quæ separari nequeunt, sed dividi possunt, ut quinque modii tritici,

dividi debent; si autem dividi non possint, pertinent in communi ad dominos materiæ sic confusæ, pro ratione partis prius unicuique competentis. *Cod. civ. art.* 573.

2° Quoad res immobiles adjunctio fit per ædificationem aut alluvionem. — A) *Ædificatio* dicitur quando quis ex aliena materia in suo fundo, vel ex sua materia in fundo alieno ædificat. In priori casu, ædificationes suas retinere potest, solvendo proprietario materiæ ejus justum pretium. Potest insuper damnari ad indemnitatem solvendam, præsertim si mala fide egerit. In posteriori, distinguendum est si bona fide factum sit, vel non : si prius, proprietarius exigere non poterit ut ædificationes destruantur sed tenebitur vel materiæ et artis pretium solvere, vel augmentum valoris quod fundus inde suscepit. Si posterius, potest exigere ut ædificationes destruantur expensis ædificatoris malæ fidei, et insuper omnia quæ inde sequuntur damna resarciantur. At, si ædificationes velit retinere totius ædificationis pretium debet, nempe materiæ et laboris. *Cod civ. art.* 555.

De plantatione eodem modo ratiocinandum est ac de ædificatione. *Eodem Cod. civ. art.*

— B) *Alluvio* est incrementum latens et insensibile quod uni prædio flumen adjicit. Hoc autem duplici modo fieri potest, nempe quando flumen terram, arenas et glareas trahit, aque prædio alicujus proprietarii jungit, et quando unam e suis ripis insensibiliter deserit alteramque invadit. In utroque casu incrementum istud ad dominium fundi cui adjicitur pertinet. *Cod. civ. art.* 556 *et seq.*

Quædam tamen sunt exceptiones in ipso Codice legendæ, art. 558 et seq.

## ARTICULUS QUARTUS.

### DE PRÆSCRIPTIONE.

Definitio et motiva præscriptionis. — Præscriptio in novo Codice, art. 2219, definitur: Modus acquirendi do-

minium vel se liberandi ab aliqua obligatione per certum ac definitum temporis lapsum, sub conditionibus a lege præfixis.

Duplex ille præscriptionis modus gallice dicitur, *prescrire un droit, prescrire contre un droit.*

Si de priori modo agatur, motiva præscriptionis sunt, — a) ne bona diutius maneant incerta; — b) ut litibus finis imponatur; — c) ut possessores assecurati, majori cura res suas administrent magisque in illis augendis invigilent; — d) quia ex possessione jus præsumitur. Si de posteriori modo sit locus, præcedentibus motivis alia accedunt, nempe — a) ne quis nimia cura conservare teneatur instrumenta quibus constet se liberatum esse; — b) ne post longum tempus magnam debeat solvere pecuniam, quod ipsi nimis onerosum esset.

Præscriptio a jure naturali non oritur immediate, sed ei valde conformis est; unde apud omnes populos existit. Cum autem vim suam a lege positiva mutuet, duplex exsurgit quæstio, scilicet utrum quis possit in conscientia per præscriptionem dominium alicujus rei acquirere, aut ab aliqua obligatione se liberare; quænam deinde requirantur conditiones ut pro conscientia præscriptio valeat. In duplici paragrapho igitur dicemus 1° de legitimitate præscriptionis; 2° de conditionibus ad legitime præscribendum requisitis.

### § I. — De legitimitate præscriptionis.

Diu plerique theologi negaverunt præscriptionem legalem verum creare posse titulum pro foro interno. Dubius erat S. Raymundus *de Penafort*, in sua theologiæ Summa circa annum 1235 scripta, et dicit theologos eo tempore in varias abire sententias. At sententia affirmans nunc generaliter admittitur.

PROPOSITIO.

*Præscriptio, servatis conditionibus debitis, legitimus est modus quo quis potest in conscientia dominium alicujus rei acquirere, vel ab aliqua obligatione liberari.*

*Prob.* 1° *ex lege civili.* Modus ille acquirendi dominium vel se ab obligatione liberandi est legitimus, si suprema auctoritas civilis potuerit et voluerit dominium sic transferre : at utrumque constat : — a) *Potuit ;* nam vi alti dominii sui, de bonis subditorum disponere potest, quando grave societatis commodum id exigit; *a fortiori* leges condere potest ad definiendos proprietatum limites; ex dictis autem graves rationes præscriptionem non solum utilem, sed quasi necessariam faciunt. — b) *Voluit ;* ut, ex verbis, motivis et fine legis, ex omnibus quæ statuuntur in Codice, ex apprehensione omnium et jurisperitorum interpretatione evidenter sequitur. Non agitur ergo tantum de actione civili denegata, ut in quibusdam casibus ubi verum jus non transmittitur, sed de vero jure possessori transmisso. Ergo 1°.

*Prob.* 2° *Ex jure canonico,* in quo de Præscriptione sæpius agitur; v. g., Decret. part. 2, causa 16, q. 3; Decretal. lib. II, tit. 26, etc. Jus autem canonicum non loquitur tantum pro foro externo, siquidem præcipuus finis ejus est ut a peccato removeat. Idem astruitur indirecte ex iis quæ de bona fide dicuntur. Ergo 2°.

*Prob.* 3° Veritas propositionis nostræ constat etiam ex unanimi canonistarum et theologorum nunc existentium sententia. Ergo 3°, etc.

*Obj.* Nemo invitus, et absque sua culpa aut negligentia, re sua legitime privari potest; ergo.

*R. Dist. ant.* Nemo, etc., si bonum publicum illud non postulet, *conc.;* si bonum publicum illud postulet, *nego.* Bona enim privatorum bono publico cedere debent : at bonum publicum exigit ut aliquoties quidam absque consensu, culpa vel negligentia, re sua priventur, videlicet

propter rationes tanquam motiva præscriptionis modo expositas.

Præterea, qui vi præscriptionis bonis aut juribus privantur, sæpe a culpa negligentiæ non sunt immunes; hanc negligentiam pro bono societatis præcavere voluerunt legislatores, ut advertit *Bigot de Préameneu, Exposé des motifs de la loi relative à la prescription.* Ergo, etc.

Attamen, etiamsi constaret nullam exstitisse negligentiam in aliquo casu particulari, nihilominus valeret præscriptio propter alias rationes superius allatas.

Unde qui bonum aliquod per legitimam præscriptionem obtinuit, etiamsi postea clare advertat alterius fuisse, potest tamen, tuta conscientia, illud retinere.

§ II. — De conditionibus requisitis ad legitime præscribendum.

I. Quot requirantur conditiones ad præscribendum.— Ad legitime præscribendum duo generatim requiruntur, nempe 1° ut per totum temporis spatium lege statutum bona sit fides, non solum externa et apparens, sed interna et realis, id est, ut possessor persuasum habeat rem esse suam; 2° ut omnes conditiones a lege civili requisitæ accuratæ impleantur.

II. An et qualis bona fides requiratur ad præscribendum? *Notandum* duplicem distingui bonam fidem, unam theologicam et alteram juridicam. Bona fides *theologica* ea est quæ excludit peccatum: bona fides *juridica* excludit indicia ex quibus in foro civili mala fides probari possit. Unde una sine altera existere potest. Ad præscribendum in foro civili bona fides juridica sufficit: pro foro autem conscientiæ requiritur bona fides theologica et insuper juridica, alioquin lex dominium non transferret.

Ideo in foro conscientiæ bona fides ad legitime præscribendum requisita, est firma persuasio qua quis prudenter judicat rem quam possidet esse suam, non vero alienam. Hæc bona fides in ipso possessionis initio existere debuit, adeo ut qui bonum aliquod mala fide cœpit possidere, nunquam illud legitime in conscientia præs-

cribere valeat, quantumvis longo temporis spatio illud tranquille possideat, etiamsi postea penitus oblivisceretur illud esse alienum, alioquin fraus ipsi patrocinaretur : unde statim atque recordatur bonum istud non esse suum, illud reddere tenetur. Ita theologi, præsertim Collator Parisiensis, t. III; ita et juristæ, inter quos *Domat*, lib. III, tit. 7, sect. 4; *Pothier, Traité des Obligat.*, n. 657; *Troplong, de la Prescription*, t. II, etc.

De bona fide sic intellecta præcipue agitur in sequenti propositione.

## PROPOSITIO.

*Bona fides interna et realis requiritur ad præscribendum.*

*Prob.* 1° auctoritate concilii Lateranensis III, can. 41 : « Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, » synodali judicio definimus ut nulla valeat absque bona » fide præscriptio tam canonica quam civilis : unde opor- » tet ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat » scientiam rei alienæ. »

*Prob.* 2° Ex 2ª regula juris in Sexto : « Possessor malæ » fidei ullo tempore non præscribit. »

*Prob.* 3° *Ex ratione :* nisi enim bona fides interna et realis ad legitime præscribendum requireretur, fur, simoniacus, usurarius præscribere possent : at illud manifeste repugnat. Unde jus canonicum merito in hoc puncto, juxta æquitatis regulas, civiles reformavit leges, quæ ad solam malæ fidei probationem attendere videntur. Ergo, etc.

III. De causis bonæ fidei obstantibus. — Bonæ fidei obstare possunt mala fides auctoris, dubium, ignorantia et culpa.

1° *Mala fides auctoris.* Duplici modo aliquis succedere potest alteri, scilicet titulo particulari et titulo universali. Si succedat titulo particulari, v. g., accipiens, ex dono inter vivos vel per testamentum, summam fixam vel objectum determinatum, præscribere potest : mala fides

enim auctoris ei non imputatur, quia non est eadem possessio continuata, et auctor non censetur ei transmittere bonum male acquisitum, nisi forsan tota ejus possessio esset injusta, aut bonum speciatim transmissum injuste fuisset acquisitum : tunc enim legatarius titulo particulari, advertens rem sibi datam esse alienam, eam proprietario reddere teneretur, ex naturali æquitate. Ita *Domat*, et card. *Gousset* eum citans, *Cod. civ. Com. art.* 2236. Hanc decisionem ex mente legis desumptam applicantes, volunt, si præscriptio in foro civili jam compleatur, restitutionem faciendam esse proprietario pauperi, et, e contra, rem a legatario pauperi, ob titulum legis, retineri posse.

Qui autem alteri succedit titulo universali, v. g., totam hæreditatem, vel dimidiam, vel tertiam ejus partem accipiens, præscribere non potest vi possessionis auctoris : eadem enim habet jura quæ habebat auctor cujus possessionem continuat : auctor vero nullo habebat jura, ut supponitur. Ergo, etc. Sic expresse *Pothier*, n° citato, et *Troplong*, n^is^ 495, 932 et seq. de ipso civili foro agens.

At, qui bona titulo universali ab auctore malæ fidei accepit, eaque per trigenta annos possedit, credens esse sua, eorum dominium acquisiitne in conscientia vi præscriptionis? Non est dubium quin valeat præscriptio in foro externo. Valetne in foro interno? Plures affirmant, inter quos card. *Gousset*, *Code commenté*, 2^e^ *édit.*, p. 755, et alii recentiores theologi, strictis principiis innixi : alii vero, solum sensus communis et inditæ æquitatis dictamen sequentes, negant, et dicunt, cum lege romana, hæredem immediatum possessoris malæ fidei nullo tempore rem a suo auctore receptam præscribere posse, quamvis eam bona fide habeat et velit a seipso præscriptionem inchoare. *Ferraris*, v° *Præscript.*, § 2, n. 11, dicit hanc opinionem esse communem. Idem sentiunt *Pothier* et *Troplong*, jam citati. *Ferraris* autem, *Reiffenstuel*, Lessius aliique passim asserunt hæredem mediatum præscribere posse, computando solum tempus quo ipse possedit, et non tempus quo hæres immediatus

possedit, quia non censetur, sicut hæres immediatus, possessionem mala fide acquisitam continuare.

2° *Dubium.* Vel dubium possessionem antecedit, vel possessioni inceptæ supervenit. In priori casu, communiter docetur tale dubium bonam finem impedire : bona fides enim ad præscribendum requisita est persuasio rem esse suam, non vero alienam : porro qui cum dubio rem quamdam apprehendit, firmam non habet persuasionem illam esse suam. Illam ergo possidere non potest nisi cum intentione verum quærendi dominum cui eam remittat. Si, diligentia facta, detegat eam nullius esse, illius dominium acquirit titulo occupationis : si verum inveniat dominum, illam restituet : si advertat existere dominum, sed ignotum, res erit tractanda, sicut diximus de bonis inventis, et dominium ejus titulo præscriptionis acquiri non poterit.

Si autem possessioni ex bona fide initæ dubium superveniat, possessor tenebitur, juxta omnes, convenientem adhibere diligentiam ad excutiendum dubium. Diligentia vero facta et dubio permanente, multi dicunt præscriptionem inceptam currere; nam, inquiunt, ad legitime præscribendum sufficit bona fides practica : at ille cui aliquod supervenit dubium, nihilominus habet bonam fidem practicam, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Ita *Billuart,* et, apud ipsum, Sylvester, Navarrus, *Covarruvias;* ita etiam Sylvius, *Habert,* Collat. Andeg., S. Ligorius, etc. Alii non pauci, cum *Soto,* volunt rem ratione dubii esse dividendam, et sic ratiocinantur : Possessor rem totam retinere non potest nisi prudenter judicet esse suam : in præsenti autem casu prudenter judicare non potest esse suam, cum graves habeat rationes credendi esse alienam.

Præterea, ipsi alterius sententiæ patroni fatentur rem pro ratione dubii esse dividendam, si possessio cum dubio fuerit inchoata : porro rationes dubium possessioni superveniens constituentes, eumdem producere debent effectum ac si in ipso possessionis initio exstitissent, modo ejusdem sint gravitatis. Ergo.

Laudatum vero axioma : *Melior est conditio possidentis*, est regula pro foro externo; id est, in tali dubio judices damnare non debent possessorem rei ad eam reddendam, donec probetur ipsius non esse, quod quidem videtur justum : melior est ergo conditio possidentis. Melior est etiam aliquo sensu in foro interno : in simplici enim suspicione possessor rem, tuta conscientia, retinet; in vero dubio eam adhuc retinere potest, donec sufficientem adhibuerit diligentiam ad excutiendum dubium. Ergo.

Prior opinio est communior et sat probabilis videtur, ut eam in praxi damnare nollemus, licet posterior, judicio nostro, magis sit fundata.

3° *Ignorantia*. Alia est ignorantia facti et alia juris : ignorantia *facti* ea est qua quis, sciens legem, ignorat tale factum legi esse oppositum : v. g., noscens minores contrahere non posse, ignorat talem personam esse minorem. Ignorantia *juris* illa est qua quis naturam facti cognoscens, legem illud prohibentem nescit.

1° Certum est ignorantiam notabiliter vincibilem, sive facti, sive juris, bonam fidem ad legitime præscribendum requisitam procreare non posse : qui enim tali laborat ignorantia, dici non potest merito persuasus rem alienam a se detentam esse suam.

2° Certum est ignorantiam facti invincibilem constituere bonam fidem ad legitime præscribendum requisitam, alioquin aut bonum alienum non possideretur, aut nulla unquam existeret bona fides ad legitime præscribendum sufficiens.

3° In præscriptionibus 30 annorum non exigitur bona fides juridica, et proinde ignorantia juris, quæcumque sit, hujusmodi præscriptiones non impedit. In præscriptionibus in quibus bona fides juridica requiritur, nunquam admittitur, in foro civili, excusatio ab ignorantia juris, sive clari, sive obscuri, petita. Dicendum est ergo, cum theologis et jurisperitis generaliter, ignorantiam juris titulum legis ante 30 annos completos impedire, ac proinde nunquam esse sufficientem ad constituendam legitimam præscriptionem pro foro interno. Vide *Pothier, de la*

*Prescrip.* n. 26; *Troplong,* n. 692; card. *Gousset,* in art. 2262, etc.

4° *Culpa.* Culpa theologica, de qua sola hic agitur, ea est quæ fit contra justitiam, quæ scilicet jus domini lædit; potest esse gravis, vel venialis : si sit gravis, cum bona fide manifeste est incompatibilis et præscriptionem impedit. Si autem sit tantum venialis, quod accidit quando, aliquo superveniente dubio possessor venialiter negligit adhibere sufficientem diligentiam ad excutiendum dubium, videtur eam non impedire præscriptionem pro foro interno : si enim vel minima negligentia validitati præscriptionis obstaret, talis modus acquirendi dominium aut ab obligatione se liberandi, timoratis conscientiis nullius esset utilitatis, imo eas multis anxietatibus turbaret. Ergo.

Juxta multos theologos et juristas alia est bona fides ad dominium acquirendum, et alia ad se ab aliqua servitute passiva liberandum. Ad dominium enim acquirendum, ea necessaria est bona fides huc usque exposita : ad se autem ab aliqua servitute passiva vel a *debito requirendo* (*dette requérable*) liberandum, bona fides requisita in eo consistit ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu juris sui impediatur : debitor enim, in his casibus, creditorem admonere non tenetur; sufficit ergo ut nihil faciat quo illum ab utendo jure suo removeat. Attamen *Pothier, Traité de la Prescription,* n. 149, ita sentire non videtur : requirit enim, ut possessor alicujus fundi contra census, hypothecas aliasque ejus generis servitutes legitime præscribat, quod ema habeat bonam fidem qua judicet se acquisiisse dominium a tali servitute liberum. Hæc opinio regulis æquitatis conformior esse videtur. Vide etiam *Toullier,* t. III, p. 523 et seq.

IV. De conditionibus lege determinatis ut præscriptio valeat. — Certum est omnes conditiones a lege determinatas necessario adimplendas esse ut præscriptio valeat, etiam in foro conscientiæ. Etenim dominium rei alienæ per præscriptionem non transmittitur nisi vi legis positivæ et auctoritate legislatoris. Lex igitur

totus est titulus quo dominium rei acquiritur. Ut autem legitimus sit titulus, omnes conditiones ad illum constituendum requisitæ impleri debent. Porro præter bonam fidem, ut præscriptio valeat, lex plures determinavit conditiones, nempe : ut res sit præscriptibilis ; — ut adsit possessio; — ut sit titulus; — ut sit lapsum tempus determinatum.

1° *Ut res sit præscriptibilis.* Conditio hæc, in Cod. civ. art. 2226 expressa, ratione evidenter fundatur : res enim quæ a privatis possideri non possunt, vel contra quas legitimus haberi non potest titulus, præscribi nequeunt; talia sunt flumina, viæ publicæ, pontes, ecclesiæ, cemœteria, etc.

2° *Ut adsit possessio.* Hæc autem possessio debet esse tranquilla, publica, certa, titulo proprietarii et tempore præfixo continuata. — a) *Tranquilla*, quia ex art. 2233 Codicis et ex ratione, actus violentiæ constituere nequeunt possessionem ad præscribendum utilem : possessio utilis non incipit nisi a momento cessationis omnis violentiæ. — b) *Publica*, id est talis ut is contra quem prescriptio currit eam cognoscere possit; unde servitutes non apparentes, v. g., prohibitio in tali fundo ædificandi, vel ædificium ultra talem altitudinem extollendi, præscribi non possunt. *Cod civ. art.* 689 *et* 691. — c) *Certa*, et non dubia aut æquivoca, alioquin vera non existeret bona fides. — d) *Titulo proprietarii*, non vero nomine alterius, ut colonus, procurator, etc. — e) *Tempore præfixo continuata*, ac proinde sine interruptione. Duplici autem modo possessio interrumpi potest, naturaliter scilicet et civiliter. Possessio interrumpitur naturaliter, si res ab alio titulo proprietarii possideatur : cum requiratur possessio unius anni ut quis actionem juridicam *possessoriam* exercere possit, statutum est in Codice civ. art. 2243, interruptionem existere si res a legitimo proprietario vel ab alia persona per temporis spatium longius anno possideatur. Civiliter vero interrumpitur, si possessor in cujus favorem currit præscriptio, ante tribunalia etiam incompetentia citatur, si mandatum ad eam restituendam, ad

pretium ejus solvendum, etc., intimetur. *Cod. civ. art.* 2244 *et* 2246, etc.

Possessio aliquando non interrumpitur, sed suspenditur, ut videre est in Cod. civ. art. 2251 et seq.

Inter suspensionem autem et interruptionem præscriptionis hoc datur discrimen, quod tempus suspensionem præcedens cum tempore subsequente jungatur ad complendum spatium temporis lege determinatum, dum in interruptione valida tempus præcedens pro nihilo reputatur.

3° *Ut adsit titulus.* Titulus generatim est causa propter quam aliquid possidemus. Hic non agitur de *vero* titulo, quia ubi est verus titulus non datur locus præscriptioni. Est autem titulus præsumptus, titulus coloratus et titulus vitiosus. — a) Titulus *præsumptus* ille est qui habetur ut verus, dum nullus existit : ad præscriptionem non sufficit, nisi ubi nullus requiritur titulus. — b) Titulus *coloratus* ille est qui ex natura sua proprietatem transferre potest, v. g., si quis falso reputatus proprietarius, rem alienam vendat, commutet aut donet, per actum authenticum, ut suam. Ad præscribendum sufficit. — c) Titulus *vitiosus* est ille qui caret aliqua e conditionibus lege statutis : nunquam allegari potest, quia dispositiones in lege statutæ ut necessariæ nunquam reputantur ignotæ. Imo si exhiberetur titulus ex quo constaret possessionem in initio fuisisse vitiosam, v. g., possessorem rem obtinuisse ut colonum, non ut proprietarium, non valeret præscriptio, quantumvis longa exstitisset possessio tranquilla. Unde sequens prodiit axioma : *Melius est non habere titulum quam titulum vitiosum.* Cod. civ. art. 2231, 2236 *et* 2237. Titulus nullus in forma, v. g., donatio sub chirographo privato, nunquam esse potest fundamentum sufficiens ad præscribendum, licet bona fides theologica existat, nisi ubi non requiritur titulus. *Cod. civ. art.* 2267.

4° *Ut adsit tempus lege statutum.* Plus minusve longum temporis spatium requiritur ad præscribendum, secundum varias circumstantias rei, tituli et personæ.

Omnes actiones, tam reales quam personales, per 30

annos præscribuntur, et qui eam allegat præscriptionem, non tenetur exhibere titulum, nec mala fides ei objici potest. Talis autem præscriptio in foro civili est valida, et quidem merito, ne proprietates maneant incertæ et quia præsumitur titulum per tam longum tempus perire potuisse; obligationem naturalem restituendi non exstinguit, nisi juncta sit bonæ fidei, de qua supra diximus.

Qui per titulum in forma validum acquisivit in bona fide bonum aliquod immobile, illius dominium virtute præscriptionis obtinet per decem annos, si realis proprietarius in territorio ejusdem curiæ imperialis (*ressort de la même Cour impériale*) habitet, et per 20 annos, si proprietarius in territorio alterius curiæ imperialis maneat. *Cod. civ. art.* 2265.

Aliæ præscriptiones, contra nonnulas actiones, absolvuntur per quinque annos, per duos annos, per unum annum, per sex menses. Vide Cod. civ. art. 2271 et seq. In hujusmodi præscriptionibus semper supponitur pretium debitum fuisse solutum, et actio in foro civili denegatur ne perpetuæ oriantur lites; sed legislatores non intenderunt dominium a creditore in debitorem transferre : hoc patet ex recta ratione, ex communi auctorum sententia, et si de præscriptionibus sex mensium aut unius anni agatur, ipso Codicis articulo 2275, in quo statuitur juramentum alleganti talem præscriptionem deferri posse, ipsismet viduis, hæredibus, ac minorum tutoribus, ut declarent, an debitum realiter adhuc existat, vel per solutionem legitime fuerit extinctum.

Ubi agitur de bonis mobilibus, possessio habetur ut titulus, id est, qui rem detinet censetur ejus dominus, nisi contrarium probetur. Attamen possessor rem tuta conscientia retinere non potest, vi præscriptionis, nisi bona fide persuasum habeat esse suam, non vero alienam, aut nisi eam in nundinis, vel in foro publico, aut a mercatore res hujus generis publice vendente emerit; quo in casu, ex art. Cod. civ. 2280, rem vero proprietario reddere non tenetur donec pretium a se solutum sibi restitutum fuerit. Bona Ecclesiastica præscribuntur per

40 annos et bona Ecclesiæ Romanæ per 100 annos, ex jure canonico. Leges nostræ civiles hanc non agnoscunt distinctionem. Itaque bona ecclesiastica eodem tempore iisdemque conditionibus præscribuntur in foro civili ac alia quæcumque bona.

Debitor census annui per præscriptionem non extincti cogi potest a creditore, post elapsos viginti et octo annos a die ultimi tituli, ad novum constituendum titulum propriis expensis. *Cod. civ. art.* 2263. Sic statutum est ad amovendam fraudem et ad præbendum medium præsciptionem impediendi.

V. Quæstiones practicæ. — *Quæritur* 1° Utrum et quomodo possit quis præscriptioni renuntiare.

*Resp.* 1° Nemo præscriptioni nondum inceptæ renuntiare potest, ex art. Cod. 2220, quia est dispositio pro bono communi a lege statuta; verum præscriptioni absolutæ valide renuntiat si bona sua alienare possit; tunc enim habet jus acquisitum, et unusquisque ad contrahendum idoneus de jure suo cedere potest. Item præscriptioni inceptæ et nondum absolutæ renuntiare potest, eo sensu quod præscriptionem interrumpat, non vero renuntiare potest juri novam incipiendi præscriptionem.

*R.* 2° Duplici modo renuntiatio præscriptioni acquisitæ fieri potest, expresse videlicet, et tacite. Renuntiatio expressa fit per actum, et tacita deducitur e facto renuntiationem ad jura acquisita supponente. *Art.* 2221.

*R.* 3° Cum præscriptio jus reale producat, creditores et quælibet persona cujus interest ut existat, renuntiationi se opponere possunt. *Art.* 2225.

*Quæritur* 2° Utrum census annui olim ecclesiis aut privatis debiti, qui ab initio perturbationis Gallicanæ non fuerunt soluti, nec hodie juridice repetuntur, in foro conscientiæ solvendi sint, an vero virtute præscriptionis maneant exstincti, saltem quoad præteritos redditus vocatos *arrérages.*

*R.* Omnes census dicti *rentes foncières*, *rentes constituées*, ecclesiis vel privatis debiti, sive titulus eorum existat, sive perierit, minime virtute præscriptionis ex-

stincti sunt, quia bona fides ad præscribendum requisita non existit; debitores enim titulum de natura sua proprietatis transmissivum non habent, nec rationabiliter præsumere possunt se nihil debere : prædicti ergo census vi præscriptionis non sunt extincti pro foro interno. Debitores igitur sub denegatione absolutionis cogendi sunt ad solvendos redditus præteritos, et ad novos titulos concedendos. Quia tamen nimis onerosum esset omnes redditus præteritos solvere, et quia aliunde debitores communiter ex his omnibus non facti sunt ditiores, recurrendum est ad compositionem bona fide factam.

Nonnulli censuum ecclesiasticorum redditus, dum impossibile erat eos ecclesiis solvere, bona fide ad alios usus pios propria auctoritate adhibuerunt, vel aliter impenderunt, nec ditiores inde facti sunt. De istiusmodi redditibus nunc teneri non videntur erga ecclesias; si enim de illis tenerentur, vel ratione rei alienæ, vel ratione culpæ, *ut infra dicemus :* atqui neutrum dici potest. Non ratione rei alienæ, cum apud eos res aliena non exsistat; non ratione culpæ, siquidem ex bona fide prædictos redditus impendisse supponuntur. Ergo.

Si autem illos in mala fide sic impendissent, vel si inde rebus suis pepercissent et ditiores facti fuissent, ad totum tenerentur, nisi, ob rationes sufficientes, aliquam imminutionem ab episcopo, vel a consilio fabricæ, episcopo approbante, obtinerent.

Qui capitale hujusmodi censuum ante Concordatum anni 1801 Reipublicæ aut ab ipsa delegatis solverunt, et legalem obtinuerunt exonerationem, vi prædicti Concordati, ab obligatione restituendi liberati videntur, deterioris enim conditionis esse non debent ac cæteri bonorum ecclesiasticorum acquisitores, quos ad restitutionem stricte obligatos esse negamus in Tractatu *de Contractibus*.

Qui vero a tempore Concordati usque ad decretum diei 26 julii 1803, quo omnes census nondum alienati restituti sunt fabricis ecclesiarum, sponte capitale eorum solverunt, totum etiam refundere tenentur; tunc enim ecclesias culpa sua spoliaverunt, et virtutem atque effi-

caciam Concordati in sui gratiam invocare non possunt. Si autem coacte illud solvissent, ad nihil tenerentur, nisi forte integrum capitale non præstitissent : in illo casu, ad partem valoris non solutam et ad partem reddituum proportionatam obligarentur, quia pars illa census exstincta non esset, proindeque ad ecclesiam adhuc pertineret. Ergo.

Omnes alii census ecclesiastici, sicut et cuncta bona non vendita, quæ non ad fabricas, sed ad monasteria, ad seminaria, vel ad alia beneficia amplius non existentia pertinebant, reddi debent episcopo qui ea ad alium finem legitimum applicanda curabit. — a) Reddi debent; possessores enim in ea jus non habent; imo sunt possessores malæ fidei, ac proinde universos fructus restituere tenentur. — b) Reddi debent episcopo ; sunt enim bona ecclesiastica in pias causas fundata; sed finis a fundatoribus intentus jam obtineri nequit. Porro, ubi de causis piis agitur, episcopus pro sua diœcesi legitimus est voluntatis defunctorum interpres, ut constat ex conc. Trid., sess. 25, c. 4 de Reform. Ergo.

Juxta leges 4 *ventôse* et 7 *messidor, an* IX, quicumque novit bonum aliquod ecclesiasticum non fuisse venditum, et injuste ab aliqua persona detineri, obtinere potest ut illud ecclesiæ, xenodochio aut alteri religiosæ institutioni restituatur. Sic procedere debet : declaret auctoritati competenti, puta præfecto, se bonum immobile cognoscere quod administrationi bonorum nationalium fuit celatum : ostendat se illud manifestare paratum esse, modo ad talem et talem finem applicari gubernium permittat. Præfectus sollicitat edictum (*décret*) quo approbatur ut bonum istud ad finem designatum applicetur; tunc qui declarationem fecit, bonum memoratum manifestat, et possessor illud illiusque fructus statim reddere cogitur.

Hæc decisio non mediocris erat utilitatis tempore quo præsens Tractatus prima vice in lucem prodiit, nempe anno 1817 : nunc vero applicari non potest efficaciter, quia hujusmodi bonorum possessores, si qui sint, præscriptionem fere semper invocare queunt.

## CAPUT QUINTUM.

### DE MODIFICATIONIBUS DOMINII.

Dominium ut jam diximus, juxta *dom. Carrière*, tria complectitur, nempe dispositionem, fruitionem et exclusionem ; porro sub hoc triplici respectu modificari potest et limitari dominium, et sic fieri plus minusve incompletum.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE RESTRICTIONE DOMINII CIRCA DISPOSITIONEM.

Duplici modo restringitur dominium quoad jus disponendi ; scilicet aliquis cogi potest ad alienandum, aliquis e contra ab alienatione impediri.

I. De obligatione alienandi. — Alienationem exigit vel publica utilitas vel privata.

1° *Ob utilitatem publicam* (*expropriation pour cause d'utilité publique*) princeps qui totam regit rempublicam expostulare potest dominii expropriationem, quia id aliquando necessarium est ad omnium utilitatem ; et cives, qui ad hanc utilitatem concurrere tenentur hanc expropriationem negare non possunt. Hoc principium in genere in dubium non est revocandum. In praxi apud diversas nationes variæ sunt regulæ quibus expropriatio expostulari et obtineri potest ; apud omnes compensatio pro fundo alienato offerri debet. — Apud nos, utilitas publica per legem 3 maii 1841 declaratur quoad ea quæ sunt majoris momenti, et per edictum principis quoad alia : si autem non sponte consentiant ii quorum bona in hunc finem concedenda sunt, expropriatio fieri non potest, nisi per actum auctoritatis judiciariæ ; compensatio autem determinatur vel consensu administrationis et proprietarii qui expropriationem patitur ; vel, deficiente hoc consensu, declara-

tione cætus juratorum (*jury*) ad hoc quotannis per concilium generale nominatorum.

2° *Ob utilitatem privatam,* generatim loquendo nemo expropriationem pati tenetur, nisi in casibus determinatis quos videre licet in *Cod. civ. art.* 575, 661, 682, 827, 841, 1686.

II. De prohibitione alienandi. Lex quandoque merito prohibet fundum alienari, v. g. fundum qui ad minores, interdictos, uxores, etc., pertinet; vel fundum qui dotalis dicitur. — Quandoque homo privatus hanc alienationem prohibere potest sive per contractum, sive per substitutionem lege permissam. *Vid. Carrière,* p. 20, 21.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE RESTRICTIONIBUS DOMINII CIRCA FRUITIONEM ET EXCLUSIONEM.

Dominium restringitur præcipue circa fruitionem et exclusionem *usufructu, usu* et *servitute;* scilicet per usumfructum et usum jam non perfectum dominium habet usufructuarius vel qui usu pollet, cum ad partem dominii tantummodo jus illius extenditur; per servitutem dominus rei onere gravatur, et a sua proprietate usum exclusum non habet.

#### § I. — De usufructu.

I. De juribus ad usufructuarium pertinentibus. — 1° *Ususfructus* est jus rebus alienis utendi et fruendi tanquam ipse proprietarius, salva earum substantia. *Cod. civ. art.* 578.

2° Usufructuarius habet non solum rei alienæ usum, v. g., equi, domus, agri, silvæ, etc., sed omnes fructus ejus facit suos, atque de illis pro nutu disponere potest. Jus habet percipiendi quidquid in fundo nascitur, sicut segetes, fenum, fructus arborum, proventus piscationis et venationis; lapidicinas aliasque quascumque fodinas inceptas continuare potest, sed novas aperire nequit. *Cod. civ. art.* 582 et 598.

In silvis cæduis (*bois taillis*) usufructuarius cædere potest earum portionem quam paterfamilias cædere solet. In silvis altis (*futaies*) nihil cædere valet, nisi proprietarius inceperit eas per quamdam portionem singulis annis cædere; in illo enim casu usufructuarius potest eodem modo per singulos annos eas cædere. *Cod. civ. art.* 591.

Usufructuarius habet adhuc fetus animalium, eorum lanam, lac, plumas, etc. *Cod. civ. art.* 585.

Jus suum alteri titulo venditionis, locationis vel donationis, cedere potest. *Art.* 595.

Percipit fructus qui nondum collecti sunt, quamvis maturi, cum usumfructum incipit habere; e contrario fructus etiam maturos, sed non collectos tempore quo usufructus desinit, non facit suos, nisi contrarium fuerit stipulatum. *Cod. civ. art.* 582 *et sequentibus.*

II. De obligationibus usufructuario impositis. — Cum usufructuarius rei substantiam integram domino conservare debeat, tenetur 1° illa uti sicut bonus paterfamilias utitur re sua quam sibi et posteris vult integram conservare : unde non potest silvas non cæduas cedere, agrum sua negligentia deteriorem facere, etc. 2° Tenetur gregem ita servare ut in locum demortuorum capitum alia substituat, sed non ultra numerum capitum quæ ex fetibus proveniunt. *Cod. civ. art.* 616. Similiter, loco vitium aut arborum fructiferarum quæ mortuæ sunt, novas arbores vel vites plantare tenetur : mortuæ autem illi cedunt, sicut et quæ per accidens evertuntur. *Cod. civ. art.* 594. Arbores vero grandiores tempestate eversas sibi arrogare non potest. *Cod. art.* 594. 3° Tenetur modicas reparationes de suo præstare non vero majores. Has faciet proprietarius, nisi eorum necessitas ex negligentia usufructuarii contingat, *art.* 605. An vero teneatur, lex proprie non dicit, et jurisperiti communius negant. Æ.les vetustate, vel casu fortuito collapsas reædificare non tenetur usufructuarius, nec proprietarius ad id obligatur. *Cod. civ. art.* 607. 4° Tenetur denique omnes præstare sumptus ad fructuum perceptionem necesssarios, et om-

nia solvere tributa ordinaria quæ pro re frugifera debentur. *Cod. civ. art.* 608. Extraordinaria autem dividuntur inter proprietarium et usufructuarium, juxta dispositionem *art.* 609.

### § II. — De usu.

*Usus* est jus re aliena in proprium usum tantum seu in propriam utilitatem utendi, salva ejus substantia : unde jus usuarii minus extenditur quam jus usufructuarii.

Usuarius jus suum vendere non potest, nec collocare, nec donare. Si tamen jus domo aliqua utendi habeat, in illa cum familia sua habitare poterit, etiamsi tempore quo usum acquisiit conjugatus non fuerit. Art. 632.

Pariter si jus habeat oleribus, pomis aliisve fructibus ad proprium usum utendi, ad sustentandam suam familiam uti poterit, si contrarium non fuerit stipulatum. *Cod. civ. art.* 630.

Si usuarius omnes fructus absorbeat, totam domum occupet, ad sumptus culturæ et reparationem, nec non ad omnia tributa solvenda tenebitur, perinde ac usufructuarius. Si autem fructus ex parte tantum percipiat, si unam tantum partem domus occupet, ad portionem æquivalentem sumptuum, reparationum aut tributorum tenebitur. *Cod. civ. art.* 535.

Legatur in Cod. civ. totus titulus *de l'Usage*, ab art. 625 ad art. 638.

### § III. — De servitute.

I. De definitione et diversis speciebus servitutis. — 1° *Servitus* in jure novo definitur : Onus prædio uni impositum in usum vel utilitatem prædii ad alterum proprietarium pertinentis. *Art.* 637. Triplex distinguitur servitus, scilicet naturalis, legalis et conventionalis.

2° Servitus naturalis ea est quæ derivatur ex positione naturali locorum : sic ager inferior suscipere debet aquas quæ naturaliter ex superiori fluunt. Hinc proprietarius

superioris agri nihil facere debet ut aqua vehementius fluat, nec dominus fundi inferioris potest quacumque via aut arte cursum naturalem aquæ impedire. *Cod. civ. art.* 640. Multa sunt scitu digna circa aquarum fluenta : legatur Codex civilis ab articulo præcedente 640 usque ad art. 645.

3° Servitus legalis illa est quæ lege, absque ulla conventione particulari, stabilita et firmata est pro bono publico vel communali, aut pro utilitate privatorum. *Cod. civ. art.* 649.

*Pro utilitate publica vel communali,* ut, v. g., in ripis fluminum navigabilium, via qua homines navigia trahentes incedere possint; obligatio vias publicas reficiendi vel in bono statu conservandi, vias scilicet quæ ad gubernium non pertinent. *Art.* 650.

*Pro utilitate privatorum,* v. g. : — a) jus gallice dictum *droits d'indivis,* quod est servitus qua diversi proprietarii qui diversa ejusdem domus tabulata possident, pro sua portione ad communes reparationes faciendas simul concurrere tenentur. *Cod. civ. art.* 664. — b) Jus quo aliquis vicinum cogere potest ad proprietates sibi invicem contingentes communibus expensis separandas. *Art.* 646. — c) Jus seu potius facultas jus obtinendi, dato pretio, per alterius fundum transeundi, vel animalia conducendi. *Cod. civ. art.* 682. — d) Jus habendi, in determinatis tantum circumstantiis, fenestras quæ alterius prædium respiciant, prohibitio altius ædificationes extollendi, stillicidia in tectum vel arenam vicini avertendi. *Cod. civ. art.* 679, 681 *et* 689.

4° Servitus conventionalis est illa quam privati inter se contractu speciali statuunt. Quascumque voluerint servitutes ita statuere possunt, modo præteritam non redoleant feodalitatem, nec bono publico adversentur. *Cod. civ. art.* 686.

II. De cessatione servitutum. — Servitutes autem cessant, 1° per conditionis non adimpletionem vel illius exstinctionem, quando erant conditionatæ; 2° per renuntiationem illius in cujus gratiam existunt; 3° per

consolidationem, si nempe idem homo fiat utriusque dominii proprietarius; 4° per præscriptionem juxta regulas superius expositas; 5° per circumstantiarum mutationes, ita ut usus servitutum fiat impossibilis. Ubi vero per novam mutationem, usus earumdem servitutum fit possibilis, iterum existunt, nisi præscriptio sit completa. Servitutes autem absque titulo per 30 annos præscribuntur. *Cod. civ. art.* 703 *et seq.*

Multa circa diversas servitutes in Codice civili statuuntur sub titulo *des Servitudes* : hæc ibi legantur.

---

# PARS SECUNDA.

## DE INJURIA ET RESTITUTIONE IN GENERE.

I. Injuriæ definitio et explicatio. — Cum, ex dictis, certum sit homines in quædam bona habere dominium, modo tantum utile, modo perfectum, sequitur inter ipsos jus proprie dictum existere. Violatio istius juris dicitur injuria, quæ proinde recte definitur : *Voluntaria juris alieni violatio.*

Scienti et libere ac valide volenti nulla fit injuria; quia tunc, omnibus fatentibus, ibi non est violatio juris proprie dicta. Tres tamen inveniri debent conditiones, scilicet : 1° requiritur plenus consensus, id est, consensus qui a voluntate cum cognitione eorum in quibus est actio, procedit. Hinc qui pecuniam indebitam solvit, falso credens eam esse debitam, veram patitur injuriam, quia adest error intellectus; pariter qui pecuniam offert malefactori aliquod malum minitanti, ad malum istud avertendum, patitur injuriam quia nonnisi invitus hanc pecuniam largitur.

2° Requiritur ut consentiens valide consentire valeat, alioquin consensus ejus foret nullus : unde donationes a pupillo oblatæ acceptari non possunt, quin injuria, non quidem personalis, sed realis et lege fundata, ipsi inferatur. Item maritus qui consentiret ut alter uxore sua abuteretur, illegitime consentiret, quia jus suum cedere non potest, ita disponente lege divina, tum naturali, tum positiva ; voluit enim Deus ut essent duo in carne una : merito igitur Innocentius XI, decreto diei 2 martii 1679, sequentem, n. 50, damnavit propositionem : « Copula cum » conjugata, consentiente marito, non est adulterium, » idcóque sufficit in confessione dicere se esse fornica» tum. » Curs. compl., t. VI, col. 710.

3° Requiritur ut consensus agenti sit notus, alioquin formalis existeret injuria. Non requiritur ut sit expressus, sed rationabiliter præsumptus sufficit. Ne tamen dominus rei, præter opinionem, de facto non consentiat, intentionem habere debet agens damnum quod inde sequitur resarciendi, ex hypothesi quod consensus non adsit.

Injuria hæc de genere suo peccatum est mortale, nam intra speciei suæ limites sistendo, graviter rectæ rationi et bono ordini adversatur ; sed non semper rectæ rationi et bono ordini graviter adversatur ; dari enim potest levitas materiæ, ut omnes fatentur : ergo de toto genere suo non est peccatum mortale, id est, aliquando fieri potest levis defectu gravitatis materiæ. Quandonam autem hæc injuria sit gravis, quandonam vero sit levis, ex prudentum virorum æstimatione judicandum est.

II. Definitur restitutio. — Definitur restitutio : *justitiæ commutativæ actus quo res alteri debita redditur, aut damnum injuste illatum reparatur.*

Dicitur 1° *justitiæ commutativæ actus;* quia ex violatione solius justitiæ commutativæ nascitur obligatio restituendi, ut infra dicturi sumus.

Dicitur 2° *quo res alteri debita* ; nulla enim est nec esse potest obligatio rem indebitam reddendi.

Dicitur 3° *redditur*, non vero solvitur ; quia restitutio

supponit rem jam antea illius fuisse cui redditur, et e contra, solutio rem tradit ei cujus nondum fuit.

Dicitur 4° *aut damnum injuste illatum*, etc. Quamvis enim res ablata penes eum qui injuriam fecit non existat, stricta tamen adest obligatio damnum inde proveniens reparandi, ut infra dicemus.

Dicitur 5° *injuste*, quia si justam ob causam damnum fuerit illatum, v. g., ad inculpatam defensionem, nulla est obligatio illud reparandi.

His præmissis, secundam hanc partem in quinque dividemus capita : in 1° videbimus quæ sit obligatio restituendi et unde oriatur ; in 2°, quisnam ad restitutionem teneatur, et quid ac quantum restituere debeat ; in 3°, cuinam restitutio fieri debeat ; in 4°, quæ circumstantiæ observandæ sint in restitutione facienda ; in 5°, expendemus quænam causæ a restitutione excusent.

---

## CAPUT PRIMUM.

### QUÆNAM SIT OBLIGATIO RESITUENDI ET UNDE ORIATUR.

Hujus capitis duplex erit articulus : in 1° de obligatione restituendi agemus, et in 2° de restitutionis radicibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE OBLIGATIONE RESTITUENDI.

I. De existentia obligationis restituendi. — Existere præceptum restituendi nonnulli olim negarunt Græci qui, teste Alphonso a Castro, sic ratiocinabantur : Nemo bonum suum temporale saluti æternæ proximi anteponere potest : sed qui restitutionem exigeret, bonum suum temporale saluti æternæ proximi anteponeret, siquidem

efficeret ut alter non restituens peccaret et damnaretur : præcepto igitur charitatis rem suam illi condonare tenetur, ac proinde nulla est obligatio restituendi. Contra quos sit cum omnibus theologis.

## PROPOSITIO.

*Restitutio in re vel in voto absolute necessaria est ad salutem.*

*Prob.* 1° *Scriptura sacra.* Ezech. XXXIII, 14 : *Si autem dixero impio : Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, vita vivet et non morietur.*

Epistola B. Jacobi, V, 4 : *Ecce merces operariorum..... quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini Sabaoth.* Unde sic : Illud necessarium est sine quo impius non vivet, et cujus violatio dicitur clamare in aures Domini; voces enim illæ grave denotant peccatum : atqui, ex Ezechiele, impius non vivet, nisi pignus restituerit et rapinam reddiderit; ex B. Jacobo, transgressio hujus præcepti dicitur in aures Domini clamare : ergo.

*Prob.* 2° *ex S. Aug.*, Epist. 54, num. 153, ad Macedonium, quæ in jure canonico refertur, Decreto, part. 2, causa 14, q. 6, can. 1 : « Si res aliena propter quam pec- » catum est, reddi possit et non redditur, pœnitentia non » agitur, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non re- » mittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut » dixi, cum restitui potest. » Ergo.

*Prob.* 3° *ratione.* Lex naturalis clamat : *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis; Unicuique suum tribuendum est* : — a) hæc autem legis naturalis præcepta violantur quando res aliena non restituitur, cum restitui potest; — b) si non esset obligatio restituendi ablatum, jura essent vana ac illusoria, omnis ordo turbaretur; quod certe admitti non potest. Ergo.

Diximus *in re vel in voto* : aliquando enim impossibile est rem ablatam aut ejus valorem reddere; qui autem in

tali constituitur impossibilitate, a restitutione in re excusatur, sed a restitutione in voto nunquam excusari potest, id est semper firmum habere debet propositum restituendi quando poterit; si enim hujusmodi non haberet propositum, eo ipso affectionem ad rem malam retineret, sicque in peccato habituali versaretur. Ergo.

II. De natura obligationis restituendi. — *Quæritur* utrum præceptum restituendi sit affirmativum vel negativum.

*R.* Est simul affirmativum et negativum, et primario negativum : est affirmativum, nam aliquid faciendum jubet, scilicet rem alienam reddere; est etiam negativum, siquidem prohibet ne res aliena retineatur; primario est negativum : ideo enim rem alienam reddere tenemur, quia illam detinere prohibemur. Ergo.

*Hinc patet* 1° eum qui ad restitutionem tenetur statim restituere debere, si possit, et totum, si possit totum; si vero partem tantum restituere valeat, partem possibilem reddere non differat.

*Hinc patet* 2° illum eo magis peccare quo magis restitutionem, sine ratione sufficienti, differt, atque novum committere numero peccatum quoties expresse aut tacite propositum non restituendi renovat : expresse quidem, cum positive statuat alienum detinere; tacite vero, cum alienum se detinere advertens, illud restituere sibi non proponit : itaque declarare tenetur in confessione, et confessarius ab illo quærere debet — a) a quo tempore rem alienam detineat; — b) an eam semper vel totam, vel ex parte restituere potuerit; — c) an voluntatem eam retinendi pluries iteraverit.

*Hinc patet* 3° confessarium non debere eum absolvere qui, restitutioni obnoxius, firmum non habet propositum restituendi. Illi autem merito judicantur firmum non habere propositum restituendi, — a) qui facultatem illud faciendi comparare negligunt; — b) qui bis aut ter promiserunt se restituturos, et promissis defuerunt; — c) qui in articulo mortis restitutionem hæredibus suis faciendam committere volunt, cum illa per se ipsos facere

possent; — d) ii qui totum restituere possunt, et partem tantum restituere volunt.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

I. QUID ET QUOT SINT RADICES RESTITUTIONIS. — Radices restitutionis dicuntur illæ causæ propter quas restitutio est facienda. Ex triplici radice obligatio restituendi oriri potest, nempe ex ipsa re aliena injuste ablata et detenta, ex damno injuste illato, et ex violatione contractus aut quasicontractus; nam jus alterius triplici hoc modo violari potest : si res ejus auferatur et ei non reddatur, quia juxta notissimum juris axioma in ratione fundatum et ab omnibus admissum : *Res clamat domino :* si damnum illi injuste inferatur, v. g., si domus ejus incendatur; si contractus cum illo juste initus violetur, aut si res ipsius male tractetur.

II. QUÆRITUR AN EX SOLA JUSTITIA COMMUTATIVA OBLIGATIO RESTITUENDI ORIATUR. — *R. affirmative.* Nulla enim est obligatio restituendi, nisi jus strictum alterius violetur : at jus strictum non violatur nisi per actum contra justitiam commutativam, ut ex ipsius definitione patet. Ergo.

Sed dicendum est justitiam commutativam sæpe cum justitia legali, distributiva, aut etiam cum vindicativa conjungi; ibi enim adest justitia commutativa, ubi jus strictum inter unum et alterum existit; at in justitia legali sæpe jus strictum inter unum et alterum existit; sic 1° jus strictum habet princeps ut subditi hæc ipsi præstent sine quibus eos regere non posset, scilicet tributa, obsequia, quando requiruntur, etc. Subditi pariter jus habent ut princeps recte eos gubernet, et onera necessitatem publicam excedentia eis non imponant; societas pariter jus habet ut superior nullum ei inferat damnum, sed, e contra, bono ipsius invigilet. Sic 2° innocentes jus habent ut non puniantur; et nocentes ut non punian-

tur ultra culpam. Sic 3° parochiani pauperes jus habent, pro ratione suæ paupertatis, ad eleemosynas pauperibus ejusdem parochiæ ab aliqua persona destinatas, et a parocho, v. g., distribuendas.

Unde sæpe ex violatione justitiæ legalis distributivæ aut vindicativæ nascitur obligatio restituendi, quia simul justitia commutativa violatur : v. g., qui officia, sive ecclesiastica, sive etiam civilia, committit indigno, jus strictum societatis religiosæ vel civilis violat, damnum illi infert et ad illud reparandum tenetur. Nullam tamen debet restitutionem digniori quem eligere debuisset : ita saltem numerosior et sanior pars theologorum. Qui enim eligi debuisset, jus ad officium ante collationem non habuit, alioquin illud tanquam rem suam petere, et coram judicibus exigere potuisset; quod nemo affirmare auderet. Præterea, ideo jus strictum ad illud officium haberet quia est aptior : verum hæc qualitas jus illi non confert; alioquin artifex peritior jus strictum haberet ut in labore cæteris anteponeretur, quod evidenter falsum est. Ergo. Sic Lessius, l. II, cap. 35, n. 72; card. *de Lugo*, d. 35, n. 75, et *Vogler*, n. 215, cum multis aliis.

III. Quæritur utrum obligatio restituendi semper supponat culpam. — *Notandum* duplicem distingui culpam, videlicet theologicam et juridicam.

Culpa theologica ea est qua Deus offenditur, seu est peccatum, sive mortale sive veniale.

Culpa juridica est debitæ diligentiæ omissio qua damnum infertur. Olim distinguebantur culpa lata, culpa levis et culpa levissima; sed hæc distinctio nunc accepta non videtur. Illa prætermissa, lex simpliciter dicit culpam juridicam esse eam quam admittit homo qui circa bonorum suorum administrationem vel aliorum jura servanda, non se habet tanquam bonus paterfamilias. Vetus tamen distinctio aliquoties inservire potest.

*R.* 1° Obligationem restituendi non semper supponere culpam : qui enim rem alienam detinet, eam restituere tenetur : at fieri potest ut quis rem alienam sine ulla culpa habeat, v. g., si ovis gregi ejus se immiscuerit, vel

si equum alienum conscenderit, ut e manibus latronum facilius se eriperet; pariter, si ex conventione, obligationem sibi imposuit rem alienam, etiam casu fortuito perituram, reddendi : in omnibus his casibus ab omni culpa est immunis, et tamen ad restitutionem tenetur. Ergo.

*R.* 2° cum maxima theologorum parte, nullam esse obligationem, extra contractum, reparandi damnum sine ulla culpa theologica illatum.

*Prob.* Actio qua damnum alteri infertur, non potest ab omni culpa theologica immunis esse, nisi in duplici casu, nempe, vel quia agens jus ad illam actionem habet, vel quia non prævidit nec prævidere potuit damnum alterius inde secuturum esse : at in neutro casu existit obligatio damnum reparandi. Non in priori; nulla est enim obligatio damnum reparandi nisi jus alterius strictum violetur; sed jus alterius violari non potest per actionem ad quam faciendam agens jus habet, quia jura naturalia opposita esse non possunt. Non magis in posteriori casu; damnum enim de quo hic agitur imputari non potest agenti; censetur advenisse per accidens. *Ita generaliter theologi.* Vide *Vogler,* n. 93.

*Hinc* 1° ut quis damnum reparare teneatur, non sufficit quod illius fuerit causa efficax, sed insuper requiritur ut voluntarie illud intulerit. 2° Omissio diligentiæ debitæ obligationem damnum reparandi non imponit nisi fuerit voluntaria; sine voluntate enim nullum est peccatum. 3° Hoc admitti non debet axioma : *Suum cuique factum nocet*, nisi factum illud, quatenus est damnificativum, a libera voluntate procedat. 4° Non magis valet alterum istud adagium : *Melior est conditio innocentis*, nam qui damnum infert, est etiam innocens, siquidem, ex hypothesi, non peccavit.

Attamen, possunt esse leges positivæ quæ statuant restituendum esse, etiamsi non adfuerit culpa theologica, sed tantum culpa juridica, et quibus omnes in conscientia obedire teneantur. Leges enim hujusmodi justæ sunt; per se et ante omnem eventum omnes æqualiter obligant,

bonum promovent, et non falsa præsumptione facti, sed motivis extrinsecis boni publici nituntur.

Leges autem illæ non obligant ante sententiam judicis; id enim non est necessarium ad scopum intentum, nimis durum foret, verbis legis non exigitur, et revera non requiritur neque a theologis, neque a jurisperitis. Vide Lessium, l. II, cap. 7, n. 50; card. *de Lugo*, dist. 8, n. 49; *Vogler*, n. 93, etc.

Attamen si ageretur de re clara, et si damnificatus certo recurrere vellet ad judicium ut jus suum evidens prosequeretur, non exspectanda esset, saltem ex charitate, sententia judicis, sed statim restituendum foret.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### QUINAM AD RESTITUTIONEM TENEANTUR, ET QUID AC QUANTUM RESTITUERE DEBEANT?

Triplex est radix restitutionis, ex dictis, nempe res aliena detenta, damnum injuste illatum et violatio contractus aut quasi-contractus. De obligatione restituendi, ex contractu aut quasi-contractu orienti, in speciali *de Contractibus* Tractatu agemus; nobis igitur nunc dicendum est de iis qui ad restitutionem tenentur, sive ratione rei alienæ detentæ, sive ratione damni injuste illati: Hanc quæstionem in tribus solvemus articulis: 1^us^ erit de possessione rei alienæ; 2^us^ de injusto damnificatore; in 3^o^ examinabimus quantum singuli damnificantes restituere debeant, et in quo ordine.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE POSSESSORE REI ALIENÆ.

Possessio definitur in novo Codice, articulo 2228 : *La détention ou la jouissance d'une chose ou d'un droit que nous*

*tenons ou que nous exerçons par nous-mêmes, ou par un autre qui la tient ou l'exerce en notre nom.* Hanc definitionem in propria Codicis lingua referendam esse duximus, quia eam in linguam latinam accurate vertere sat difficile nobis videtur.

Possessor autem rei alienæ potest esse vel bonæ, vel malæ, vel dubiæ fidei. Est bonæ fidei, si post adhibitam sufficientem diligentiam, prudenter judicat et credit rem esse suam; est malæ fidei, quando advertit aut advertere potuit rem quam detinet esse alienam; est autem dubiæ fidei, si quædam ipsi adsint rationes dubitandi an res sit sua vel aliena. De his in tribus paragraphis dicemus.

### § I. — De possessore bonæ fidei.

Certum est possessorem bonæ fidei non peccare quandiu bona ipsius fides perseverat, atque sine ullo peccato de re aliena sicut de sua disponere posse, eam donando, vendendo, etc... Jura autem ejus et obligationes diversa sunt, seu quoad rem, seu quoad fructus, quando bona fides cessat, quæ enumerare expedit.

I. Jura et obligationes possessoris bonæ fidei, quoad rem. — Certum est eum rem alienam reddere teneri statim ac advertit non esse suam, nisi tempus ad legitime præscribendum sit completum, et aliæ inveniantur conditiones ad hoc requisitæ. Sed quædam in praxi suboriri possunt difficultates quas enumerare oportet.

*Quæritur* 1°. Quid possessor bonæ fidei agere debeat, si rem non habeat quando illius dominum agnoscit.

*R.* Vel rem consumpsit, vel periit, vel illam donavit, vel vendidit. 1° Si illam consumpserit, vel inde rebus suis pepercit, vel non. Si prius, tantum restituere tenetur quantum rebus suis pepercit; si enim rem alienam adhuc possideret, eam reddere teneretur : ergo id quod eam repræsentat reddere debet. Si rebus suis non pepercerit, ad nihil tenetur cum rem alienam non habeat, nec eam consumendo injuriam domino fecerit.

2° Si res perierit, ad nihil tenetur, propter rationes expositas.

3° Si donata fuerit, vel existit, vel non : si existat, donatarius qui tunc eam habet, eam domino reddere tenetur, quia dominium in illam non acquisivit. Si non existat, aut donatarius eam consumendo rebus suis pepercit, et id ex quo ditior factus est restituere debet; aut rebus suis non pepercit, et ad nihil tenetur, ob rationes superius expositas. Si ipse donator rebus propriis, rem alienam donando, pepercerit, id est, si quid aliud certo dedisset, id proprietario dare debet, quia ex hoc factus est ditior.

Ratio tamen est dubitandi quia de facto et per accidens nihil donavit, nec proprie re aliena sed sua quam servavit ditior factus est. Sic *Carrière*, n. 371.

4° Si res a possessore bonæ fidei vendita fuerit, rursum vel existit, vel periit. Si existat, emptor eam reddere tenetur, quia *Res clamat domino*, et recursum in venditorem habebit ut pecuniam suam recuperet. Sed juxta jus novum, si emptor rem illam in foro publico vel ab homine res hujusmodi publice vendente emerit, eam domino reddere non tenebitur, nisi pretium quo eam emit prius ab illo sibi solutum fuerit. *Cod. civ. art.* 2280. Dominus autem pretium istud a venditore repetere poterit.

Si vero emptor non appareat, aut reddere nolit, nec ad id cogi possit, non tenetur venditor erga dominum juxta multos, aliis tamen contradicentibus, quia dominus jus non habet contra venditorem, nisi ex lege in casu evictionis. Imo juxta *Lessium*, *S. Ligorium* et *Gury*, n. 638, non tenetur venditor monere dominum, ut rem suam recuperare possit; nec indicare emptori rem alienam esse, si id detegat post venditionem bona fide peractam, quando eum admonendo, pretii accepti amittendi subiret periculum.

Si vero res non existat, sed pretium ejus servatum fuerit a venditore, ad quem pertineat pretium illud multum disputant theologi. Nobis probabilius videtur ven-

ditorem non teneri neque erga dominum, neque erga emptorem. Non erga dominum qui jus non habet nisi in furem et detentorem; nullum enim patitur damnum ex eo quod res sua per manus tertii transierit. Aliunde, non inde ditior factus est venditor, pretium enim accepit in compensationem pretii quod emendo dedit. Insuper durissimum foret, inquit *Gury*, ut ille qui nec rem alienam habet, nec ex ea ditior factus est, obligetur ad tantum incommodum sponte subeundum. Sic *D. Gousset*, n° 929. — Non item tenetur erga emptorem, qui rem accepit, non fuit evictus, nec ullum damnum passus est ex eo quod contractus in initio fuerit nullus. Unde dici potest interitum rei, qui efficit ut evictionis locus non supersit, simul efficere ut res censeatur fuisse emptoris, ac proinde ipsi perierit. Sic *Carrière*, n° 370.

Advertendum est hoc casus sæpe difficile et non sine magna attentione solvi posse, quia fieri potest ut adsint plures possessores successivi, alii bonæ alii malæ fidei, alii venditores aut emptores, alii donatores aut donatarii. Principia pro his variis posita tam sedulo et diligenter quam possibile est perpendenda et applicanda sunt.

*Quæritur* 2° utrum possessor bonæ fidei, qui rem alienam dono accepit vel mediocri pretio comparavit, et eam summo vendidit pretio, auctarium pretii domino reddere teneatur.

*R.* Multi negant, alii vero multi affirmant : sententia affirmans probabilior nobis videtur; auctarium enim istud non ex sola industria, sed etiam, et sæpe præcipue, ex re ipsa procedit : v. g., qui equum quinquaginta aureis emit, et in alio loco ductum centum aureis vendit, auctarium habere non potest ut merum industriæ suæ fructum; sua quidem industria equum in alium locum duxit, sed ibi ductus, talis per se erat valoris : id solum ergo retinere potest quod industriæ suæ respondet, id est, expensas quas fecit, et pretium labori suo proportionatum, juxta viri prudentis judicium : secus tamen dicendum, si lucrum istud labori extraordinario tribuendum foret.

*Quæritur* 3° utrum qui rem furtivam in bona fide

emit, possit, ubi advertit illam fuisse ablatam, eam furi remittere ut pecuniam suam recuperet, an vero eam domino reddere teneatur.

*R.* 1° Rem furi non debet reddere emptor, si dominus compareat rem suam repetens: quia dominus, vi juris quo privari non potest, eam statim occupare potest ubicumque inveniat.

*R.* 2° Potest e contra rem furi remittere, si fur eam sit domino restiturus, aut dominus eam e manibus ejus facile possit eripere : dominus enim rationabiliter invitus esse non posset, siquidem damnum inde non pateretur; hinc axioma : *Quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere.*

*R.* 3° Si furi reddi non possit quacumque ex causa, nec dominus compareat eam repetens, emptor interea rem alteri vendere non potest nec in usus suos convertere, ut se indemnem conservet, dominus enim jus in illam habet, et jure isto privari non potest absque injustitia, item vendi non posset quin novo emptori injuria fieret, qui, dato pretio, dominium rei tamen non acquireret.

*Quæritur* 4° an qui rem furtivam domino reddit exigere possit ut sibi reddatur pretium solutum.

*R.* 1° Si emptor rem vili pretio emisset, sciens eam esse furtivam, cum expressa voluntate eam domino reddendi, dominus teneretur hoc vile pretium illi refundere, quia in hoc casu rem alienam quasi ex commissione emptor utiliter gessisset; secus autem si eam maximo pretio redemisset.

*R.* 2° Ex legis dispositione, si emptor rem in foro publico, vel ab homine res hujusmodi vendente emerit, eam domino reddere non tenetur, nisi pretio ejus sibi soluto, ut jam exposuimus. *Cod. civ. art.* 2280. Dici autem non potest hanc legem esse injustam, favet quippe commercio et bono publico, paci et tranquillitati possessionum est ultissima.

*R.* 3° Extra illos casus pretium solutum non potest repetere emptor supradictus. Res enim non cessavit domini esse quia ipsi ablata est, nec damnum ex hoc ori-

tur possessoris quod rem alienam reddat, sed quod eam a fure emerit. *Carrière*, n° 375.

II. JURA ET OBLIGATIONES POSSESSORIS BONÆ FIDEI QUOAD FRUCTUS. — *Quæritur* an possessor bonæ fidei fructus quos, durante bona fide, ex re aliena percepit, restituere teneatur.

*Notandum est* quadruplicis generis esse fructus, videlicet naturales, industriales, mixtos et civiles. Fructus naturales sunt illi qui ab ipsa re sponte producuntur, ut fenum in pratis, lignum in silvis, fructus in arboribus, etc. Fructus industriales illi sunt qui ex sola possessoris industria proveniunt, et quorum res aliena est solummodo instrumentum, ut lucrum ex pecunia. Fructus mixti sunt illi qui partim ex re possessa, partim ex possesoris industria proveniunt, ut segetes. Fructus civiles appellantur illi qui a lege inter fructus reputantur, quamvis revera fructus proprie dicti non sint : tale est pretium locationis alicujus rei, v. g., equi, domus, etc. *His prænotatis.*

*R.* 1° Possessorem bonæ fidei non teneri fructus industriales reddere : nam fructus ad eum pertinent ad quem tota causa fructifera pertinent : atqui tota causa fructuum mere industrialium ad possessorem pertinet, siquidem ex sola ipsius industria proveniunt. Unde qui ex aliena pecunia negotiando ingentes comparavit divitias, nihil ex his domino pecuniæ debet.

*R.* 2° Possessor bonæ fidei debet, jure naturali, omnes fructus, sive naturales, sive civiles, sive mixtos, in quantum ii sunt naturales, deducendo suas expensas, restituere; jure naturali enim ad eum pertinent fructus ad quem causa fructifera pertinet : causa autem hujusmodi fructuum ad dominum rei pertinet. Inde prodiit axioma : *Res fructificat domino.* Si fructus in bona fide consumpti fuissent, ad nihil teneretur possessor, nisi inde ditior factus esset.

In novo jure, omnes prædicti fructus possessori bonæ fidei assignantur, *Cod. civ. art.* 549, et communius dicunt auctores hanc dispositionem valere pro foro interno, quia

lex dominium hujusmodi fructuum ad possessorem, intuitu pacis et securitatis familiarum transfert. Sed, ex art. 550, possessor non reputatur bonæ fidei, nisi rem tanquam proprietarius possideat, et ex titulo qui de natura sua dominium transmittere valeat.

Possessor bonæ fidei nihil repetere potest pro impensis *ordinariis*, seu usufructuariis, quæ ipsa fruitione compensantur. Dominus valorem impensarum *necessariarum* cuicumque possessori refundere debet, ne ex alieno ditetur. Sub jure romano, hujusmodi impensæ compensabantur per fructus perceptos. *Delvincourt*, putat id sub jure nostro non esse admittendum, et citat. art. Cod. 862. Impensas *utiles* dominus compensare debet, solvendo pro suo arbitrio, vel laboris pretium, vel rei valoris augmentum. Tandem possessor nihil exigere potest pro impensis *voluptuariis*, eas vero auferre potest, modo rem in eo statu in quo eam accepit relinquat; si eas auferre non possit, et dominus ditior evadat, ille ex æquitate eas refundere debet. Semper autem earum valorem repetere potest a venditore malæ fidei, ex *art.* 1635.

### § II. — De possessore malæ fidei.

I. Obligationes et jura possessoris malæ fidei quoad rem. — Possessor malæ fidei ad id ratione rei acceptæ tenetur ad quod possessor bonæ fidei obligatur, et hæc obligatio latius etiam extenditur ut patet. Unde rem ipsam restituere debet, si existat; aut ejus valorem, si eam vendiderit, consumpserit vel donaverit.

*Quæritur* 1° an possessor malæ fidei restituere teneatur valorem rei furatæ, quæ apud ipsum periit et similiter apud dominum periisset.

Priusquam responsio detur, ea notanda sunt quæ apud omnes habentur ut certa.

1° *Certum est* possessorem malæ fidei ad restitutionem teneri, si res quæ apud ipsum periit apud dominum injustitia alicujus tertii periisset; tertius quippe obligatio-

nem restituendi contraxisset : ergo qui eum prævenit eamdem obligationem contrahit.

2° *Certum est* eum qui res alienas ab imminente excidio servavit, v. g., equum ab incendio, merces a naufragio, ovem a faucibus lupi, etc., et deinde injuste apud se detinuit, eas postea restituere teneri, etiamsi casu fortuito perierint ; dominus enim jus habet in res suas in quocumque statu sint positæ ; jure autem illo sine injustitia privari non potest : qui tamen res ita servatas cum animo eas retinendi asportavit, dominum jure suo stricto, saltem aliquo tempore, privavit, sicque fuit possessor malæ fidei : ergo sortem rei in se suscepit, ac proinde illam aut illius valorem repræsentare tenetur.

3° Velut communius et probabilius admittimus illum ad restitutionem non teneri, qui subripuit rem certo apud dominum perituram, quæ eodem casu apud ipsum periit ; tunc enim furatur rem quæ nullius est valoris respectu domini nec apud se valorem cœpit habere, cum eodem casu moraliter periisse supponatur : ergo nullam injuriam de facto intulit domino.

Hinc — a) qui furatur equum ita morbo laborantem ut manifeste sit periturus, si revera pereat, ad nihil tenetur ; item qui subripit acervum trictici ab hostibus certo auferendum, si reipsa ab iisdem eodem tempore auferatur.

Hinc — b) si probabiliter tantum res peritura fuisset, major vel minor facienda esset restitutio, habita ratione periculi, secundum determinationem viri prudentis.

Nunc petitur ad quid teneatur ille qui furatur rem quæ non apparebat peritura, quæ tamen apud ipsum perit eodem casu quo certe apud dominum periisset.

Circa hanc difficultatem inter se disputant theologi ; alii enim affirmant, alii negant prædictum furem ad pretium rei restituendum teneri.

Si res vitio intrinseco tempore ablationis existenti apud furem pereat, et similiter apud dominum certo periisset, fur ad restitutionem teneri non videtur ; nullum enim de facto intulit damnum ; revera, si res venderetur, non emptori in eo casu, sed venditori periret, quia nullius

fuisse valoris tempore contractus merito judicaretur : ergo, a pari, nec res furata tempore ablationis. Secus, si periret casu fortuito. Vide *Cod. civ. art.* 1647.

Quocumque modo res furata perierit, pretium ejus refundere debet fur, juxta *Cod. civ. art.* 1302. Si tamen eodem casu et eodem tempore, prout supra dictum est, apud dominum periisset, fur pretium ejus domino solvere non teneretur ante sententiam judicis, quia realiter damnum ei non intulisset. Sic plures inter quos *Duranton*, card. *Gousset*, etc.

*Quæritur* 2° ad quid teneatur fur si res varii fuit valoris pro vario tempore quo eam possedit, v. g. : pullus crevit, factus est equus generosus; postea decrevit et factus est equus contemnendus ; frumentum cujus pretium crevit et deinde decrevit, etc.

*Certum est* 1° rem apud furem deteriorem factam, restituendam esse secundum valorem quem habebat tempore quo fuit ablata, nisi eodem modo deterior facta fuisset apud dominum. Hæc responsio ex præcedenti sequitur.

*Certum est* 2° rem apud injustum possessorem auctam, sive intrinsece, sive extrinsece, domino restituendam esse cum omnibus incrementis suis hic et nunc existentibus; res enim in quocumque sit statu semper ad dominum pertinet.

3° Si dominus rem vendidisset aut consumpsisset tempore quo sibi ablata est, et fur eodem tempore eam ipse vendiderit vel consumpserit, tenetur duntaxat restituere valorem quem res habebat tempore quo eam furatus est; non aliud enim damnum domino intulit.

4° Si res apud furem creverit ac postea decreverit, et constet dominum illam tempore majoris pretii venditurum aut consumpturum fuisse, fur ad totum majus pretium reddendum teneretur, alioquin totum damnum domino illatum non repararet. A fortiori si ipse tempore majoris pretii rem vendiderit aut consumpserit.

Tota igitur difficultas est, an possessor malæ fidei teneatur restituere rem secundum majorem valorem quem

apud se habuit, etiamsi constet dominum illam neque venditurum, neque consumpturum, sed usque ad tempus minoris pretii reservaturum fuisse.

Circa hanc difficultatem quinque aut sex numerantur theologorum opiniones, quæ non parum intricatæ sunt.

Nobis consentaneum videtur, si res reddatur secundum valorem quem habebat tempore quo furata est, addita justa compensatione pro damno aliunde illato, vel pro lucro cessante; non tenetur enim fur nisi in quantum ex re aliena ditesceret, aut dominus damnum pateretur; porro re sic composita nec ipse possessor malæ fidei ditescit, nec dominus damnum patitur: non videtur ergo cur de summo valore teneretur.

II. Obligationes et jura possessoris malæ fidei quoad fructus et expensas. — Possessor malæ fidei tenetur omnes restituere fructus, sive naturales, sive civiles, sive mixtos, quatenus sunt naturales, quia res fructificat domino. *Cod. civ. art.* 549. Fructus autem mere industriales restituere non tenetur, quia causa illorum fructifera ad ipsum pertinet, licet malæ sit fidei. Hinc thesaurarii, quæstores, receptores, telonarii et alii similes, qui ex pecuniis alienis sibi commissis vel apud se depositis lucrum faciunt negotiando, cambiando, ludendo, etc., hujusmodi lucrum restituere non tenentur: peccant tamen contra fidelitatem et obedientiam, si hæc invito domino faciant; sed non contra justitiam commutativam.

Possessor malæ fidei tenetur insuper quodcumque damnum emergens et lucrum cessans reparare; justitiæ enim commutativæ perfecte satisfacere debet, ac proinde efficere ut proprietarius in eodem statu reponatur in quo esset, si res ipsius ablata non fuisset: porro hæc æqualitas restitui non potest, nisi omne damnum reparetur. Dispositio hæc quam ipsa ratio dictat, statuitur in Codice civili, articulo 555. Itaque possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus quos dominus percepisset, quamvis ipse eos non perceperit, et omne lucrum quod dominus fecis-

set, etsi ipse nullum fecerit. Non autem tenetur de lucris quæ alia persona fecisset, sed non dominus.

*Quæritur* utrum possessor malæ fidei deducere et retinere possit expensas quas in re conservanda aut melioranda fecit.

*R.* 1° Si expensæ a re aliena absque detrimento separari possint, omnes fatentur possessorem malæ fidei eas auferre posse. Tabellæ, v. g., aut specula quæ domus alienæ parietibus fuerunt apposita, non ideo cessant esse apponentis, etiamsi hujus domus possessor malæ fidei fuerit.

*R.* 2° Satis conveniunt doctores dominum rei aliquid ex naturali æquitate possessori malæ fidei solvere teneri pro expensis necessariis vel utilibus in re servanda factis quas ipse facere debuisset : si enim jus habet ut rem suam obtineat integram, jus non habet ut ex detrimento furis ditior existat : ergo.

*R.* 3° Si expensæ etiam necessariæ per justam judicis sententiam domino in vindictam delicti assignentur, nihil possessor malæ fidei secreto sibi retinere potest; nam sententia justa in foro conscientiæ et coram Deo obligat : porro hæc sententia dici non potest injusta : ergo.

An autem, seclusa judicis sententia, possessor malæ fidei possit valorem expensarum suarum ex pretio, quod restituere debet, secreto deducere, divisi sunt theologi. Lessius, l. II, cap. 12, n. 101; card. *de Lugo*, d. 17, n. 16; *Pontas*, v° *Rest.*, cas. 188; *Billuart* et communius alii affirmant; cum quibus

*R.* 4° Probabilius est, attento jure naturali, possessorem malæ fidei valorem expensarum necessariarum vel utilium quas in re servanda ut melioranda fecit, per seipsum secreto deducere posse; nam ex commissione domini rationabiliter præsumpta egisse censetur, quia rationabiliter præsumitur dominum velle ut fur, ex hypothesi quod non restituat, rem conservet integram, et, quantum possibile est, eam augeat.

Præterea, si possessor malæ fidei pretium dictarum

expensarum deducere non posset, plura inde sequerentur absurda, v. g. : si quis furatus esset ovem quæ, pluribus annis apud se detenta, plures alias oves dedisset, et istæ iterum agnos produxissent? aut gallinam quæ ova edidisset et multorum facta esset mater pullorum qui alios multos dedissent, etc., post aliquot annos plura forsitan francorum millia restituere teneretur pro una ove aut una gallina furata : illud autem absurdum est : ergo.

III. De prædis militum quæstio subintroducta. — *Quæritur* utrum milites retinere possint bona quæ in bello obtinuerunt, vel in urbis deprædatione diripuerunt.

Quæstio hæc in praxi frequenter olim occurrit solvenda; innumeri enim exstabant in Gallia milites qui hujusmodi bona diripuerant, vel damna ejusdem generis intulerant : nunc quidem rarius inveniuntur. Cum autem quæstio semper sit gravis momenti, ad eam elucidandam curandum est.

*R.* 1° Non magis militibus quam aliis hominibus furare licet : *Contenti estote stipendiis vestris*, inquit S. Joannes, Luc. III, 14 : id ergo omne restituere debent quod propria auctoritate, sive apud suos concives, sive apud hostes, sibi arrogaverunt, sicut et ea tenentur reparare damna quæ sic intulerunt, neque eos excusaret ducum auctoritas vel dissimulatio, si evidenter injusta esset. Ad restitutionem tamen obligati non judicantur, si, deficiente aut diminuto stipendio, ea tantum sumpserint vel sibi dari jusserint, quæ ad victum et vestitum stricte necessaria erant : nam tunc domini rationabiliter inviti esse non possunt. Duces autem qui stipendium retinuerunt, vel illius solutionem injuste distulerunt, omnia tenentur reparare damna inde militibus provenientia, vel etiam privatis qui hac occasione spoliantur.

*R.* 2° In bello justo, princeps jure gentium acquirit dominium omnium bonorum quæ vi prælii contra hostes occupantur aut capiuntur, ut sunt urbes, castra aliaque bona immobilia ad rempublicam pertinentia, qualia sunt

pariter bona mobilia militum et exercitus hostium; hæc enim bona in bello justo ab hostibus merito auferuntur, ut apud theologos et eos qui de publico jure tractant certo constat : ad principem igitur victorem pertinent; vel enim ad principem victorem pertinent, vel ad milites ejus : sed milites omnem potestatem suam tenent a principe : nihil ergo de bonis hostium sibi retinere possunt, nisi ex consensu principis saltem rationabiliter præsumpto. Ita *Pothier, Traité du droit de propriété*, 1ª parte, cap. 2, art. 1, paragr. 2.

Sed aliquando, imo ordinarie, dux exercitus, de consensu imperatoris saltem præsumpto, partem bonorum apud hostes captorum militibus suis occupandam expresse vel tacite relinquit, v. g., occisorum spolia : tunc milites neutiquam peccant hæc bona prout sibi occurrunt capiendo. At contra justitiam peccarent, si alia bona non ita sibi concessa diriperent, qualia sunt arma aliaque belli instrumenta, annonæ, pecunia in ærariis publicis contenta, vel ad publicum ærarium pertinens, etc.

Ipsi innocentes, qui sunt pars reipublicæ hostilis, bonis suis juste spoliari possunt, si pacis vel satisfactionis necessitas id exigat. Sic admittit consuetudo ubique jure gentium introducta, licet christianæ charitati parum congruens videatur.

Hinc, quando princeps, vel vices ejus in exercitu gerens, urbem apud hostes captam tradit in direptionem, milites contra justitiam non peccant cives illius urbis spoliando. Hospites autem et extraneos spoliare non debent, nisi forte hostibus faverent, ut si arma bellica et annonas ad ipsos deferrent; similiter ecclesias spoliare non licet, quia illarum bona ad rempublicam non pertinent, sed Deo sunt dicata, proindeque sacrilegii et injustitiæ rei forent, qui ea diriperent. Attamen si hostes ecclesiis uterentur ad se tegendos, ad bellum acrius sustinendum aut continuandum, illas evertere ac etiam incendere et destruere liceret. Ita pro diversis his casibus Sylvius, in 2 2, q. 40, *Quæritur* 6; Collator Andeg., *Etats*, t. III, p. 56; *Billuart*, etc.

Item contra justitiam peccare non judicantur qui legitime missi vel approbati, excursiones contra populos reipublicæ hostilis faciunt, eosque bonis temporalibus quantum possunt exspoliant; tales sunt vulgo *les partisans* in terra, *les pirates* in mari. Qui tamen auctoritate sua hæc etiam in tempore belli justi facerent, ad restitutionem tenerentur; a solo enim principe, qui juste bellum indicit, derivatur potestas hostibus directe nocendi. Ergo.

*R.* 3° Si forte bellum, ut pluries accidit, evidenter injustum esset, quicumque ad illud positive concurrunt, omnia diversorum generum damna quæ inde provenirent reparare tenentur, et quidem sæpius in solidum, secundum quod infra, art. 3, dicimus. *A fortiori* milites qui in hujusmodi bello, sive jussu, sive absque jussu ducum, aliqua diripuerunt bona, ea ex integro restituere debent ipsismet proprietariis, si cognoscantur, vel pauperibus, si proprietarii ignorentur aut si ad ipsos restitutio transmitti nequeat. At in illo casu, multum saltem conveniens foret ut restitutio ista ad episcopos, parochos aut magistratus locorum, in quibus damna fuerunt illata, transmitteretur, ac pauperibus eorumdem locorum distribueretur; merito enim judicatur talem esse voluntatem eorum qui damna hæc passi sunt.

Vi contractuum pacificationis, et ne pax publica turbetur, quicumque in Gallia pro diversis guberniis etiam injustis olim militaverunt ipsisque servierunt, minime in praxi inquietantur, nec damna inde secuta reparare jubentur, nisi ex propria auctoritate ea intulerint, vel ditiores ex iis facti sint.

### § III. — De possessore dubiæ fidei.

Possessor dubiæ fidei ante omnia tenetur inquirere cum majori vel minori diligentia, prout res majoris vel minoris est pretii, quisnam verus sit ejus dominus. Interea semper debet esse paratus ad rem domino, si appareat, reddendam; et si eam vendat de dubio existente monere debet emptorem.

Duplici modo aliquis possessor dubiæ fidei esse potest, scilicet 1° si rem aliquam possidere incipiat, dubitans an revera sit sua nec ne ; 2° si ipsi rem aliquam ut suam bona fide possidenti exsurgat dubium de legitimo titulo.

I. De dubio cum possessione incipiente. — Si rem, cum dubia fide, possidere incipiat et ut suam retineat, graviter peccat; evidenti namque periculo rem alienam possidendi sese exponit. Quam primum igitur inquirere debet cujusnam vere sit; si comperiat aut multo probabilius judicet rem alterius esse, eam illi reddere debet, quia rem alienam retinere non licet : si vero, adhibita sufficienti diligentia, multo probabilius judicet rem esse suam, tuto eam retinere potest. Ita *Collet* et communiter alii.

Si denique post sufficientem inquisitionem, dubium remaneat, rem inter se et alium dividere debet, juxta dubii rationem, ita ut major pars ei tribuatur pro quo major stat probabilitas ; æquitas enim postulat ut in dubio innocens re, ad quam forsitan jus habet, totaliter non careat; similiter injustum esset possessorem, etiam dubiæ fidei, re quæ forte ejus est, omnino spoliari. Ergo.

II. De dubio post possessionem incipiente. — Si dubium aliquod ipsi jam possidenti superveniat, adhibere debet diligentiam proportionatam rei quam detinet, ut verum detegat dominum; si dominus detegatur, totum illi reddendum est; si vero adhibita sufficienti diligentia, dubium remaneat, nec ulla spes illud excutiendi affulgeat, res pro ratione dubii dividenda est, quemadmodum, ubi de præscriptione, p. 44, diximus ; in utroque enim casu possessor ut dubiæ fidei habendus est.

Et tamen cum res sit valde controversa, non damnamus eos qui arbitrantur possessorem in dubio rem habitam retinere posse, donec eam non esse suam agnoscat, secundum axioma : *Melior est conditio possidentis*, in utroque jure admissum.

Qui in mala fide possessionem incœpit, si postea propter veras, etsi insufficientes, rationes adverteret rem forsitan esse suam, ei æquiparandus est qui possidere incœ-

pit cum dubia fide. Qui e contra dubitans rem accepit vel dono vel emptione aut successione ab aliquo qui bona fide possidebat, non differt ab eo cui jam possidenti dubium supervenit; jure enim sui auctoris seipsum tueri potest. Qui autem cum dubia fide cœpit possidere eodem modo tenetur quoad restitutionem ac ipse possessor malæ fidei; id est præter rem alienam aut ejus valorem debet fructus quos percepit reddere, damnum reparare, etc... Ita *Sylvius, Billuart.*

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE INJUSTO DAMNIFICATORE.

Certum est apud omnes eum qui damnum injuste alteri infert, sive immediate, sive mediate, sive quolibet alio modo, illud totum reparare teneri, quia jus illius strictum lædit.

Triplici modo aliquis damnum alteri inferre potest, scilicet 1° immediate et per se ipsum, v. g., aliquem propriis manibus occidendo; 2° mediate et per alios, v. g., jubendo, suadendo, etc., ut aliquis occidatur; 3° alterum a consecutione alicujus boni impediendo. De his in tribus sequentibus paragraphis agemus.

#### § I. — De his qui immediate damnum alteri inferunt.

De contractuum violatione hic non agitur, nec ideo de obligatione damnum per hujusmodi violationem illatum reparandi.

I. De conditionibus requisitis ut daminificatori exsurgat obligatio restituendi. — Ut quis, extra contractum aut quasi-contractum, damnum quod intulit reparare teneatur, quatuor requiruntur conditiones, videlicet : 1° ut actio ipsius sit positiva, 2° injusta, 3° damni efficax, 4° theologice culpabilis.

1° *Debet esse positiva*; repugnat enim nos teneri, extra

contractum aut quasi-contractum, vel etiam extra casum obligationis natura fundatæ, v. g., patris erga filios, resarcire damnum, præcise quia illud non impedivimus; alioquin jure naturali teneremur ex justitia bonum alterius procurare aut malum ejus avertere : hoc autem nemo admittit, cum omnes homines jure naturali sint æquales, et a se invicem independentes.

Dixi extra specialem obligationem; nam fieri potest ut aliquis teneatur ex contractu, quasi-contractu aut aliqua obligatione naturali. Hujusmodi obligatione stricte tenentur parentes erga filios. Hinc intelligitur quomodo cooperantes negative aliquando ad reparationem teneantur; tunc enim eorum obligatio oritur ex pactis vel ex specialibus officiis, ut infra dicemus.

2° *Debet esse injusta*; damnum enim proximo illatum reparare non tenemur, nisi quatenus jus illius strictum fuit violatum : at jus strictum proximi per actionem justam violari non potest; alioquin darentur jura hinc et inde opposita, quod manifeste repugnat; ergo.

Hinc actiones quibus violatur virtus aliqua, a justitia distincta, v. g., virtus religionis, charitatis vel etiam justitiæ sive legalis, distributivæ aut vindicativæ, etsi oram Deo peccaminosæ sint, non tamen onus restituendi inducunt; quia jus alterius strictum non violatur, nisi, ut jam notavimus, in his aliquo modo justitia commutativa simul concurrat. — Hæc insuper affertur ratio apud *D. Carrière*, n° 314. In aliis virtutibus, transacta occasione, non amplius subsistit motivum quo fundatur earum obligatio. Sic si teneor cuidam succurrere, transacta necessitate, non amplius subsistit motivum; et si necessitas perseveret, teneor non per modum restitutionis, sed eodem modo ac si nunc primum inciperet necessitas. Sed cum justitia stricta tendat ad tribuendum unicuique quod suum est, seu ad statuendam æqualitatem, motivum illud semper perseverat, postquam justitia fuit violata, quia subsistit inæqualitas donec injuria reparata fuerit.

3° *Debet esse damni efficax*, nam ut quis damnum reparare teneatur, non sufficit illum intentionem nocendi

habuisse, sed insuper requiritur ut damnum revera intulerit, siquidem jus alterius per solam intentionem, absque externo opere, non violatur. Ergo.

Hinc ad consituendam obligationem damnum reparandi, non sufficit nec requiritur *causa sine qua non*, quæ de facto in actionem damnificativam non influxit; non *causa mere occasionalis*, quæ ad inferendum damnum nullo modo cooperatur; nec *causa accidentalis*, quæ damnum secuturum non habuit in mente, nec prævidere potuit saltem ut probabile.

4° *Debet esse theologice culpabilis*; superius enim probavimus nullam esse obligationem, extra contractum, reparandi damnum absque culpa theologica illatum. Ergo.

II. Ponuntur et solvuntur dubia quæ ad supradictarum conditionum adimpletionem spectant.

*Quæritur* 1° utrum artifices et professionem quamdam exercentes, ut cæmentarii, lignarii, advocati, medici, chirurgi, notarii, etc., reparare teneantur damnum quod ex eorum negligentia vel imperitia sequitur.

*R.* Damnum hoc reparare non tenentur, nisi peccatum theologicum admiserint; nam, *ex probatis*, nulla est obligatio, extra contractum, reparandi damnum absque culpa theologica illatum : porro artifices et qui professiones exercent, quamvis ratione officii obligationem quasi-contractus habere reputentur, non tamen inierunt pactum quo de ipso casu fortuito tenerentur, ut communissime theologi fatentur : ergo.

Sed qui ne communem quidem seu mediocrem habent peritiam, aut qui eam non adhibent diligentiam quam viri probi ac prudentes ejusdem artis vel professionis adhibere solent, graviter vel leviter, pro casibus, contra status sui officia peccant et jus alterius violant : ergo restituere tenentur pro qualitate culpæ suæ. Hinc qui satis peritus est, tenetur tantum ex culpa juridica levi et voluntaria; *a fortiori* teneretur ex culpa lata : qui autem tanquam aliis in arte sua peritiorem et diligentiorem se præbet, ex culpa levissima damnum reparare tenetur;

nam eo ipso majorem adhibere debet diligentiam. *Ita generatim theologi.*

*Quæritur* 2° ad quid teneantur conscripti desertores (*conscrits déserteurs*).

*R.* 1° Procul dubio, ad militiam juste vocati, tenentur se manifestare et ad vexilla redire, alioquin absolvi nequeunt, qui enim ad militiam juste vocatur, illam refugere non potest quin injustitiæ fiat reus erga principem et totam rempublicam, ut evidens est. Ergo.

Si tamen se manifestare non possunt quin morti, triremibus aliisque gravibus pœnis afflictivis se devoveant, tunc occulti manere possunt donec sibi licitum sit ad vexilla redire, quia nemo tam gravibus pœnis ultro se subjicere tenetur. Ita Collator Andeg., *Etats*, t. III.

*R.* 2° Ex conscriptionis lege, data die 10 martii 1818, art. 71, qui sorte designati sunt et tanquam milites semel fuerunt admissi et inscripti, soli requiruntur, nec alii pro ipsis deficientibus militare amplius coguntur : locum igitur non habet gravis quæ olim movebatur hac de re quæstio, utrum scilicet desertores rei essent injustitiæ erga eos qui pro ipsis ad militiam cogebantur.

Quoad vero præteritos hujus generis casus adhuc exstantes, arbitramur desertores ad restitutionem non teneri erga eos qui pro ipsis appellati sunt; in his enim casibus restituere non tenentur, si contra justitiam commutativam non peccaverint : atqui contra justitiam commutativam non peccaverunt erga eos qui pro ipsis appellati sunt; gubernio quidem tunc existenti non obediebant, sed illud efficaciter non incitabant ut hos vel illos pro seipsis appellaret. Et vero, quando detegebantur, vel sese voluntarie prodebant, ad pœnas afflictivas damnabantur vel ad militiam obstringebantur; sed qui pro ipsis appellati fuerant, non ideo remittebantur, nec ulla ipsis aut parentibus eorum assignabatur compensatio. Præterea, in ultimis præsertim imperii Napoleonis temporibus, v. g., a bello Hispaniæ declarato, leges conscriptionis velut injustissimæ communiter habitæ sunt, idcirco inquietari

non debent desertores. Sic respondit S. Pœnitentiaria, anno 1815.

Qui autem pro aliis pretio se locaverunt, et vexilla deinde fugientes, in causa fuerunt cur vexati sint ii pro quibus se obstrinxerant, tenentur totum reparare damnum inde secutum : verus namque existebat contractus cujus violatio onus restituendi importat.

Qui ex industria fingunt infirmitates, aut eas graviores faciunt, non statim damnandi sunt ad restitutionem; nam — a) raro decipiunt realiter membra concilii *revisionis*; — b) sæpe sunt in bona fide, et moniti ad restitutionem determinari non possent; — c) contendi potest, juxta plures, eos contra justitiam commutativam non peccare, quia, seipsos salvando per mendacia, non positive ac efficaciter inducunt magistratus ad alios in militiam adscribendos, non aliorum malum intendunt, sed tantum suam liberationem. Hæc posterior ratio quadam probabilitate non caret et inservire potest ad mitiorem decisionem imponendam, quando non alia suppetit via, nec amplius obtineri potest.

Nos autem, principiis strictis inhærendo, arbitramur quod qui fraude et mendacio decipiunt magistratus vel pecunia aut aliis viis iniquis eos corrumpunt, et obtinent ut, contra legum justarum dispositiones, a militandi necessitate liberentur, atque alii pro se ipsis appellentur, contra justitiam peccant; certum est enim alios juvenes jus strictum habere ut sic non decipiantur nec corrumpantur magistratus. Ergo.

Defectu juvenum sic exemptorum eorumve parentum, qui injustam hujusmodi exemptionem obtinuerunt, totum damnum hinc illatum reparare debent magistratus corrupti, secundum regulas quas infra trademus pro cooperantibus ad actionem damnificativam.

Ut autem noscatur quis injustitiam ex fraude aut corruptione provenientem sustineat, quærendus est ille qui ultimus in catalogo militum ejusdem districtus fuit inscriptus. At si plures injustæ hujusmodi exemptiones in eodem districtu eodem anno exstiterint, certo detegere

non potest damnificator quis injustitiam reipsa patiatur. Quid vero agendum sit ubi ille cui facienda esset restitutio detegi non potest, videbimus infra. Item qui aliquo signo schedam certo bonam novisset et sumpsisset, certo fuisset injustus, et restituere deberet ferme summam quæ hoc anno fuisset necessaria ad aliquem ante scrutinium assecurandum. Sed cum impossibile esset dicere cui facienda restitutio, eroganda foret in bona opera, ut ostendemus infra.

Diximus *contra legum justarum dispositiones;* nam si leges militares forent evidenter injustæ, qui, mediante pecunia, ab illis se liberaret, nullo modo reus foret, sed ab injusta vexatione tantummodo se redimeret.

*Quæritur* 3° ad quid teneantur juvenes qui ope aliena gratuitam acceperunt educationem sub spe quod futuri essent clerici, si postea hunc statum sponte deserant aut illo seipsos indignos culpa sua efficiant.

*R.* Si sincere in statu clericali se Deo consecrare intenderint, atque fecerint quod in se erat ut ad illum sese idoneos redderent, ac deinde a superioribus ob incapacitatem remittantur, vel clare agnoscant se ad tale genus vitæ non esse vocatos, restituere non tenentur, quia non egerunt contra eorum voluntatem a quibus beneficia acceperunt ; horum enim intentio non potuit esse quod fierint clerici etiam absque divina vocatione. Ergo.

Contra vero, ad restitutionem tenentur si, nullam ad vitam clericalem sentientes inclinationem, dixerint se illam desiderare, ut educationem gratuitam obtinerent, aut si, culpa sua, sanctissimo illo statu sese cum advertentia indignos reddiderint ; nam, ut qui dono sibi præstito valide uti possit, conditiones sibi præscriptas implere debet : tunc autem istæ conditiones evidenter non implentur : ergo.

Non refert an illi juvenes pensionem habeant a gubernio solutam, quæ dicitur *bourse*, an vero simpliciter pensionem gratuitam in collegio aut seminario obtineant ; nam pensiones a gubernio solutæ, ab episcopo, quibus voluerit, applicari possunt : porro episcopus eas appli-

care non intendit, nisi eis qui sincere clericatum desiderant, et faciunt quod in se est moraliter ut ad ministerium sacrum idonei efficiantur : imo ipsum gubernium aliis eas pensiones solvere non intendit. Ergo.

Qui de vocatione sua dubitant, gratuitam educationem accipere non debent, si nondum inceperint, nisi prius dubium suum eis aperiant a quibus beneficia accepturi sunt.

Si autem gratuita eorum educatio jam incepta sit, quando dubium supervenit, quamprimum moraliter dubium illud excutere debent : si autem post adhibitam sufficientem attentionem, dubium perseveret, illud aperire tenentur ; alioquin contra voluntatem eorum a quibus beneficia accipiunt agerent, ut satis patet. Multæ aliæ occurrunt difficultates quæ ex iisdem principiis solvuntur.

*Quæritur* 4° ad quid teneantur qui, tempore perturbationis publicæ in Gallia (*temps de la Révolution*), debita ex chartis nummariis (*papier-monnaie*) solverunt, a die 1° januarii 1791 usque ad mensem *thermidor an* IV (1 julii 1796).

*R.* Tres sunt hac de re opiniones : alii enim dicunt eos qui ex chartis nummariis, quomodocumque eas habuerint, debita solverunt, ad nihil teneri ; nam, inquiunt, qui legali moneta utuntur ut debita sua solvant, ad nihil tenentur : at chartæ nummariæ erant moneta legalis : ergo.

Alii autem volunt eos qui hujusmodi chartis ad solvenda debita usi sunt, semper teneri reparare damnum quod passi sunt creditores, quia leges usum earum permittentes, evidenter erant injustæ : illarum ergo beneficio cum alterius detrimento uti nunquam licitum esse potuit. Unde patroni hujus sententiæ semper exigunt saltem ut qui debita sua talibus chartis exstinxerunt, cum creditoribus bona fide paciscantur. Hæc sententia tutior est, sed durior esse videtur.

Alii denique distinguunt inter eos qui debita sua solverunt ex chartis ad solvenda debita ejusdem generis sibi

datis, v. g., ad census annuos (*rentes constituées*) exstinguendos, et eos qui tales vili pecuniæ pretio emebant chartas easque juxta numericum valorem dabant. *In priori casu*, nulla est obligatio damnum reparandi; nam illæ chartæ publica erant calamitas; qui autem ex illis debita sua solvebant, non tam volebant damnum creditoribus inferre quam se a calamitate publica indemnes servare, onus quod injuste sibi imponebatur in alios rejiciendo: porro æquitati naturali consonum esse videtur ut quis in tali calamitate quærat se indemnem servare: ergo.

At *in posteriori casu*, vera existit obligatio damnum reparandi; etenim si in calamitate publica liceat se servare indemnem, onus injustum rejiciendo, iniquum esset ex eadem calamitate cum alterius detrimento ditari. Ergo. Ad determinandum quale damnum resarciendum sit, attendendus et pensandus est valor realis chartarum eo tempore quo in solutionem datæ sunt, ac differentia inter hunc valorem et valorem numericum per restitutionem compensada est, solvendo etiam interesse (*les arrérages*), juxta proportionem capitalis quod restitui debet.

Idem dicendum esse arbitramur de his qui eodem modo debita exstinguebant chartis quas ingenti quantitate pro parvo reali pretio accipiebant, v. g., ex rei alicujus venditione, ex suo labore, etc.; in utroque enim casu cum alterius detrimento ditiores facti sunt.

Tertia hæc sententia est D. *Asseline*, episcopi Bononiensis, in opusculo cui titulus: *Avis concernant l'exercice du saint ministère dans les circonstances présentes*, datum an. 1796. Parvum illud opus a maxima episcoporum Gallicanorum parte fuit admissum, et præsertim a D. *Jouffroy de Gonssans*, Cenomanensi episcopo.

Qui falsas supposuerunt chartas, aut eas cognitas ut falsas in solutionem dederunt, tenentur totum reparare damnum, quia totum ipsis imputabile est. Si personæ quibus illatum fuit damnum inveniri nequeant, summa illis debita in pias causas impendenda est vel pauperibus

eroganda. Hæc decisio in eodem opere Bononiensis episcopi invenitur.

*Quæritur* 5° utrum qui per levia furta successive commissa grave intulit damnum proximo, illud sub peccato mortali resarcire teneatur.

*R.* Vel inter illa levia furta unio moralis existit, vel non.

1° Si unio moralis existat, datur obligatio gravis totum damnum resarciendi; — a) quia summus Pontifex Innocentium XI, decreto diei 2 martii 1679, hanc damnavit propositionem, n° 38 : « Non tenetur quis sub pœna pec» cati mortalis restituere quod ablatum est per pauca » furta, quantacumque sit magna summa totalis; » — b) quia illa obligatio in materia justitiæ gravis est, cujus objectum est grave : atqui summa notabilis, ex variis furtis parvis successive commissis composita, grave est objectum; quamvis enim singula furta in se levia sint, grave tamen objectum totale efficiunt; datur autem obligatio sub peccato mortali grave illud objectum restituendi, alioquin per furtum ditari liceret, et tunc grandis concussionariis aperiretur janua : ergo. *Est sententia communis.* — c) Quia totum damnatum est voluntarium, proinde totum imputabile, ac totum reparandum sub gravi, etsi per accidens culpa non fuisset mortalis. — d) Quia bonum societatis id exigit, ut fures ab hujusmodi damnis efficacius arceantur. Ita *Vogler*, n. 124, et cum ipso communissime theologi.

Porro unio moralis existit inter plura furta, nempe *primo* quando levia furta non consumuntur, sed conservantur ut unam summam efficiant, juxta decisionem supra allatam. — Iterum si una et constanti intentione aliquis ista furta intendat; unde qui falsis ponderibus vel iniquis mensuris vendunt, etiamsi illud quod quotidie præter justum pretium obtinetur non conservetur, restituere tenentur quod præter justum pretium obtinuerunt, sive majoribus mensuris et ponderibus utendo, sive summam sic injuste acquisitam quæ privatis restitui non potest, in bona opera impendendo. — Demum, unio moralis et peccatum

mortale multo facilius reperitur quando furta hæc erga eamdem personam fiunt, quam si de diversis agatur personis, quod ex sola prudentium æstimatione judicari potest.

2° Si vero unio moralis inter illa furta non exstitisset, non videretur esse obligationem gravem totum reparandi damnum : hæc enim obligatio non fundaretur re aliena injuste possessa, cum res per minuta furta ablatæ supponantur statim consumptæ; nec culpa gravi, siquidem singula furta fuerunt tantum venialia et in unum moraliter non coalescunt. Ergo. Unde qui esculenta successive, v. g., quosdam fructus pluribus subripientes, statim consumpserunt, integrum eorum pretium sub peccato mortali solvere non tenentur; sed tenentur sub veniali, et, quantum fieri potest, ad restitutionem cogendi sunt, ne talibus furtis assuescant.

*Quæritur* 6° quid sit faciendum in dubio an actio fuerit damnificativa, vel non.

*Notandum est* triplex concipi posse hujusmodi dubium; — a) vel enim plures personæ posuerunt sigillatim causam injustam per se ad damnum inferendum sufficientem, et dubitatur quænam ex illis causis damnum intulerit, v. g. : duo viri simul in tertium explodentes occiderunt et dubium est quinam fuerit causa efficax; — b) vel duæ personæ posuerunt separatim causam per se sufficientem ad damnum inferendum; una fuit justa et altera fuit injusta, v. g. : maritus et adulter commercium cum eadem muliere habuerunt, et dubitatur cujusnam sit proles; — c) vel dubitatur utrum damnum quod passus est proximus, proveniat ex causa naturali, vel ex causa injuste posita ad damnum sufficiente, aut utrum causa injuste posita sufficiens fuerit ad damnum inferendum, aut utrum causa injusta de facto posita fuerit necne, v. g., si dubitetur an quis mortuus fuerit ex morbo naturali, vel ex poculo sibi in infirmitate præstito, vel si dubitetur an poculum sufficiens fuerit ad mortem inferendam, vel denique si dubitetur an illud poculum reipsa propinatum fuerit.

*His præmissis, R. ad primum.* Omnes personæ quæ causam injustam posuerunt, damnum ex æquo reparare tenentur; nam omnes ex æquo tenentur, vel nulla, siquidem non datur ratio cur una potius quam altera hoc præstare debeat : sed dici non potest nullam ex præcedentibus personis damnum hujusmodi reparare teneri; in eo enim casu conditio innocentis pejor fieret conditione nocentis. Nec merito allegaretur axioma : *Nemo præsumitur malus, nisi probetur :* illi enim qui posuit causam sufficientem damni probandum est ex alia causa damnum istud advenisse.

*R. ad secundum.* Qui injustam posuit causam, damnum pro ratione dubii reparare tenetur; sibi enim persuadere non potest se nihil debere, quia nulla est ratio præsumendi damnum potius ex causa justa provenisse, quam ex causa injusta. Ergo. Ita *Habert, de Lugo, Sanchez, Billuart* et plures alii contra Sylvium, Collatorem Andeg., et multos alios qui contendunt quod in dubio nulla sit obligatio reparandi damnum, quia non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet; porro de damno non constat, cum factum possit imputari causæ justæ. *Vid. Gury,* n. 668. *S. Ligorius,* lib. III, n. 562, posteriorem hanc sententiam tradit ut sat probabilem, et priorem ut valde probabilem.

*R. ad tertium.* Variis in dubiis hic expositis adest obligatio damnum reparandi; qui enim in supradictis versantur dubiis, prudenter judicare non possunt se nihil debere propter rationes allatas. Ergo. Sic iidem modo citati theologi, contra alios.

Qui autem in memoratis dubiis constituuntur, restituere debent secundum gradum probabilitatis se causam fuisse damni efficacem; vel enim secundum hunc gradum restituere, vel totum reparare tenentur : at totum reparare non tenentur; eorum enim obligatio minor esse debet quam si certo fuissent causa damni efficax, ut recta ratio innuit; sed minor non esset eorum obligatio, si totum reparare tenerentur. Tenentur igitur ad partem totius, et pars illa determinari debet juxta gradum proba-

bilitatis quod damnum intulerint : unde si quatuor æqualiter ad damnum concurrerent, unusquisque quartam partem restituere debet.

Si ex actione ponenda certo prævideretur damnum injustum secuturum esse, ab ea actione procul dubio abstinendum foret : si vero tantum videretur dubium ex illa actione obventurum esse damnum injustum, sequendæ essent regulæ a nobis assignatæ, ubi de conscientia dubia tractavimus.

*Quæritur* 7° quænam sit obligatio reparandi damnum injuste illatum per culpam theologicam, sed venialem.

*Notandum est* culpam duplici modo venialem esse posse, videlicet levitate materiæ et defectu advertentiæ vel consensus.

*R.* 1° Adest obligatio sub peccato veniali totum reparandi damnum per culpam ob levitatem materiæ venialem illatum ; nam damnum istud plane est voluntarium : ergo totum est imputabile, proindeque totum reparandum. Sed obligatio hæc est tantum sub levi, quia proportionata esse debet materiæ et injuriæ.

*R.* 2° Si grave damnum per culpam ob defectum advertentiæ vel consensus venialem inferatur, quinque sunt opiniones : alii volunt auctorem damni ad nihil teneri ; alii contendunt illum ad totum teneri sub peccato mortali ; alii ad totum sub peccato veniali ; alii ad partem sub peccato mortali ; alii denique ad partem sub peccato veniali. Ultima hæc opinio sola nobis videtur admittenda, ut ex aliarum quatuor confutatione patebit.

— a) Dici non potest illum qui per culpam venialem grave intulit damnum, ad nihil teneri ; debet enim saltem aliquo modo damnum illud reparare quod aliquo modo ipsi imputabile est : at grave damnum per culpam venialem illatum aliquo modo imputabile est agenti ; eo modo enim imputabile est illi quo fuit voluntarium : porro damnum istud aliquo modo fuit voluntarium, ut supponitur : ergo.

Præterea, quod totam injustitiæ causam non tollit, totam obligationem injustitiam reparandi auferre non de-

bet : porro advertentiæ vel consensus imperfectio totam injustitiæ causam non tollit, ut patet : ergo. Sic multi theologi contra Lessium, l. II, c. 7, n. 28; card. *de Lugo*, d. 8, n. 58; *Vogler*, n. 121, et quosdam alios.

— b) Qui grave damnum per culpam venialem intulit non tenetur sub gravi totum reparare ; tota enim obligatio damnum in præsenti casu reparandi ex culpa oritur, adeo ut si nulla esset culpa, nulla esset obligatio restituendi : at ex culpa veniali oriri non potest obligatio gravis grave reparandi damnum, tum quia gravis obligatio ex causa levi oriri non potest, tum quia minor debet esse obligatio ex culpa levi oriens, quam si ex culpa mortali oriretur : ergo. Sententia hæc communissima est contra Henricum a Sancto Ignatio et nonnullos alios. *Vide theologos modo citatos.*

— c) Ad totum sub peccato veniali teneri non potest; nam aliqua debet esse proportio inter vim obligationis et illius objectum : at, in hypothesi, nulla esset hujusmodi proportio. Qui enim sub veniali tantum restituere tenetur, mortaliter non peccaret si non restitueret : at repugnat illum mortaliter non peccare, qui grave retinet objectum alienum : ergo. Ita Lessius, n. 17; card. *de Lugo*, d. 8, n. 57; *Vogler*, n. 109, et multo communius theologi.

— d) Admitti non potest eum qui per culpam venialem grave intulit damnum, teneri sub mortali gravem restituere partem ; obligatio enim gravior esse non debet causa ex qua oritur : causa autem supponitur levis : ergo. Ita ibidem Lessius, card. *de Lugo* et *Vogler* cum multis aliis, adversus plures alios inter quos *Layman*.

Ergo qui per culpam venialem grave intulit damnum, partem tantum sub peccato veniali restituere tenetur, et pars illa levis esse debet : alioquin ex causa levi gravis nasceretur obligatio, quod repugnare videtur. Pars itaque restituenda excedere non debet id quod absque culpa mortali retineri non potest : unde in praxi nihil ordinarie pro hujusmodi damno restituendum præscribitur. Et revera multi nobiles theologi censent nullam in illo casu

faciendam esse restitutionem, sicut nulla est obligatio servandi votum, quando cum deliberatione tantum semiplena fuit emissum : hanc tuentur opinionem Lessius, card. *de Lugo* et *Vogler*, in locis citatis.

*Dices :* Qui causam damni posuit, potius illud pati debet quam innocens, juxta istud axioma : *Melior est conditio innocentis.* Ergo.

*R.* 1° *Retorqueo argumentum.* Qui causam damni posuit, potius illud pati debet quam innocens; sed qui damnum sine culpa theologica infert, causam illius ponit, alter vero est innocens. Ergo.

*R. Distinguo axioma quo fundatur antecedens.* Melior est conditio innocentis quoad partem damni imputabilem propter peccatum veniale, *conc.;* quoad partem damni quæ excedit materiam peccati venialis, *neg.* Damnum enim sub hac parte nulli imputandum est, et censetur casu fortuito evenisse. Ergo dictum axioma tunc applicari non debet.

Maxime juvat hic cum omnibus theologis observare culpam damnificativam, in dubio, ut mortalem semper habendam esse; nam, in actionibus externis ita proximo noxiis, difficile est sufficientem non adfuisse advertentiam ad peccandum mortaliter; ex communiter contingentibus præsumendum est ergo peccatum fuisse mortale. Aliunde, cæteris paribus, magis præsumendum est in favorem innocentis quam nocentis. Ergo.

*Notandum* etiam eum qui ponens causam injuste damnificativam, malum quidem prævidens, sed non omne, non teneri ad partem damni a se invincibiliter ignoratam; sed invincibilis ille error non facile admittendus est, quia auctor voluntariæ damnificationis, communiter prævidere potest et debet consectaria injustæ suæ actionis, saltem confuse.

Cæterum, in omnibus his casibus, sæpe tutius est suadere damnificatori ut cum eo qui damnum passus est transigat, id est, ut mutuo consensu conveniant quantum restituendum sit.

*Quæritur* 8° an aliquis resarcire teneatur damnum

quod ex errore invincibili uni intulit, volens illud alteri inferre.

*R. Affirmative;* veram quippe, injustam et efficacem habuit voluntatem ei nocendi cui damnum illatum est, videlicet personæ præsenti cui tamen sciebat se jus nocendi non habere. Forsitan quidem illi nocere noluisset si eam cognovisset; sed, in justitia sicut in contractibus, non attenditur quid agens facere voluisset, verum quid voluerit et fecerit; in casu autem nostro damnum personæ præsenti inferre voluit et intulit. Ergo. Sic P. *Antoine*, *Collet*, *Vogler*, n. 202, et communiter theologi, contra card. *de Lugo*, d. 17, n. 78, S. Ligorium, et quosdam alios.

Hinc qui domum Petri incendere volens, domum Pauli comburit, vel qui occidit Paulum credens invincibiliter esse Petrum, damnum reparare tenetur.

*Quæritur* 9° An qui inculpabiliter dixit aut fecit aliquid ad quod jus non habebat, et unde damnum proximo impendet, illud ex justitia impedire teneatur, aut restituere debeat si illud quantum potest non impediat.

*R.* Multo probabilius est illum ex justitia teneri aut causam damni tollere, aut damnum reparare, si, quantum in se est, illud non impediat; unusquisque enim tenetur reparare damnum sibi reipsa imputabile. At damnum ex ipsius actione secuturum, quod advertit et non impedit, cum impedire posset, ipsi reipsa, ex opinione hominum, imputabile est. Non quidem peccavit causam ex inadvertentia ponendo; sed advertens eam pravos productura esse effectus et eam non tollens cum possit, eo ipso censetur hos malos effectus velle. Damnum igitur merito ipsi imputandum est. Ergo.

Hinc pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, emptorem ex justitia admonere tenetur, et monitionem omittens, damnum inde proveniens reparare debet. Ita P. *Antoine*, qui dicit hanc sententiam esse communem. Fatetur tamen nullam esse obligationem causam damnificativam auferendi, quando grave timendum est detrimentum, puta æquale damno quod ex

causa injusta alteri imminet; cum enim causam ponendo non peccaverit, repugnat illum sub pœna adeo gravi eam auferre teneri. Item, si, antequam errorem cognovisset, damnum de facto ex actione ejus inculpabili illatum fuisset, ad nihil teneretur.

*Quæritur* 10° Ad quid teneatur ille qui culpabiliter aliquid dixit aut fecit, ex quo, præter opinionem ejus, damnum alteri fuit illatum.

*R.* 1° Qui aliquid dicit aut facit illicitum, sed non injustum, ex quo tamen, præter opinionem, et data sufficienti diligentia, damnum alteri infertur, ad nihil ex justitia tenetur, quia damnum istud ipsi imputari non potest, siquidem non fuit prævisum, nec prævideri potuit. Ergo. Ita Lessius, l. II, c. 9, n. 103; Sylvius, q. 54, art. 8; *Vogler*, n. 169; *Billuart*, etc.

Unde clericus qui contra leges Ecclesiæ venationi vacat, et casu fortuito hominem pro fera occidit, non fit irregularis nec tenetur damnum reparare. Item qui alterum inducit ad carnes die prohibita comedendas, injustitiæ erga ipsum non erit reus si inde morbum contrahat; qui in domo aliena nocte deambulans ad fornicandum, vas pretiosum, de quo minime cogitare poterat, pedibus offendit, ad restitutionem non tenetur.

*R.* 2° Qui aliquid dicit aut facit injustum, ex quo, præter exspectationem et absque negligentia, illud sequitur damnum quod ex tali causa sequi non solet, illud reparare non tenetur, propter eamdem rationem : damnum enim istud non fuit voluntarium, cum prævisum non fuerit, nec prævideri potuerit : ergo nec imputabile. Sic, in locis citatis, Lessius, card. *de Lugo*, d. 8, n. 82; Sylvius, *Vogler*, *Billuart*, in dissertatione de Homicidio, t. XII, art. 8, ed. in-8°, 1830.

Hinc qui in arborem ascendit ut fructus injuste colligeret, decidit, et aliquem subtus positum vel transeuntem obruit, damna ex morte ejus secuta reparare non tenetur. Paulus domum Petri effodit, intrat, frangit arcam, furatur pecuniam; furtum istud Jacobo imputatur, qui, ex indiciis apparentibus et falsis testibus, juridice con-

vincitur, et ad triremes damnatur : Paulus ex justitia hæc innocentis Jacobi damna resarcire non tenetur, nec seipsum manifestare ut illius famam et libertatem restituat. Si tamen Jacobus injustissime coactus damna Petri jam reparaverit, Paulus pretium hujusmodi damnorum huic refundere debet ; hæc enim damna ipse reparare debuisset erga Petrum, etiam ante sententiam judicis. Ergo.

### § II. — De his qui damnum per alios inferunt seu de cooperantibus.

Duplici modo aliquis damno alteri inferendo cooperari potest, scilicet positive et negative.

1° *Positive*, quando influit in damnum per alios inferendum, quod physice et moraliter fieri potest. Physice, si actionis damnificativæ fiat particeps ; et moraliter, si quempiam ad damnum inferendum determinet.

2° *Negative*, quando non impedit damnum quod alteri infertur cum illud impedire posset et deberet. Omnes diversi modi quibus aliquis damno alteri inferendo cooperari potest, his comprehenduntur S. Thomæ versibus, 22, q. 64, art. 7 :

> Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
> Participans, mutus, non obstans, non manifestans,

Sex priores modi cooperandi dicuntur positivi, et tres posteriores dicuntur negativi.

Causæ negativæ, per se loquendo, damnum reparare non tenentur : nemo enim damnum alterius reparare tenetur, nisi jus illius strictum violaverit : atqui jus alterius strictum per causas negativas ut tales non violatur ; nam ideo violaretur, quia alii homines damnum istud ab illo repellere tenerentur : illud autem admitti non potest cum omnes jure naturali sint liberi et independentes : ergo. Itaque, qui alterius damno negative tantum cooperati sunt, illud reparare non tenentur, nisi ratione officii, vel alia via ad illud impediendum sese adstrinxerint.

Causæ autem positivæ damnum cui cooperatæ sunt re-

parere tenentur; sed requiritur ut causa vere fuerit positiva, injusta, damni efficax et theologice culpabilis, ut probavimus supra. Si causa influxerit, non in substantiam damni, sed in modum, obligatio non est damnum reparandi, nisi quatenus ille modus est ipse damnosus. Nunc de singulis cooperantibus seorsim agendum nobis incumbit, quod in sequentibus absolvemus sectionibus.

### Sectio prima. — *De jubente.*

Jubens seu mandans ille est qui, ob proprium commodum, alium jussione, precibus, minis vel aliis mediis ad actionem alteri damnificativam movet. Dicitur *ob proprium commodum*, ut distinguatur a consulente, qui ad actionem damnificativam movet, non in suum, sed in alterius commodum. Quod autem fit ex mandato, nomine ipsius mandantis fieri censetur. Certum est illum reparare teneri damnum quod inferri jussit, et quod revera ex ipsius mandato fuit illatum; illius enim manifeste causa est positiva, injusta, efficax et theologice culpabilis; imo primario et principaliter tenetur quia ut ait S. Thomas, qui jubet est principaliter movens.

Hinc, si mandatum revocaverit, et hanc revocationem mandatario expresse manifestaverit, jam reparare non tenebitur damnum quod nihilominus mandatarius effecit; in illud quippe tunc non influit, sed totum mandatario tribui debet : attamen si mandatum, licet revocatum, habet rationem consilii, mandans sub hoc respectu ad reparationem damni tenebitur, quia reipsa damnum ipsi merito imputabitur. At si revocationem mandati sui manifestare non potuerit, etiamsi de illo vehementer doluisset, aut si mandatarius prudenter judicare potuerit hanc revocationem illusoriam esse et ad fucum faciendum, damnum reparare tenebitur, quia ex facto ipsius revera sequitur.

*Quæritur* 1° utrum qui verbis, nutibus vel aliis signis manifestavit se gratum habiturum si quoddam alteri inferatur damnum, illud resarcire debeat.

*R.* Procul dubio tenetur illud reparare, quia illius est causa positiva, et injusta, ac proinde totum ipsi imputandum est : unde Henricus II, rex Angliæ, merito reum mortis S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis se existimavit.

Pariter qui videns aliquem paratum ad damnum alteri inferendum ut ipsi placeat, nihil manifestavit sed simpliciter siluit, tenetur damnum reparare juxta omnes, si agens noverit hoc silentium esse approbativum ; si vero non noverit, dubitatur. Tenetur tamen ex justitia juxta multos, si non ut jubens, saltem ut non obstans; quamvis enim damnum non jusserit, cum ex nomine suo inferendum videret, obsistere tenebatur. Sed negat *Carrière* n. 336, nisi obstare teneatur alio quodam titulo, v. g., ex contractu, seu ex officio : si vero damnum aliquod, ipso nesciente, ad ei placendum illatum fuisset, et ratum haberet, non ideo illud reparare teneretur; approbatio enim in eo casu non est causa positiva et efficax damni. Ergo.

*Quæritur* 2° ad quid mandans teneatur, si mandatarius mandati limites excesserit.

*R.* Vel mandans prævidit aut prævidere potuit fore ut mandatarius jussionis limites excederet, vel non. In priori casu totum damnum reparare tenetur, quia totum illi adscribendum est : unde si servo iracundo jusserit ut graviter aliquem percutiat vel etiam vulneret, et servus illum occidat, totum homicidii damnum, quantum in se est, reparare debet mandans. In posteriori casu, illud tantum reparare tenetur quod mandavit, v. g. : si servo jusserit ut domum alicujus incendat, et servus domum incendat et dominum occidat, mandans valorem domus restituere tenebitur, non vero damnum ex homicidio secutum : nam homicidium soli mandatario tribui debet. *Est sententia communis.*

*Quæritur* 3° utrum mandans reparare teneatur damnum quod mandatarius ex errore inculpabili alteri intulit, v. g. : jussum acceperat occidendi Petrum, et ex errore occidit Paulum.

*R.* Si mandans prævidit aut prævidere potuit hunc errorem forsitan oriturum esse, damnum reparare tenetur : *patet ex dictis.* Si autem prædictum errorem non prævidit nec prævidere potuit, secundum plures, damnum adhuc reparare tenetur, quia vi mandati ejus sequitur. Ita *Collet.* Alii vero negant. Nam, inquiunt, teneri non debet de damno quod præter suam intentionem contigit, quod non mandavit, nec voluit, nec prævidit, nec quidem prævidere potuit : atqui tale est respectu mandantis damnum ex morte Pauli secutum. Sic *Vogler*, n. 279, cum pluribus aliis. Posterior hæc sententia videtur eo magis fundata et principiis a nobis superius expositis conformior, quod non sit obligatio reparandi damnum per accidens : at damnum ex errore solum alterius et præter intentionem illatum, est merum accidens. Ergo, etc.

Hinc in isto casu adest discrimen inter mandatarium et mandantem : prior vult occidere hominem hic stantem, quem falso credit esse Petrum, et illi applicanda sunt quæ supra diximus; mandans autem non jubet occidere hominem ibi stantem, sed Petrum; vid. *Carrière* n. 337.

*Quæritur* 4° utrum mandans reparare teneatur damna quæ mandatarius ipse jussioni obtemperans patitur.

*R.* Si mandatarius sponte ac voluntarie se obtulerit, vel si rogatus facile ob mercedem promissam acquieverit, ad nihil mandans tenetur; nam mandatarius omnia pericula in se suscepisse censetur. Si vero, vi, metu aut alio modo, coactus fuerit, ut superiores cogere solent inferiores per mandatum, mandans, juxta omnes, ea tenetur reparare damna quæ non raro, in actionibus hujusmodi peragendis, exsequentes patiuntur, quia hæc prævidere debuit, et aliunde jus mandatarii, eum cogendo, violavit. Hinc, si, ex mandato, alterum occidere quæreus, ipse occidatur, vel deprehensus, ad triremes damnetur, hæc damna reparare tenetur mandans. At si mandatarius extraordinarium aliquod damnum patiatur, v. g., si fulmine in via perculsus vel ex equo cadens mo-

riatur, quidam dicunt mandantem damna hæc reparare non teneri, quia ea non prævidit nec prævidere debuit. Ita *Vogler*, n. 80, *Lyonnet*, et satis est probabile, ait *Carrière*, n. 338. Alii autem docent illum etiam in eo casu damna hæc reparare debere; revera enim vi mandati eveniunt, ac proinde mandanti tribuenda sunt. Ita *Billvart*. Excipiunt nisi mandatarius pericula sponte et absque necessitate subire voluerit, ut si viam extraordinariam tenere elegit; tunc damna ipsi soli adscribenda sunt, nec ullo modo ex jussione procedunt. Prior sententia conformior esse videtur pluribus decisionibus quas superius, ubi de damno præter exspectationem secuto, jam admisimus.

### Sectio secunda. — *De consulente.*

Duplex distinguitur consulens : alius enim est qui de bonitate aut malitia alicujus actionis decernit, v. g., talem contractum licitum esse, nullam in tali casu faciendam restitutionem ; alius vero qui, supposita actionis justitia vel injustitia, ad illam movet alterum blanditiis, precibus, pollicitationibus, adhortationibus, vel ostendendo illi utilitatem aut voluptatem quam percepturus est, facilitatem exsecutionis, suppeditando media et modos quibus efficaciter uti possit.

Præcipuum et fundamentale inter mandantem et consulentem discrimen est, quod actio fiat nomine mandantis, non vero nomine consulentis ; hic enim ad actionem excitat in commodum illius cui dat consilium, alter autem in proprium commodum.

*Certum est* 1° consulentem practicum, id est, eum qui alterum blanditiis, etc., ad damnum inferendum movet, per se teneri ad reparandum damnum quod consuluit ; nam in illud evidenter, positive, injuste et efficaciter influit, siquidem alterius voluntatem ad actionem movet.

Diximus *per se teneri;* fieri enim potest absolute ut ad nihil teneatur, vel saltem non ad totum ; si consilium

ipsius minime in damnum influxerit, quia consilium exsequens jam plene erat determinatus, ad nihil obligari potest. Equidem, stando principiis, forte non statim ab omni restitutione facienda eximeretur qui consilium dedisset alteri jam ad agendum determinato, quia fieri posset quod consilium istud vere influxerit in actionem damnificativam : hic recidit fere quæstio quam infra expendemus in articulo III. Sed cum gradus influxus æstimari et existentia obligationis persuaderi rarissime possent, illa obligatio, si vere, ut multi volunt, existeret, non foret urgenda. Si in bona fide et absque culpa theologica consilium dederit, ad nihil tenetur; si partem tantum damni consuluerit, partem tantum reparare tenetur, v. g., si parato decem furari francos, suasit ut viginti subriperet, ad decem tenetur. Si consilium determinaverit tantum modum, circumstantias temporis aut celeritatis actionis damnificativæ, consulens intantum restituere tenebitur inquantum illæ circumstantiæ æstimabuntur damnosæ. *Sic communiter doctores.* Si exsequens in bona fide, vi consilii damnum intulerit, ad nihil tenebitur, nisi ratione rei acceptæ et detentæ; consulens vero ad totum obligabitur, nisi aliqua ratione a peccato excusetur.

*Certum est* 2° consulentem qui, ratione professionis vel officii, decernit talem actionem esse licitam, in tali casu nullam restitutionem faciendam, ut sunt parochi, confessarii, concionatores, theologi, advocati, etc., totum teneri reparare damnum ex consilio suo secutum, si præ ignorantia vel negligentia, mortaliter peccaverit; non refert autem quod damnum istud respectu consilium petentis existat, vel respectu aliorum quibus consilio persuasus nocet; totum enim consulenti imputandum est. Idem dicendum est de iis qui, licet ratione officii consilium dare non teneantur, se tamen pro idoneis consiliariis gerunt, ac in tali re se peritos esse profitentur.

Qui vero nec ratione status aut officii consilium dare tenentur, nec peritiam profitentur, ut mulieres et plebeii

quorum nota est insufficientia, restituere non tenentur erga eum qui consilium petit; damnum enim quod patitur imprudentiæ ipsius tribuendum est. Sed erga alios quibus ex eorum consilio damnum infertur, restituere tenentur, si damnum saltem in confuso prævisum est, quia in illud injuste ac positive influunt.

Si quis tamen ostenderet se dubitare, se nescire, vel simpliciter diceret ita sibi videri, damnum inde secutum reparare non teneretur; totum enim imputandum esset agenti, qui, veritate non magis quæsita, periculo damnum inferendi sese exposuisset. Ita Sylvius, q. 62, art. 4; *Quær.* 4, cod. 5, 6; *Vogler*, n. 299, et *Billuart*, qui testantur hanc sententiam esse communem.

*Quæritur* 1° utrum qui, bona fide, injustum dedit consilium, teneatur ex justitia illud, ubi deprehendit esse falsum, revocare.

*R.* Tenetur ex justitia, ut fert sententia communior et longe probabilior, modo absque gravi detrimento illud revocare queat: *patet ex jam dictis.* Etenim consilium dando non peccavit, ex hypothesi; sed advertens illud esse injustum, et tamen non revocans, cum sine gravi incommodo illud revocare posset, eo ipso fit reus injustitiæ, quia tunc damnum ex consilio secutum ipsi imputabile est: illud ergo reparare tenetur si consilium revocare noluerit. Sic revera a probis et piis viris agitur, atque ita docet *Vogler*, n. 293, cum Lessio, card. *de Lugo* et pluribus aliis.

*Quæritur* 2° utrum consulens, qui consilium suum ante operis exsecutionem revocavit, reparare teneatur damnum si nihilominus sequatur.

*R.* Si consilium præstiterit decernendo actionem esse licitam vel illicitam, aut precibus, adhortationibus vel blanditiis alterum ad damnum excitaverit, et consilium ante exsecutionem serio revocaverit, ac revocationem sufficienter manifestaverit, de damno postea secuto non tenetur; nam tunc ex sola malitia agentis provenit.

Si autem consilium sit vestitum, ut aiunt theologi, id est, si consulens argumentis et sophismatibus quæsierit

alterum impellere ad damnum, ostendendo utilitatem actionis vel voluptatem, docendo media quibus tuto uti possit, revocatio consilii non semper ab obligatione restituendi eximit; fieri namque potest ut, non obstante hac revocatione, damnum ex consilio sequatur; in illa autem hypothesi, adest obligatio damnum istud resarciendi, siquidem totum consulenti imputandum est, quidquid deinde ad illud impediendum fecerit; eodem modo enim se habet ac homo qui ab alto lapidem ex ira in inimicum jecisset, et statim de culpa etiam ante damnum doleret: porro ille juxta omnes totum damnum reparare teneretur: ergo *a pari*, etc.

*Quæritur* 3° utrum qui minus consulit malum ad avertendum majus, restituere teneatur.

*R.* Vel hæc duo mala eidem personæ inferenda sunt vel diversis personis. Si eidem personæ inferenda sint, consulens minus ad avertendum majus, minime restituere tenetur, tunc enim bonorum alterius fuit gestor utilis, nedum ei damnum intulerit.

Contra vero, qui furi grave damnum Petro inferre volenti et paratissimo consuleret ut potius minus malum Paulo inferret quia ditior est, illud Paulo restituere teneretur; nam positiva illius fuit causa respectu Pauli, et quidem injuste, quia, etiam ad protegendum innocentem, damnum alteri innocenti directe et positive inferre non licet, nisi ita sit leve ut damnificatus rationabiliter præsumatur illud libenter pati ad malum multo gravius proximi avertendum. *Sic pro utroque casu communissime theologi.*

*Quæritur* 4° an liceat avertere maleficum a damno pauperi inferendo, consulendo illi ut potius alios quærat ditiores quibus noceat, nullos in particulari designando.

*R.* Juxta multos theologos, illud licitum est, si alia via maleficus averti non possit; illud enim licitum est, si neminis jus strictum lædatur: atqui nemo conqueri potest jus suum per tale consilium fuisse læsum: si consulens simpliciter dixisset furi: Noli, quæso, nocere Petro,

quia valde pauper est : nulla restituendi obligatio existeret, etsi prævideretur quod fur aliis certo noceret. Porro idem esse videtur si dicat furi : Noli bona Petri subripere; si absolute furari velis, non tibi deerunt alii ditiores quibuscum pari lucro tibi minus noceas. Ita *Vogler*, n. 287 et alii.

*Quæritur* 5° utrum qui malo exemplo alios ad damnum alteri inferendum inducit, illud reparare teneatur.

*R.* Si præbeat malum exemplum ea præcise intentione ut alios ad damnum determinet, evidenter nobis apparet ad restitutionem obligatus, quidquid nonnulli dicant; illius enim est causa efficax, perinde ac si expresse consuluisset.

Si vero malum exemplum non posuerit ex intentione alium determinandi ad damnum inferendum, sed tamen prævidens aut prævidere debens hujusmodi damnum inde secuturum esse, tenereturne illud reparare? Quæstio hæc inter theologos controvertitur; at probabilius multis videtur eum etiam in illo casu damnum reparare teneri, cum per actionem illicitam, ad quam nullum jus habebat, alterum ad damnum efficaciter determinaverit, ita ut, secluso perverso exemplo, damnum non fuisset illatum. Ergo. Sic P. *Antoine*, p. 232, edit. 1818; *Collet*, in Cont. *Tournely*, p. 445, et *Billuart*, contra *Layman*, lib. II, tr. 3, cap. 13, n. 6, qui plures alios citat.

### Sectio tertia. — *De consentiente.*

Duplici modo aliquis in damnum alterius consentire potest : nempe vel consensu inefficaci, cum videt malum proximo inferri, aut illatum vel inferendum esse audit, et applaudit, gaudet et exsultat; vel consensu efficaci, quando malum proximo inferendum a suo consensu pendet vel determinatur : eo modo consentiunt senatores et judices, qui per suffragia ad injustas leges, ad iniquas sententias positive concurrunt; vocales in capitulo, qui indignum ad prælaturam vel ad officium aliquod eligunt. Qui priori modo tantum consentiunt, minime ad restitu-

tionem tenentur, siquidem etiamsi ex odio applaudant damno, nullo modo tamen in illud influunt : qui vero posteriori modo efficaciter consenserunt in damnum, illud reparare tenentur; manifeste enim in illud positive et injuste influxerunt. Idem dicendum est si, de industria et absque ratione sufficienti, absint a senatu vel a capitulo, quando prævident, defectu suffragii sui, numerum suffragiorum injustorum futurum esse ad damnum sufficientem; nam tenentur ex officio suffragium suum in bonam partem dare, aut saltem debent, quantum in se est, impedire ne nomine totiùs collegii senatorum, canonicorum, etc., injusta sententia vel decisio evadat. Ergo.

Verum gravis hic inter theologos movetur quæstio, an scilicet, qui dat suffragium quando suffragia ad injustam sententiam sufficientia jam præcesserunt, damnum reparare teneatur.

*Certum est* 1° omnes ad restitutionem teneri quando eodem tempore suffragium dederunt : etenim, per modum unius damnum illatum est, et ideo vel omnibus imputandum est vel nulli.

*Certum est* 2° omnes ad restitutionem teneri, si, licet non eodem tempore, ex conventione tamen suffragium dederunt; tunc enim damni illati unica est causa moralis, nempe mutua conspiratio.

*Certum est* 3° eos qui primi dant suffragia, antequam numerus sufficiens compleatur, ad restitutionem in solidum teneri, etiamsi prævideant alios consensuros esse; in damnum enim positive, injuste et efficaciter influunt.

*Certum est* 4° eos qui, post numerum suffragiorum ad damnum inferendum competentem, consentiunt, dum priores suffragantes ab iniqua sententia eloquentia sua revocare possunt, ad restitutionem teneri; debent enim, ut jam diximus, quantum in se est, impedire ne injusta sententia nomine omnium feratur.

5° Communiter etiam admittunt doctores, omnes, tam ultimos quam primos, ad restitutionem in solidum teneri, quando suffragia secreto conferuntur, sive sciant

quid alii facturi sint, sive non; cum enim sententia non feratur nisi post collationem omnium votorum, ab omnibus lata esse censetur, et damnum omnibus æqualiter imputatur : ergo omnes æqualiter istud reparare tenentur. In his igitur circumstantiis judex stare debet pro justitia, vel a judicando abstinere, cum quocumque periculo.

Difficultas igitur in eo consistit, an, ubi suffragia publice dantur, qui ex aliquo motivo humano consentit, postquam irrevocabiliter jam data sunt suffragia ad sententiam injustam sufficientia, nihilominus de damno inde secuto teneatur.

Duplex ea de re est theologorum sententia. Alii enim negant eum in illo casu ad restitutionem teneri; in damnum enim, inquiunt, minime influit, siquidem sufficientia jam irrevocabiliter data sunt suffragia, quando suum præbet consensum; inefficaciter ergo in damnum consentit, ac proinde illud reparare non tenetur. Ita Lessius, card. *de Lugo*, Sylvius, *Layman*, et *Vogler*, qui plures alios citat., n. 302.

Alii autem concedentes præcedentem opinionem esse veram, quando sententia fit definitiva statim ut major pars suffragiorum obtinetur, ita ut alia prætermitti possent, aliter opinantur et ad restitutionem obligant quando lex, ut fit ordinarie, indicat non existere decisionem, nisi omnes jus vocem suam emittendi habentes suffragia sua libere dederint, et dicunt sententiam tunc ferri vi omnium suffragiorum collective sumptorum. Unde concludunt eum qui ultimus suffragium dedit, nihilominus in damnum influxisse, quia sententia injusta nomine ipsius sicut et nomine aliorum fertur : ergo et ipse ad restitutionem tenetur.

Et vero, si suffragia secreto conferrentur, ultimus suffragans, etiam juxta Sylvium et alios, ad restitutionem sicut et priores teneretur, quia omnes in damnum per modum unius causæ concurrerent : at eodem sensu per modum unius causæ concurrunt ad damnum, quando suffragia publice dantur : ergo *a pari*, etc. Sic *Billuart*,

*Henno*, *Daelman*, Collat. Paris. et Andeg., Thomas *de Charmes* et *Dens*, qui asserit hanc sententiam nunc esse communem.

Si quis dubitaret an suffragium suum ex prioribus et ad sententiam necessariis fuisset, ad restitutionem teneretur : id ipsi alterius opinionis patroni fatentur, saltem ex parte, dicentes suffragantem in illo casu pro ratione dubii restituere teneri.

Hinc qui sunt membra senatus vel capituli, cujus major pars ex inordinatis motivis facile suffragatur, sedulo cavere debent ne aliorum exemplo in dandis suis suffragiis determinentur.

### Sectio quarta. — *De palpone et recursu.*

Palpo ille est qui laudibus, plausibus vel etiam irrisionibus, exprobriis, murmurationibus, etc., alios excitat et inducit ad damnum alteri inferendum. Adulator et palpo sunt quid unum et idem. Adulatio autem sic intellecta ad consilium reducitur ; itaque adulator sive palpo eodem modo ac consulens damnum reparare tenetur.

Recursus seu recursum præstans, ille est qui securitatem, commoditatem, protectionem, custodiam, malefactori ut tali præbet, unde fit quod iste damnum inferat vel illatum non resarciat.

Receptator qui fuit causa cur damnum inferretur vel illatum non resarciretur, ad illud reparandum tenetur ; illius enim fuit causa positiva, injusta et efficax. Ergo.

Hinc qui, ante factum, domum suam offerunt in asylum vel, post factum, malefactores ut tales recipiunt, eorum instrumenta et furta custodiunt vel occultant, etc.. ad restitutionem tenentur. E contra, qui malefactores ut amicos, consanguineos, hospites recipiunt, ad restitutionem non tenentur ; nec pariter quando illos sub spe emendationis occultant, vel ostendunt eis viam qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quæruntur : sed curare debent ne occultatio hæc vel fuga causa sit cur non restituant; nam tunc injustitiæ eorum fierent parti-

cipes et ad restitutionem tenerentur. Item advocatus defendere potest coram tribunalibus furem qui juridice defendi potest, quia non intendit eum liberare in foro conscientiæ ab obligatione restituendi. Vid. *Carrière*, n. 350.

### Sectio quinta. — *De participante.*

Duplici modo aliquis fieri potest injustitiæ particeps, nempe in præda et in ipsa actione qua damnum infertur. Ille fit particeps in præda, qui partem damni absque suo consensu illati seu rei furtivæ accipit. Si hanc partem bona fide acceperit, eam reddere tenebitur, sicut possessor bonæ fidei. Si vero in mala fide eam perceperit, damnum ratione illius partis reparare tenebitur, sicut possessor malæ fidei.

Particeps actionis injustæ, ille est qui cum alio concurrit ad actionem alteri damnificativam, quod duplici modo fieri potest, videlicet, immediate et mediate. Immediate concurrit, quando actionem alteri damnificativam simul cum aliis exercet, v. g., si duo simul occidant hominem, domum spolient, incendant, etc.

Concurrit autem mediate tantum, quando ponit actiones quæ per seipsas non sunt damnificativæ, sed quibus malefactor utitur aut potius abutitur ad malum alteri inferendum, v. g., si scalam commodet, humeris portet, ad murum applicet, eam sustineat dum fures ascendunt; si excubias agat, si arma ministret, etc.

Procul dubio qui actioni injustæ et damnosæ, sive immediate, sive mediate participavit pro gradu influxus sui, defectu principalis damnificatoris damnum illatum, reparare tenetur. At cum aliquando ipse participans violentia aut alio modo injusto ad præstandum opus malefactori adducitur, quæstio est an et quando sic participans possit a peccato et consequenter ab obligatione restituendi excusari. Igitur

*Quæritur* 1° utrum liceat ad mortem vitandam cum alio immediate concurrere ad actionem proximo damnificativam.

Ad hanc quæstionem solvendam videndum est an persona læsa, omnibus pensatis circumstantiis, tum ex parte sua, tum ex parte participantis consentire censeatur, aut debeat, vel possit esse invita. Insuper notandum est damnum ad quod aliquis concurrit alterum lædere posse vel in bonis vitæ, aut membrorum, vel in bonis fortunæ. His præmissis,

*R.* 1° Quoad damnum vitæ unquam minime licet, etiam ad mortem vitandam immediate concurrere ad alterum injuste occidendum ; nemo enim pro alio tenetur mori : est igitur rationabiliter invitus qui periculum mortis subit; insuper non habet dominium vitæ suæ, et ideo non potest valide consentire ut injuste occidatur.

*R.* 2° Quoad damnum membrorum, idem omnino dicendum est et propter easdem rationes. Non enim habet homo dominium perfectum membrorum suorum, et licet haberet, non teneretur ad servandam alterius vitam ipse mutilationem pati. Restrictionem tamen admittunt theologi, nempe nisi forsan *agatur de vita ipsius mutilandi servanda*, ut diximus in propositione; quia sicut ipse partem corporis sui pro toto corpore servando probabilius abscindere valet, quando mors imminens ab extrinseco ita vitari potest, sic etiam consentire quod quis ipsum mutilet ut conservet vitam impetitam.

*R.* 3° Quoad damnum fortunæ, omnes admittunt aliquando licere actioni damnificativæ concurrere immediate in quibusdam casibus determinatis. Tres sequentes communiter distinguuntur : — a) nempe si cooperans intentionem ac potestatem habeat totum reparandi damnum ex actione sua secuturum ; dominus enim rationabiliter invitus esse nequit quod grave malum avertatur per actum qui sibi damnosus non habendus est; — b) si, in aliis casibus, legitime præsumatur dominum jus suum concedere aut rationabiliter invitum non esse : ut merito autem judicetur dominum jus suum concedere aut rationabiliter invitum non esse, habenda est ratio ipsius fortunæ, quantitatis damni quod passurus est, et mali cooperatori imminentis : — c) si evidens sit damnum

inferendum esse, sive cooperetur, sive non, et grave timeatur malum; hoc patet ex principio : *Quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere.*

*R.* 4° Si autem quæstio ponatur in genere de damno fortunæ, inter doctores controvertitur. Multi affirmant in prædictis circumstantiis cooperationem immediatam in genere licitam esse. Præcipua eorum ratio est quod in extrema necessitate omnia bona fiant communia : porro qui non potest mortem vitare nisi actionis damnificativæ participet constituitur in extrema necessitate : ergo licite potest ut vitam suam servet hujusmodi bonis inferioribus uti; et licet non teneatur dominus aliquem a morte liberare bonorum suorum dispendio, conqueri tamen non potest quod alter sic saluti suæ prævideat. Vid. *Gury*, n. 687.

Cæteri multo communius negant. Nunquam enim licet facere mala ut eveniant bona; sed qui immediate concurreret ad actionem alteri in bonis fortunæ damnificativam, faceret malum. Etenim injusta alterius damnificatio est mala in se, et excusari non potest, nisi damnificatus non sit rationabiliter invitus : porro communiter damnificatus rationabiliter esset invitus in casu supposito, et contraria doctrina malefactoribus faveret, ac cunctis oppressionibus viam aperiret. Ergo. Ita *Vogler*, n. 310, *Billuart*.

*Quæritur* 2° utrum liceat mediate ad actionem alteri damnificativam concurrere ad vitandam mortem, mutilationem aut aliud grave damnum.

*R. Affirmative.* Etenim ob rationabilem causam ponere licet actionem ex se bonam vel indifferentem quæ ex malitia tantum alterius ad malum deducit effectum : sic omnes, post sanctum Thomam, fatentur quod, ad vitandum grave damnum, mutuum ab usurario petere, aut vinum petenti ad se inebriandum dare liceat : at mediata cooperatio, de qua hic agitur, ex se bona est vel indifferens, et ex malitia tantum abutentis vel cogentis alteri fit damnificativa; quamvis enim arma malefactoribus subministrentur, instrumenta illis præbeantur, excubiæ pro

ipsis agantur, non ideo damnum infertur : sed his actionibus ex se minime damnificativis abutuntur malefactores ut damnum inferant, sicut ebrius vino sibi præstito ad se inebriandum ; si ergo gravis sit ratio prædictas actiones ponendi, non magis damnum tribuendum erit cooperanti, quam ebrietas tribuitur ei qui præbet vinum.

Et vero licet, juxta fere omnes, pro vitanda morte reddere gladium apud se depositum proprietario illum ad alterum occidendum petenti ; multi etiam ex adversariis fatentur quod ad vitandum grave damnum res furtivas vehere liceat, quia furtum jam consummatum est; captivi apud Turcas naves ad bellum Christianis inferendum pro vitanda morte remis movere possunt : at non videtur cur potius in his quam in aliis casibus ad damnum sic mediate concurrere liceret : ergo. Ita *Vogler*, n. 223, et *Billuart*.

Hinc ab omni culpa, proindeque ab onere restitutionis immunes sunt qui, tempore perturbationis publicæ, metu mortis, vel alterius gravis damni, ad faciendas multas deprædationes coacti sunt mediate concurrere, v. g., deprædatores comitari, instrumenta illis subministrare, excubias agere, res deprædatas transvehere, etc.

Ut autem prudenter judicetur an sufficiens existat causa ponendi actionem quæ mediate ad damnum alteri inferendum concurrit, quatuor sunt consideranda : — a) gradus influxus hujus actionis in malum inferendum; — b) gravitas mali quod secuturum est; — c) probabilitas quod alioquin non inferretur; — d) examinandum est an malum istud sit contra justitiam. Major enim requiritur ratio, si causa efficacius in malum effectum influat, v. g., si scala sustineatur ut fur ascendat, quam si tantum commodaretur; major iterum requiritur ratio, si gravius sit malum ad quod concurritur; major adhuc esse debet, si probabilius sit quod alioquin non inferretur; major denique requiritur ratio, si malum sit contra justitiam, ac proinde contra voluntatem illius cujus violatur jus strictum, quam si ageretur de malo etiam spirituali illius qui voluntarie consentit.

Ratio fundamentalis cur non liceat immediate ad damnum alteri inferendum concurrere, liceat vero mediate concurrere quando malum aliquod concurrenti imminet, hæc esse nobis videtur, scilicet æqualitas hominum. Cum enim omnes natura sint æquales, unusquisque merito alteri interdicere potest actionibus quæ directe sibi nocent : verum, ex eodem principio, nullus habet jus interdicendi actionibus ex se indifferentibus quæ non fiunt nocivæ, nisi ex malitia tertii, modo aliunde gravis sit causa eas ponendi; jus enim istud supponeret unumquemque exigere posse ut alter actiones suas in ipsius utilitatem convertat : hoc autem evidenter repugnat, eo ipso enim tolleretur æqualitas : ergo.

SECTIO SEXTA. — *De muto, non obstante et non manifestante.*

I. QUID CAUSÆ NEGATIVÆ ET QUANDONAM IN GENERE AD RESTITUENDUM TENEANTUR. — Causæ negativæ illæ sunt quæ non influunt positive in damnum, sed illud tantum non impediunt, cum ex officio impedire deberent.

Triplici modo causæ negativæ cooperari possunt ad damnum alteri inferendum, scilicet, non loquendo, non obsistendo et non manifestando; idcirco negative cooperans, dictus est mutus, non obstans et non manifestans.

Mutus ille est qui, licet ex officio damnum impedire teneatur, tacet dum verbo, præcepto, minis, monito, precibus, litteris, clamore, strepitu, etc., illud impedire posset. Tales sunt superiores qui inferiores vident damnum alteri inferre, v. g., furari, detrahere, etc., et nihil dicunt; custodes silvarum, vinearum, etc., qui silent, dum clamore deprædatores avertere possent.

Non obstans est ille qui negligit operam dare ut malefactorem a damno avertat, v. g., dux exercitus qui civitati obsessæ non succurrit; advocatus qui defectu studii clientem male tuetur, magistratus qui sua segnitie scandala permittit grassari.

Non manifestans dicitur ille qui malefactorem dissimulat, judicibus vel superioribus non manifestat, ad im-

pediendum malum, si nondum sit illatum; ad illud vero reparandum, si jam sit peractum : tales sunt præpositi negotiorum et vectigalium collectores qui defraudantes non manifestant ut damnum dominorum vel reipublicæ impediant.

2° Causæ negativæ, cum in damnum positive non influant, obligationem illud reparandi per se non incurrunt, sed tantum ratione contractus aut quasi-contractus quem transgrediuntur, vel officii, v. g., dominus qui non impedit ne animalia sua damnum vicinis inferant, denariis publicis præpositus qui fraudi sibi notæ non obstat, etc. : id patet ex dictis.

Unde qui solummodo ex charitate damnum impedire tenentur, si illud ex odio non impediant, quamvis facillime impedire possent, nulla obligatione restituendi constringuntur neque ex justitia, neque ex charitate.

3° Ut igitur causæ negativæ obligationem damnum reparandi incurrant, tria requiruntur : — a) ut illud ex justitia impedire teneantur; — b) ut illud impedire valeant, nisi forte quis ad illud reparandum se obligaverit etiamsi absque culpa sua eveniret; nam, secluso speciali contractu, nemo tenetur reparare damnum quod absque culpa sua fuit illatum; — c) requiritur ut damnum istud absque gravi detrimento impedire queant : etenim si omnes qui damnum aliorum ex officio impedire debent, ad id cum gravi detrimento obligarentur, fere quicumque habent conscientiam timoratam, hujusmodi recusarent officia, et societas grave detrimentum inde pateretur; maxime enim illius interest ut præcipua ejus officia a viris pietate et probitate conspicuis exerceantur : ergo. Hinc famulus cum periculo vitæ aut mutilationis ligna domini sui servare non tenetur.

Aliquando tamen fieri potest ut cum gravi detrimento, etiam cum manifesto vitæ periculo, detur obligatio damnum impediendi, nempe si de bono publico agatur; bonum enim particulare semper bono publico cedere debet. Unde milites cum periculo vitæ obsistere tenentur hostibus irruentibus, ne civitatem ingrediantur.

II. De causis negativis quædam proponuntur quæstiones practicæ. — *Quæritur* 1° utrum confessarius qui cognoscit pœnitentem ad restitutionem teneri, et illum de restitutione facienda monere negligit, ad restitutionem teneatur.

*R.* 1° Confessarius qui per decisionem positivam falso decrevit talem personam ad restitutionem non teneri, onus restituendi defectu pœnitentis incurrit, si propter gravem in acquirenda competenti scientia negligentiam, aut præcipitationem, aut præsumptionem, mortaliter peccaverit.

Si confessarius venialiter tantum peccaverit, v. g., defectu attentionis, vel quia non omnem adhibuit diligentiam quam adhibere debuisset, ad id solummodo tenetur quod materia peccati mortalis esse non potest, juxta quod diximus, ubi *de damno per culpam venialem illato.*

Si nullo modo peccaverit, id est, si falsam decisionem dederit post adhibitam diligentiam cujus erat moraliter capax et aliunde cognitiones in confessariis absolute requisitas habeat, ad nullam restitutionem tenetur, si quidem obligatio damnum reparandi semper aliquam culpam theologicam supponit.

*R.* 2° Si confessarius pœnitentem de restitutione facienda non admonuerit, distinguendum est : vel ex consulto non monuit, vel ex negligentia, in priori casu ad nihil tenetur, nam juxta communem sententiam, confessarius potest, imo debet non admonere pœnitentem invincibiliter se ad restitutionem teneri ignorantem, quando prævidet fore ut admonitus restituere nollet; nam ex officio ea præstare tenetur quæ ad salutem pœnitentis magis conducunt : monitio autem in eo casu ad salutem pœnitentis non conducit; non admonitus enim, materialiter tantum peccat; admonitus vero et non restituens, formaliter peccabit et damnabitur. Ergo.

In posteriori casu, id est, si confessarius ex gravi et mortaliter culpabili negligentia restitutionem præcipere omiserit, iterum distinguendum est; si ipsius silentium

pro decisione positiva habeatur, ad restitutionem tenetur : positivam vero decisionem dare censetur, quando, interrogante pœnitente, nihil respondet, vel quando ita se gerit ut inde pœnitens ad restitutionem se non teneri concludat : ita enim concludere solent rudes, si confessarius nihil dicat.

Si ipsius silentium pro decisione haberi non potest, scinduntur theologi, sed probabilius nobis videtur confessarium ad restitutionem non teneri.; teneri enim non potest nisi ratione officii invigilare debeat bono temporali privatorum : at ratione officii invigilare non tenetur bono temporali privatorum ; ex officio enim curam de bono spirituali pœnitentis habere debet, sed minime de damno temporali alterius. Ergo. Ita *Bonacina*, *Billuart* et *Vogler*, n. 325, qui pro eadem opinione decem et octo citat theologos, contra multos alios, inter quos *Navarrus*, *Sylvius*, etc.

*R.* 3° Sive decisionem falsam dederit confessarius, sive restitutionem culpabiliter præcipere omiserit, juxta omnes, ab omni obligatione liberabitur si postea pœnitentem de restitutione facienda admoneat, tunc enim vim negligentiæ suæ per monitionem sequentem sufficienter elisit, nisi pœnitens, qui tempore opportuno admonitus restituisset, jam non possit aut nolit restituere ; quo in casu, quæstio solvenda est ex modo dictis circa obligationem confessarii.

Quod de confessario dicitur, pari ratione dicendum est de theologo qui casus extra confessionem solvit, de advocato, etc.

*Quæritur* 2° ad quid teneatur paterfamilias aut quivis alius superior pro damnis a suis subditis illatis.

*R.* 1° Ex lege civili, *art.* 1384 Cod. civ., tenentur — a) paterfamilias, et eo defuncto, mater pro filiis minoribus et contubernalibus ; — b) herus vel mandans pro famulis vel mandatariis, saltem in officiis quæ ipsis specialiter demandavit ; — c) item institutores et opifices pro alumnis quamdiu sub eorum custodia ponuntur ; non tamen absolute tenentur, sed nisi demonstrent se facta

impedire non potuisse, ut positive statuitur de patre, et matre, de institutoribus et opificibus; silet lex de heris et mandantibus. At, si solvere debeant, compensationem a damnificantibus sibi subditis repetere possunt, pro quibus tantum quasi sponsores habentur. Insuper cum stricta obligatio non oriatur nisi ex lege, qui culpam theologicam non admisit, non tenetur ante sententiam judicis. Tenetur vero post sententiam; sententia enim illa justa est et jus strictum alteri confert : ergo.

*R.* 2° Ex jure naturali et pro foro interno, nullo modo tenetur si nullam culpam theologicam admiserit : tenetur e contra, si non impediendo peccaverit, et silentio suo in damnum positive influxerit; si vero, licet peccaverit, in damnum nullatenus influxerit, probabilius tamen tenetur, cum enim damnificantes de domo ejus sint et sibi subditi, illos regere et gubernare debet et a malo avertere; ideo ordinarie malum quod videt a suis fieri censetur approbare : si ergo non impediat cum possit, ad reparationem tenetur; sic *Carrière*, n. 360, contra *Gury*, n. 692; *Gousset*, 964.

*R.* 3° Quantum ad animalia spectat, de damno simpliciter et in omni casu tenetur dominus; quod æquum et rectæ rationi consentaneum videtur; non sufficienter enim omnium tranquillitati consultum fuisset nisi dominium animalium hujusmodi obligationem connexum haberet, *art.* 1385. Exceptio forsan datur si factum fuerit omnino imprævisum et ex vi majori.

*R.* 4° Si agatur non de mancipiis seu servis proprie dictis, sed de domesticis qui libero pretio ad operandum se locaverunt, aut de mercenariis, quidam volunt dominum ad restitutionem non teneri, si illos a damno avertere neglexerit, quia sub illo respectu stricte ipsi non subjiciuntur. Ita *Vogler*, n. 325. Excipit tamen hunc casum, nempe si delinquunt in officiis quæ dominus specialiter illis demandavit.

*Quæritur* 3° utrum famuli restituere teneantur si non impediant, cum possent, ne damnum hero suo inferatur.

*R.* 1° Famulus restituere tenetur quando damnum non impedivit : — a) si expressa conventione ad id se obligaverit ; — b) si ex speciali officio bonis heri sui invigilare debeat, qualis est, v. g., præfectus cellæ, granarii, horti, culinæ, etc. ; peccat enim contra justitiam si non impediat ne in bonis sic specialiter sibi commissis damnum inferatur a quibuscumque, sive extraneis, sive conservis ; idem dicendum est de præfecto totius domus ; omne enim damnum ex justitia avertere tenetur ; — c) si famulus dominum in via comitetur, illum a latrone defendere ex justitia tenetur, quia illius est custos.

*R.* 2° Communius adhuc docetur famulos ex justitia teneri impedire ne domino damnum ab extraneis inferatur, saltem si absque gravi detrimento possint eos repellere ; eo ipso enim quod in familiam domini ingressi sint obligationem sibi imposuisse censentur eum adversus extraneos defendendi. Ita *Layman*, Lessius, card. *de Lugo*, *Vogler*, n. 326, et communiter theologi, contra Bonacinam et quosdam alios.

*R.* 3. Nunc difficultas est utrum famulus qui videt bona domini specialiter sibi non commissa a conservis dilapidari, ex justitia obsistere, aut dominum admonere teneatur. Valde scinduntur doctores : attamen communius et probabilius contendunt illum, etiam in hoc casu, teneri ex justitia obsistere, vel dominum admonere. Ex dictis enim obsistere vel dominum admonere teneretur, si de damno ab extraneis inferendo ageretur ; *a fortiori* obsistere vel dominum admonere debet quando de damno a conservis inferendo agitur ; nam hujusmodi furta multo frequentiora sunt, et in illis patiendis multo magis dominus debet esse invitus : magis ergo exigere debet ut fidelis servus obsistat, vel ipsum admoneat, modo agatur de re notabili respectu domini. Ergo. Ita *Billuart*, *Carrière* et multi alii, contra *Vogler*, n. 326, *Gury*, n. 691 et multos alios.

*Neque dicatur* quod fidelis servus dominum sic admonendo conservis odibilis fieret ; nam ita prudenter, saltem ordinarie, dominum admonere potest, et dominus sic

prudenter se gerere, ut infidelis servus suspicari nequeat quomodo mala ipsius agendi ratio fuerit detecta.

*Quæritur* 4° an custodes vectigalium mulctas non exigentes in iis circumstantiis in quibus exigere possent, ad restitutionem teneantur erga principem, vel erga dominum si vectigalia sint locata.

*R.* Juxta omnes tenentur pro damno quod in futurum ex eorum tolerantia forsan orietur, quia inde audaciores erunt defraudantes. Item restituere debent quidquid vectigalium negligentia sua non perceperunt. Verum pro ipsa mulcta duplex est theologorum opinio. Non pauci enim dicunt illos ad restitutionem mulctarum non teneri; nam, inquiunt, ad mulctas exigendas non sunt præpositi, sed ad vectigalia percipienda : ex officio igitur mulctas exigere non tenentur, et ideo si illas non exigant, restituere non obligantur. Sic *Vogler*, n. 330, *Billuart*, et plures alii.

Alii autem probabilius docent præfatos custodes ad restitutionem teneri; eo ipso enim quod vectigalibus sint præpositi, ea colligere debent ad quæ dominus vel princeps jus habent: at jus habent ad mulctas sicut et ad vectigalia ; mulctæ enim sunt sanctio legis : si non exigantur, brevi lex ipsa deficiet. Præterea, sunt velut quædam compensatio pro fraudibus quæ passim fiunt. Ergo. Ita cum pluribus aliis *Collet* et P. *Antoine*. Attamen si custodes consensum principis aut domini saltem rationabiliter præsumptum habeant, possunt et debent in quibusdam circumstantiis mulctas saltem ad totum rigorem non exigere.

*Quæritur* 5° utrum custodes qui, data opera, se abscondunt ut delinquentes facilius deprehendant et ab illis pœnas exigant, contra justitiam peccent.

*R.* Eos contra justitiam non peccare, siquidem, ita se abscondendo, jus debitorum non violant: ergo. Nec etiam contra charitatem peccant, si eo fine se abscondant ut damnificantes deprehensi efficacius corrigantur; non possent tamen eorum peccatum sibi proponere, ut postea corrigerentur, quia tunc fieret malum ut eveniret bonum :

igitur negative tantum erga peccatum istud se habere debent. Ita, in locis citatis, *Vogler*, *Billuart* et multi alii.

*Quæritur* 6° an testis restituere teneatur, quando veritatem in judicio non manifestavit, et sic in causa fuit cur damnum illatum non reparetur.

*R.* 1° Si per falsam depositionem positive in sententiam influxit, nulla est difficultas: omnes fatentur illum ad restitutionem teneri.

*R.* 2° Si in judicium non fuerit appellatus, nulla est adhuc difficultas; nemo enim ex justitia tenetur ultro ad testandum se offerre, quamvis sæpe ex charitate sub peccato mortali ad id teneatur, v. g., si testimonio suo innocentem facile liberare possit.

*R.* 3° Si vero legitime sit vocatus, et per fraudes vel fugam judicium declinet, juxta communiorem opinionem peccat contra justitiam; damnificatus enim jus habet recurrendi ad judices ut sufficientem obtineat satisfactionem; judices autem satisfactionem decernere non possunt, nisi veritas per testes manifestetur; testes juridice appellantur: comparere igitur debent. Si veritatem manifestent, damnum reparabitur: ergo si illam occultent, aut si non compareant, revera in causa sunt cur damnum non reparetur. Ergo ipsis imputabile est. Supponimus malum nimis grave non esse timendum testi vocato; nam mandatum judicis non obligaret cum tanto incommodo. Ita P. *Antoine*, *Habert*, *Collet*, etc., contra Lessium, l. II, c. 30, l. LVIII; Sylvium, q. 70, art. 1, *Quær.* 1, con. 5; *Vogler*, n. 337, et *Billuart*, qui dicunt testem vocatum et non comparentem aut veritatem [dicere recusantem, peccare quidem contra charitatem et justitiam legalem, non vero contra justitiam commutativam: unde testis qui vocatus, comparere aut justitiæ satisfacere recusat, ex Cod. *Inst. Crim. art.* 80, ad mulctam damnatur, et nunquam ad restitutionem erga eum in cujus gratiam testificari debuisset.

*Quæritur* 7° an reus, qui legitime interrogatus crimen suum negavit, teneatur solvere mulctam ad quam certo alioquin fuisset damnatus.

*R.* Si de damno reali allato, sive per seipsum, sive per servum, sive per animalia agatur, certum est illum prædictam mulctam solvere teneri, quia tunc illa mulcta non est præcise ad puniendum delictum, sed ad compensandum damnum. At, si culpa esset tantum juridica, solvere non teneretur ante sententiam judicis. Si vero de pœna proprie dicta agatur, scinduntur theologi : multi illum ad restitutionem teneri negant; nam, inquiunt, de hujusmodi pœna ratiocinandum est sicut de pœna corporali: porro qui pœnam corporalem declinasset, etiam per mendacia, non idcirco eam sibi infligere teneretur : ergo *a pari*, etc. Hæc sententia probabilis est. Alii tamen contendunt quod, in illo casu, reus mulctam solvere deberet; nam legitime interrogatur : recte igitur respondere tenetur; at si recte respondeat, ad mulctam certe damnabitur : ergo si mentiatur, solvere debet id quod per mendacium retinet. Prior sententia est ad minus probabilis, ait *Carrière*, n. 364. Reus enim videtur teneri nisi ex obedientia, ac proinde nihil agere injustum.

*Quæritur* 8° quandonam judex ipse restituere teneatur, pro damno ab ipso illato vel non impedito.

*R.* 1° Judex qui sine legitima causa a tribunali abest, sciens, vel ut probabile prævidere debens, ob suam absentiam injustam ferendam esse sententiam, a restitutione excusari non posse videtur, quia ex officio tenebatur tali obstare injustitiæ.

*R.* 2° Judex qui absque legitima causa pœnas pecuniarias relaxat, ad restitutionem tenetur, si mulctæ illæ sint in compensationem damni. — Si sint in vindictam delicti, iterum ad restitutionem tenetur juxta omnes pro damno quod ex ipsius tolerantia oritur; quia malefactores ex officio tenetur reprimere. — Sed quoad restitutionem ipsius mulctæ non unanimes sunt theologi, sed probabilius tenetur erga principem quem injuste impedit a consecutione boni quod legitime consequi potest. Non censetur autem pœnam sine legitima causa relaxare, quando eam ex prudentia mitigat, præsertim erga pauperes et eos qui minus rei judicantur; tunc enim in-

tentionem principis rationabiliter præsumptam sequitur.

*Notandum est* quod in pluribus contradictoriis sententiis quas modo exposuimus, cum æquales fere sint hinc et inde rationes ac auctoritates, caute admodum præscribenda sit restitutio; sæpe ex parte tantum injungenda, vel transactio consulenda est, vel etiam pœnitens, qui bona fide putat se in tali casu ad restitutionem non teneri, non monendus est, quando scilicet prævidetur monitionem futuram esse inutilem. Et aliunde, ex dictis in Tractatu *de Conscientia*, confessarius non habet jus exigendi ut, in materiis controversis, pœnitens opinionem probabilem deserat et tutiorem amplectatur.

### § III. — De iis qui alterum a consecutione alicujus boni impediunt.

Notandum est multiplicem esse casum tum illius qui impeditur, tum illius qui impedit. Ille enim qui impeditur vel jus strictum habet ad consequendum bonum, vel non potest bonum consequi absque injustitia aut peccato, vel simpliciter et legitime potest. Ille autem qui impedit, vel utitur mediis justis vel injustis, vel illicitis; jam vero :

*Certum est* 1° illum ad restitutionem teneri, qui alterum quovis modo, sive metu, sive fraude, sive precibus, sive suasionibus, etc., impedit a consecutione alicujus boni ad quod jus habet, sive in re, et tunc totum restituere debet; sive ad rem, et tunc secundum valorem spei bonum istud consequendi restitutio facienda est : evidenter enim justitia commutativa in illo casu violatur. Non potest enim aliquis impediri a consecutione boni ad quod jus strictum habet nisi medio injusto. Hinc restituere tenetur qui etiam tantum precibus aut suasionibus aliquem avertit a solvendo debito ; damnum enim illatum suadenti imputandum est.

*Certum est* 2° illum ad restitutionem non teneri, qui per actiones etiam illicitas alterum impedivit a consecu-

tione alicujus boni quod absque injustitia consequi non poterat. Si enim illum averterit mediis licitis, res patet; si vero mediis illicitis, aut etiam injustis ad nihil evidenter tenetur quoad bonum cujus consecutionem impedivit, sed teneri potest quoad media quibus usus est, v. g., ad retractandum mendacium vel calumniam.

*Certum* 3° saltem communiter ad restitutionem non teneri qui mediis illicitis aut injustis alterum impedit a consecutione boni quod absque injustitia quidem, sed non absque peccato obtinere potest; impossibile est enim ut quis verum habeat jus ad rem quam sine peccato obtinere nequit. Hinc qui mendacio impedit ne mulier per meretricium lucrum faciat, hoc lucrum illi solvere non tenetur. Ita *Vogler*, n. 379 et 382.

Tota igitur nunc quæstio est an qui alterum impedivit a consecutione boni ad quod nullum jus habebat, sed quod legitime consequi poterat, ad restitutionem teneatur.

*R.* 1° Si vi, metu, fraude, mendacio aut aliis viis injustis alterum a consecutione hujusmodi boni impediverit, ad restitutionem tenetur. Etenim vis, metus, fraudes, etc., cadere possunt vel in eum qui bonum erat consecuturus, vel in eum a quo bonum illud sperabat: porro in utroque casu existit obligatio restituendi. — a) Si vis, metus aut fraus exerceantur erga eum qui bonum erat consecuturus; nam jus habet ut libertate sua non privetur: at libertate sua aliquo modo privatur, quando per vim, metum vel fraudem a consecutione boni quod legitime consequi posset, privatur. — b) Idem dicendum est, si vis, metus aut fraus exerceantur erga eum a quo bonum sperabat; quamvis enim jus strictum non habeat ad bonum istud, jus habet ut alter artibus injustis a bono sibi concedendo non removeatur.

Hinc qui vi, metu vel fraude impediret ne quis alterum hæredem vel legatarium suum institueret, ad restitutionem teneretur. Item qui per hujusmodi vias impedit ne artifex artem suam exercere valeat, ne dignus ad officium vel beneficium promoveatur, etc.

*R.* 2° Qui mediis non injustis, precibus, adhortatio-

nibus, blanditiis, suasionibus, etc., aliquem impedivit a consecutione boni quod legitime obtinere poterat, non ideo ad restitutionem tenetur, quia jus ejus non violavit, siquidem preces, adhortationes, etc., libertatem non lædunt. Nec obstat quod dominus donare statuisset, quia tale propositum jus non contulisset tertio; nec quod impediens ex odio egisset, modo injustum non adhibuisset medium. Unde qui superiorem rogavit ut officium lucrativum alteri licet non digniori conferret, ad restitutionem non teneretur erga eum qui forte illud obtinuisset. Si tamen, propter metum, reverentiam, timiditatem, etc., preces vel adhortationes libertatem tolleret, tunc restituendi obligatio existeret. Ita, pro variis responsionibus istis, *communissime theologi*.

Juxta multos, qui, per actum etiam injustum erga aliquem, impediisset tertium, præter suam intentionem, a consecutione boni quod licite obtinuisset, ad restitutionem non teneretur, quia jus strictum tertii non læsisset, v. g., Petrus injuste occidit Paulum, non tenetur erga Jacobum de dono quod a Paulo certo accepisset; secus, si intentionem habuisset Jacobum per occisionem Pauli bono obtinendo privandi.

*Quæritur* ad quid teneantur illi qui, ut eleemosynas obtineant, fingunt se esse pauperes, ægrotos, claudos, etc., dum revera tales non sunt.

*R.* 1° Certum est illos qui se esse pauperes fingunt dum non sunt ad restitutionum eleemosynarum quas sic extorserunt teneri; injuriam enim faciunt, et eis qui eleemosynas conferunt, et veris pauperibus, qui exinde eleemosynis defraudantur; satis tamen erit si veris pauperibus restituatur, nisi de re notabili agatur quæ tribuentibus eleemosynam reddenda est. Propter eamdem rationem, juvenes qui pensiones gratuitas pauperibus destinatas obtinent, dum propriis expensis studere possent, ad restitutionem evidenter tenentur. Item parentes qui infantes suos in xenodochiis publicis collocant, dum eos alere possent, obligationem reparandi damnum incurrunt.

*R.* 2° Qui revera pauperes, se fingunt esse ægrotos,

claudos, etc., ut uberiores eleemosynas obtineant, communiter ad nihil tenentur, sive erga erogantes, sive erga alios pauperes; intentio enim principalis erogantium fuit pauperibus subveniendi : porro qui acceperunt sunt vere pauperes; eorum igitur fictio, licet culpabilis sit, vel causa erogandi non fuit, vel est quid accidentale.

## ARTICULUS TERTIUS.

### QUANTUM SINGULI DAMNIFICANTES ET IN QUO ORDINE RESTITUERE DEBEANT.

I. De quantitate restitutionis. — Quantitas restitutionis determinatur vel ex quantitate rei acceptæ, vel ex gradu influxus in damnum illatum. Hinc.

*Certum est* 1° eum qui rem alienam apud se detinet vel illius pretium, aut eam in proprios usus consumpsit, ita ut inde ditior factus fuerit, eam integram vel ejus valorem reddere teneri : res enim semper clamat domino et illi reddenda.

*Certum est* 2° eos qui eodem modo damno alteri inferendo cooperati sunt, illud reparare æqualiter teneri, v. g., si ad comburendam domum mille aureorum, decem eodem modo concurrerunt, singuli ad centum tenentur : *hoc patet*.

At difficultas est de solidaritate obligationis, nempe quando sic inter damnificantes communis et quasi unica est obligatio, ut unusquisque eorum pro singulis teneatur erga personam læsam. Illa autem solidaritas solummodo existit, quando sic damnum intulerunt per modum unius, ut unusquisque eorum videatur in totum influxisse et totius dici possit causa injusta et efficax. Hinc plura facile solvuntur; sic.

1° Si plures ad inferendum damnum seorsim et absque conspiratione mutua concurrerint, nulla existit inter eos solidaritas, sed singuli ad partem cooperationi suæ respondentem solummodo tenentur; nullus enim fuit causa efficax totius damni. Hinc, si vinea secus viam sit posita,

et viatores unus post alium eam depopulati sint, unusquisque tenetur tantum ad partem quam abstulit.

2° Si autem e contra unanimiter et ex mutua conspiratione concurrerint, tenentur juxta omnes in duplici casu sequenti; nempe, si unusquisque posuerit actionem injustam per se ad inferendum damnum sufficientem, v. g., in homicidio tres lethaliter hominem percusserunt; — item, si posuerit unusquisque actionem necessariam, id est, actionem sine qua damnum non fuisset illatum, v. g., duo asportaverunt rem furatam, quam unus auferre non potuisset. In utroque casu totum damnum cooperanti imputabile est, siquidem in totum ut causa efficax positive influit.

3° Si ex conventione quidem egerint, sed nec necessarium nec sufficientem ad damnum concursum præstiterint, v. g., si tribus ad trabem auferendam paratis et sufficientibus, quartus superveniat, aliis se jungat et cum illis trabem æqualiter ferat, tenebiturne in solidum pro aliis ad totum restituendum? Hic major est difficultas. Scinduntur theologi : multi affirmant singulos ad totum pro aliis in solidum teneri, alii vero negant.

*Prima sententia.* Qui affirmant, his præcipue nituntur rationibus : — a) si unusquisque in totum damnum influxerit, totum tenebitur resarcire; nam totum erit ipsi saltem aliquo modo imputabile : at unusquisque cooperans in totum influxit damnum; quamvis enim absque ipsius concursu damnum fuisset illatum, nihilominus illud conjunctim cum aliis intulit, et revera in totum sicut et alii positive influxit : totum ergo ipsi imputabile est, ac proinde totum, deficientibus aliis, reparare debet. — b) Si unusquisque cooperator ad totum non teneretur, quando illius concursus non fuit necessarius, inde sequeretur eum qui damnum passus est, perfectam ab unoquoque exigere non posse reparationem, præcise quia cooperatores in tali fuissent numero, v. g. : quatuor absolute erant necessarii, quatuor tantum fuerunt, unusquisque ad totum tenetur in solidum; si vero quinque fuissent, nullus ad totum teneretur : illud autem est ridi-

culum simul et absurdum. Ergo. — c) Ea semper fuit tribunalium civilium praxis, ut defectu aliorum, unusquisque ad totius damni reparationem condemnaretur. Ergo. Pro hac opinione citantur, apud *Vogler*, n. 343, Sotus, Rabellius, *Medina*, *Covarruvias*, Navarrus, *Vasquez*, Dicastillus, Tannerus, etc.

*Secunda sententia.* Qui negant singulos malefactores hoc in casu ad totum teneri, his nituntur argumentis : — a) si unusquisque totum reparare teneretur, inde concludendum esset quemlibet militem exercitus, qui junctis viribus gravissimum intulisset damnum, totum pro aliis in solidum reparare teneri; sed illud videtur absurdum; — b) qui homini nequam ad furandum paratissimo novum suggessisset motivum, quod seorsim sumptum contemneretur, licet, spectatis omnibus circumstantiis, quemdam debilissimum addat stimulum, ad totum restituendum obligandus esset; porro illud nimis durum apparet; — c) obligatio reparandi damnum ex actione damnificativa oritur; itaque restitutionis mensura deduci debet ex gradu influxus causæ in damnum quod infertur: at, in casu proposito, influxus causæ non est efficax, nisi in partem damni, siquidem unusquisque damnificator seorsim sumptus ad damnum inferendum inutilis est. Ergo. Ita, apud *Vogler*, eodem numero, S. Thomas, S. Antoninus, Paludanus, *Richard*, Angelus, Gabriel, Adrianus, Sylvester, Tamburinus, *Sporer*, *Gomez*, etc. Ita etiam card. *de Lugo*, d. 19, n. 80, et plures alii.

Utraque opinio gravibus nititur momentis. Prior tamen communius tenetur et docetur, sed in praxi difficillime admitti potest, quia diversi cooperatores ad damnum persuaderi non possunt se, defectu aliorum, ad totum strictissime teneri.

Cæterum, quando existit solidaritas inter damnificantes, si unus ex cooperantibus totum restituerit, cæteri ad nihil tenentur erga personam quæ damnum passa est; restituere vero debent ei qui primus damnum reparavit; nam si primus non restituisset, singuli pro parte sua stricte tenerentur; obligatio eorum non fuit exstincta per dila-

tionem in illa implenda. Qui primus restituit, totum solvere debuit, quia alii partem suam injuste nolebant aut non poterant reddere : ergo pro ipsis satisfecit, ac proinde alii erga eum tunc tenentur. Unde, si quatuor damnum duodecim millium francorum alteri ex mutua conspiratione æqualiter intulerint, et unus, deficientibus aliis, totum restituerit, unusquisque ex tribus aliis ad tria millia erga ipsum tenebitur; si unus tantum ex tribus velit aut possit restituere, ad sex millia erga primum tenebitur, nam, ex hypothesi, æqualiter, defectu aliorum ad totum damnum tenentur. Ita expresse card. *de Lugo*, d. 19, n. 118.

II. De ordine in quo damnificantes restituere debent. — Multum interest scire quonam loco veniat ad reparandum unusquisque inter plures damnificantes; qui enim prior tenetur, absolute tenetur, alii vero non nisi ipsius defectu, et ipso solvente, ab omni obligatione liberantur.

Ad determinandum autem ordinem restitutionis, attendendum est, præter injustam detentionem, ad causam principaliorem in facto et ad primario moventem. Vid. *Dens*, n. 84.

1° Ante omnes tenetur injustus detentor rei alienæ. Qui igitur rem accepit, illam reddere tenetur, res namque clamat domino. Si rem in mala fide consumpserit, ad totum primus tenetur, etiamsi ditior inde factus non fuerit; rem enim in mala fide destruendo, vel consumendo, novam erga dominum commisit injustitiam a qua per solam restitutionem liberari potest. Secus dicendum foret, si rem furtivam in bona fide consumpsisset; tunc enim ad id solum teneretur ex quo factus esset ditior.

2° Illo deficiente, jubens seu mandans ad totum tenetur; ille enim ad totum tenetur cui totum imputandum est : atqui totum damnum jubenti imputandum est, cum exsequentem efficaciter ad actum moveat; jubet ut proprio suo nomine, in sui gratiam, ad oblectamentum suum, damnum inferatur : totum ergo tribuendum est illi, ac

proinde non nisi ridicule partem restitutionis ab aliis exigeret.

3° Post mandantem, exsequens ad totum tenetur, et ipso restituente, ad nihil cæteri cooperantes tenentur. *Est adhuc sententia communis.* Ille namque ad totum ante cæteros tenetur, cui revera totum damnum tribuendum est : atqui totum damnum tribuendum est exesquenti; vel enim proprio nomine agit, vel auctoritate et nomine mandantis : si prius, nulla est difficultas; si posterius, plures quidem dubitant, quia secundarius est agens; communius tamen et probabilius docetur totum ipsi tribuendum esse; licet enim secundarius sit respectu mandantis, reipsa principalis est respectu cæterorum qui sunt causæ tantum accessoriæ et secundariæ, quia mediate damnum inferunt, ipse vero solus immediate; cæteræ causæ ipsius arbitrio subordinantur, solus ipse ad injustam damnificationem libere se determinat : ergo.

Id autem intelligendum est de exsequente, qui suo nomine vel mandantis auctoritate agit; nam si plures simul consilium inferendi damnum iniissent, et unus nomine omnium illud inferret, ignem, v. g., ad incendium accenderet, non teneretur ante alios : omnes vero æqualiter et in solidum eamdem haberent obligationem. *Ita communiter theologi.*

4° Post rei aut ejus valorem detentoris, post mandantem et exsequentem, cæteri positive cooperantes alii ante alios non tenentur : non agunt enim alii ab aliis dependenter, nulla inter illos est subordinatio : consulens non agit per consentientem, nec consentiens per palponem aut per receptantem : nulli ergo totum damnum primario imputari potes. Ergo. *Ita nunc communissime theologi, contra* Bonacinam *et quosdam alios.*

5° Causæ negativæ ad restitutionem non tenentur, nisi omnibus causis positivis deficientibus; non influunt enim positive in damnum, sed illud simpliciter non impediunt, cum ex officio illud impedire deberent. Porro recta ratio et naturalis æquitas exigunt ut, qui positive damnum intulerunt, illud ante non impedientes resarcire teneantur;

quis enim risum cohibere posset, si alium audiret alteri serio dicentem : *Redde mihi partem restitutionis quam feci, quia damnum inferentem me vidisti et non impedivisti?* Ergo.

Inter causas negativas, scilicet mutum, non obstantem et non manifestantem, nullus existere videtur ordo, ita ut mutus, v. g., ante non obstantem, non obstans ante non manifestantem teneatur : *est sententia communissima.* Attamen fieri potest ut quis primario teneatur verbis aut actibus obstare, vel reum manifestare, et tunc ante alios restituere tenetur : sic custos specialis alicujus rei, secundum multos theologos, et probabilius, tenetur ante custodem generalem, cujus officium est invigilare ut speciales custodes munere recte fungantur.

*Sequitur ex dictis* quod, si ille qui primario ante omnes ad restitutionem obligatur restituerit, ad nihil omnino teneantur cæteri ; item si condonatio ipsi facta fuerit. E contra si ille qui secundario tantum obligatur restituerit, vel condonationem obtinuerit, qui post ipsum veniunt manent liberi : qui vero ante ipsum restituere debuissent, totum ei refundere tenentur. Unde si proprietarius rei ablatæ eam detinenti condonet, mandans, exsequens omnesque alii, eo ipso, ab omni obligatione restituendi solvuntur : si autem specialiter debitum exsequenti remittat, qui rem habet nihilominus eam reddere tenetur, et illius defectu, mandans obligatur. *Ita pro his responsionibus generaliter theologi.*

---

## CAPUT TERTIUM.

### CUI SIT FACIENDA RESTITUTIO.

I. Cuinam in genere sit restituendum. — Inter bona restituenda alia dari possunt certa, alia incerta et alia dubia. Bona certa ea sunt quorum legitimus dominus

cognoscitur. Bona incerta ea sunt quorum est ignotus; dubia, quorum dubius est dominus.

In priori casu bona certa legitimo domino ordinarie reddenda sunt, vel ei qui in ejus jura successit. Restitutio enim eo facienda est modo quo reparetur injuria alteri per violationem juris ejus illata : atqui restitutio eo modo non fieret, si bona certa legitimo eorum domino non redderentur, vel ei qui in illius jura successit, ut satis patet. Ergo.

Diximus 1° *ordinarie*; nam si quis ita restituere non posset quin periculum vitæ aut alterius gravis damni incurreret, ad id non teneretur, *ut infra dicemus.*

Diximus 2° *ordinarie domino reddenda est* nam si dominus non habeat administrationem bonorum suorum, ut minor, interdictus, non ipsi sed tutori res est reddenda. Item, si res furata fuerit apud commodatarium, opificem, vel depositarium, eis et non domino reddi debet; si enim res eis non redderetur, grave damnum inferri posset eorum famæ et fidei in eis habitæ. Aliunde ipsimet, ablationis momento, verum jus ad rem apud se detinendam habent.

Diximus 3° *vel ei qui in illius jura successit ;* cum enim dominus jus habeat strictum in hujusmodi bona, pertinent ad causam ab ipso habentes. Unde post mortem domini restitutio facienda est hæredibus ejus, vel legatariis si per testamentum de omnibus bonis suis disposuerit. Si vero nullos habeat hæredes, bona ejus ut derelicta habentur, et, juxta Cod. civ. art. 239, ad gubernium pertinent.

In secundo casu, distinguendum est. Si bona incerta fuerint juste acquisita, v. g., ex contractu legitimo, vel ex bona fide, tunc post adhibitam diligentiam ad dominum inveniendum, haberi possunt ut res inventæ quarum dominus non detegitur. Res enim inventæ illæ sunt quæ, ab aliquo nolente perditæ, ab inventore sine injustitia possidentur, licet verum habeant dominum : atqui bona incerta juste acquisita, absque injustitia possidentur et verum habent dominum : sub illo respectu sunt

ergo sicut res inventæ. Porro res inventæ reddi debent domino, si inveniatur; si vero, adhibita sufficienti diligentia, dominus non inveniatur, in pias causas impendi, juxta communiorem sententiam, vel retineri, juxta aliam: ergo idem dicendum de bonis incertis, si eorum dominus inveniri nequeat.

Si vero bona incerta illegitime fuerint acquisita, omnino in pias causas impendenda sunt. Bona hæc tractari debent secundum voluntatem domini rationabiliter præsumptam : at voluntas domini rationabiliter præsumpta non est quod possessor malæ fidei ea retineat. Præterea nemini sua fraus patrocinari debet : attamen fraus possessori malæ fidei patrocinaretur, si bona sic injuste acquisita retinere posset : ergo in pias causas id omne impendere tenetur quod domino, si inveniretur, restituere deberet, scilicet rem ipsam si existat, ejus valorem si non existat, ejus fructus quos percepit, fructus quos non percepit, sed quos dominus percepisset; item pretium damni quod dominus ex ablatione et retentione injusta rei suæ passus est.

In ultimo casu, nempe si rei dominus sit dubius, iterum distinguendum est. Si dubium moveatur super paucos, id est, si damnum uni ex duobus vel pluribus certo fuerit illatum, et, facta diligenti inquisitione, determinari non possit cui in particulari revera fuerit illatum, res omnibus in communi tradenda est, vel pretium ejus solvendum, ut inter illos dividatur, vel per sortem determinari oportet ad quem pertinere debeat.

Si autem dubium moveatur super multos, et tamen cognosci possit quibus damnum illatum est, ipsis iterum quantum possibile, est restituendum, v. g. civitati vel communitati cui damnum illatum est. Sic etiam restituere debent mercatores, caupones, pistores et similes qui passim defraudant, adulteratas merces pro integris vendunt, falsis ponderibus, injustis mensuris utuntur, etc. et in individuo cognoscere non possunt cui damnum intulerint, non adhuc pauperibus, sed ipsis personis læsis, quantum possibile est, restituere debent, v. g., per tem-

pus plus minusve longum pretium minuendo vel mensuras augendo. At si, omnibus prudenter perpensis, revera eis restituere non valeant, pauperibus locorum id omne reddere tenentur quod dominis refundere deberent, si apparerent.

*Quæritur* an quis restituere possit creditori sui creditoris.

*R.* Qui creditori sui creditoris restituit, aliquando peccat et quidem graviter, nempe si absque ulla legitima causa et invito creditore suo ita se gerat : attamen de novo restituere non tenetur, modo debitum sui creditoris imminuat pro quantitate restitutionis quæ ipsi facienda erat; nam, secluso omni damno aliunde provenienti, jus strictum ejus non violat ; imo fieri potest ut non peccet, si videlicet ipsius creditor debitum suum creditori injuste deneget : tunc enim opus charitatis erga creditorem sui creditoris, absque ejus detrimento, exercet.

II. Cuinam prius restituendum sit. — Hæc quæstio nullius erit momenti si supponatur debitorem debitis suis imparem non esse ; si e contra debitor non possit omnia solvere jam multum interest determinare quibusnam prius sit solvendum.

1° Ex jure naturæ si res aliena adhuc existat, legitimo ejus domino semper debet reddi, etenim ad possessorem non pertinet, et in solutionem ejus debitorum impendi non potest. Rei alienæ non est æquiparanda res credito vendita, et apud emptorem adhuc exstans. De ea multum olim disputatum est inter theologos ; communius tamen contendebant hanc in dominium emptoris, perfecta venditione, transiisse, et ideo aliis creditoribus venditorem non esse præferendum. Nunc lege positiva statutum est eam repeti posse intra dies octo a tempore traditionis. *Art.* 2102, n. 4. Si vero agatur de creditis proprie dictis, nulla in genere videntur aliis esse præferenda ex jure naturæ. Quædam tamen notantur ab auctoribus, ut videbitur infra in quæsitis.

2° Ex lege civili, inter creditores alii distinguuntur privilegiati, alii hypothecarii, alii communes. Privile-

giati ii sunt qui ex natura crediti sui omnibus aliis præferri debent; *art.* 2095; hypothecarii vero qui ex titulo hypothecæ seu assecurationis in bonis debitorum fundatæ jus habent ut immediate post creditores privilegiatos solvantur, eodem *art.* 2095; denique communes seu chirographi, qui neque ex privilegio, neque ex hypotheca jus habent ut aliis præferantur. Illæ autem legis dispositiones pro foro interno valent, quia et propter bonum omnium latæ sunt et insuper æquitate naturali fundantur. Igitur

Primo loco veniunt creditores privilegiati; privilegia autem eorum sunt fundata vel in bonis mobilibus et immobilibus simul, vel in mobilibus et in immobilibus separatim, vel in aliqua eorum parte determinata.

— a) Ex bonis sive mobilibus sive immobilibus ante omnia solvi debent, impensæ judiciales, impensæ pro funere et pro ultimo morbo illius cujus hæreditas distribuitur, ut stipendia medicorum, chirurgicorum, pharmacopolarum, et alia pro ultimo morbo debita æqualiter inter eos quibus solvenda sunt; stipendia domesticorum pro anno nuper elapso et anno currente, debita pro cibis a sex mensibus minutatim emptis. *Cod. civ. art.* 2101 *et* 2104.

— b) Nonnulla sunt privilegia in quibusdam bonis mobilibus specialiter fundata : sic proprietarius domus vel prædii rustici jus privilegiatum habet, pro locationis pretio, in fructus anni currentis, in valorem omnium mobilium quibus domus vel prædium est instructum; in eadem bona jus privilegiatum habet pro reparationibus quæ dicuntur *locativæ*, id est, quæ a locatario seu conductore fieri debent : illæ reparationes determinatur in Codice civili, art. 1754.

Attamen debita pro seminibus, pro labore ad fructus anni currentis colligendos, ex pretio messis solvi debent, sicut et debita pro instrumentis ex eorumdem instrumentorum pretio exhiberi debent, etiam ante locationis pretium. *Cod. civ. art.* 2102.

Privilegium etiam habent creditores in pignus quod

detinent pro summa sibi debita in cujus assecurationem fuit traditum, in rem conservatam pro impensis quas ad illam conservandam fecerunt, in bona mobilia quæ vendiderunt et tradiderunt, pro eorumdem pretio obtinendo; imo venditor repetere potest bona quæ tradidit, si adhuc apud emptorem existant, eorumque revenditionem impedire, modo repetitio intra octo dies a tempore traditionis fiat, et bona in eodem sint statu ac fuerunt tradita. *Eodem art. n.* 2 *et* 4.

Caupones privilegium habent in bona viatorum apud se deposita, pro cibis et potibus traditis et non solutis : vectores (*voituriers*), in res quas transvehunt pro sumptibus ad transvectionem necessariis et debitis. Item si publici functionarii res sibi commissas male tractent, gubernium semper privilegium habet in summas eorum in cautionem traditas (*cautionnement*).

— c) In bona immobilia privilegium habent : — venditor pro solutione pretii ejusdem boni, et si plures factæ sint successive venditiones absque ulla solutione, prima ante secundam, secunda ante tertiam solvi debet et sic deinceps; *Cod. civ. art.* 2103; — qui pecunias tradiderunt ad bonum istud acquirendum, modo actu mutui et venditoris chirographo, gallice dicto *quittance*, constet hanc summam ad talem emptionem esse petitam, ac revera solutionem ex ea factam fuisse; — cohæredes in bona successionis pro solutione portionum quæ ipsis ab aliis hæredibus refundi debent; — architecti, cæmentarii et alii operarii in ædificia et alia opera pro mercede laboris, et pretio sibi promisso ac debito; qui pecuniam mutuo dederunt, ut ex illa merces operariis solveretur, idem ac ipsi operarii habent privilegium.

Secundo loco veniunt creditores hypothecarii, qui et triplicis generis sunt, prout hypotheca est legalis, judicialis vel conventionalis. Privilegium autem hypothecarium non valet nisi a die inscriptionis apud conservatorem hypothecarum, excepta tamen hypotheca legali quæ ex *art.* 2135, inscriptione non indiget. Nullus autem ordo servatur inter eos qui eodem die inscribuntur.

Tertio loco veniunt creditores communes et inter eos, ut tales, nullus ordo servatur, ut dictum est; aliquando tamen inter eos, varias ob causas, suboriri potest quædam inæqualitas propter quam alii aliis præferuntur, ad quæ solvenda :

*Quæritur* 1° an aliquis ordo sit servandus inter creditores ex delicto et creditores ex contractu.

*R.* Circa hanc quæstionem triplex est sententia : quidam volunt creditores ex delicto præferendos esse, quia debitores in eo casu ex duplici titulo ad restitutionem tenentur, nempe ex justitia et ex injuria. Alii contendunt creditores ex contractu anteponendos esse, nam, inquiunt, hujusmodi debita ex justitia et ex fidelitatis titulo debentur. Ita Natalis Alexander et Collator Parisiensis. Nunc autem communior opinio tenet nullum inter illos creditores instituendum esse ordinem. Sic Lessius, l. II, c. 15, n. 16; Collator Andegavensis, *Vogler*, n. 448, *Billuart*, etc. Etenim stricta existit obligatio restituendi, quando justitia commutativa fuit violata : atqui non minus violatur, si debitum ex contractu non solvatur, quam si debitum ex delicto retineretur, et vicissim : ergo jure naturali nullus existit ordo prælationis : nullus pariter jure positivo fundatur, siquidem lex de tali ordine non loquitur et judices contrariam dispositionem sequuntur.

*Quæruntur* 2° utrum creditores certi incertis præferri debeant.

*R.* Duplici modo creditores possunt esse incerti : vel enim dubitatur an aliquid debeatur, nec ne; vel certum est aliquid esse debitum, sed ignoratur ad quem pertineat. In priori casu communiter admittunt theologi creditores certos anteponendos esse; rationi enim et æquitati conforme esse videtur creditorem certum potius indemnem servari quam illum cui forte nihil debetur : attamen probabile est aliquid creditori incerto pro ratione dubii tribuendum esse. Ita *Billuart* et cum illo plures alii.

In posteriori casu probabilius videtur creditores certos incertis præferendos esse : tunc enim rationabiliter præsumitur bona creditoris incerti voluntas. Aliunde, inquit

*Gury*, n. 707, durum foret denegare debitori facultatem se liberandi erga creditorem a quo prosequendus sæpe est, ut pauperibus obviis creditorem incognitum repræsentantibus, restituat. Saltem creditores certi licite incertis anteponi possunt. Ita Lessius, de *Lugo*, *Vogler*, n. 441, et communiter theologi contra *Billuart*.

*Quæritur* 3° utrum, cæteris paribus, creditores pauperes divitibus anteferri debeant.

*R.* Ex communissima recentiorum opinione, contra non paucos antiquiores, pauperes, nisi in extrema sint necessitate, præferri non possunt; nam ubi de justitia commutativa agitur, omnes, sive pauperes, sive divites, sunt æquales. Ergo.

Diximus *nisi in extrema sint necessitate;* nam in eo casu tam alii creditores quam ipse debitor illis succurrere tenerentur.

*Quæritur* 4° an quæ debita sunt titulo oneroso prius solvere oporteat quam ea quæ titulo gratuito debentur.

*R. affirmative: est sententia communis.* Etenim vel promissio, e qua debitum titulo gratuito oritur, ab illo facta est qui jam impar erat ad solvenda debita quibus tenebatur; vel ab eo qui tunc impar non erat. Si prius manifestum est promissionem non obligare; nemo enim valide uni promittere aut dare potest gratuito quod aliis stricte debet; imo, qui ab hujusmodi homine aliquid gratis etiam in bona fide accepisset, illud restituere teneretur, quia donatio essentialiter est nulla. Si posterius, id est, si tempore promissionis impar non erat donator ad debita quibus tenebatur solvenda, debita onerosa adhuc præferri debent: nam in omni promissione gratuita hæc semper includitur conditio, rebus in eodem statu remanentibus: si, solutis stricte debitis, aliquid mihi supersit. Ergo. Si tamen post donationem de præsenti factam et acceptatam constituerentur debita, postponerentur, quia res vel summa legitime donata, in donatarii dominium per acceptationem transiit: ergo nec titulo gratuito, nec titulo oneroso valide postea ad alios transmitti potest a donatore.

*Quæritur* 5° utrum debitor, ad debita sua jam impar,

tuta conscientia et absque injustitia integrum debitum uni solvere possit.

*R.* Integrum debitum potest et debet creditori privilegiato solvere, siquidem omnibus præferendus est. Sed uni e non privilegiatis vel ex æquo privilegiatis totum proprio nutu solvere non potest; nam erga omnes eodem modo tenetur: omnibus igitur, juxta legitimam proportionem, bona sua distribuere debet. *Ita generaliter theologi.*

At si creditor non privilegiatus prior petat, debitor potestne totum ei solvere?

*R.* Si juridice petat, totum post sententiam judicis solvere debet, et creditor totum retinere potest; quia legitima judicis sententia vim privilegii confert: si autem privatim et occulte petat creditor, multo major est difficultas. Non pauci graves theologi, ut Lessius, l. II, cap. 15, Sylvius, q. 62, art. 8, con. 8, et *Billuart*, censent solutionem integri debiti faciendam esse, et creditorem non peccare, quia jus suum prosequitur; sed probabilius alii cum cardinali *de Lugo*, d. 20, n. 176, tenent creditorem integram hanc solutionem petere non posse, nec debitorem eam concedere; nam, cum omnes debitores æquale jus habeant, iniquum foret unum aliorum detrimento servari indemnem. Id autem multo magis verum est quando publica bonorum cessio fuit declarata. De illa specialiter dicemus infra.

Minime tandem inquietandos esse arbitramur creditores qui, exorta de fortuna debitoris suspicione, debitum statim repetunt, quia non constat illum ad omnia debita imparem esse: itaque jus suum creditores legitime prosequuntur. Vigilantia non est prohibita neque vitiosa; ut enim quis integrum debitum petere aut obtentum retinere non posset, evidenter constare necesse foret bona debitoris certo insufficientia esse; intolerabile siquidem esset aliquem jus suum certum prosequi non posse integrum quia dubitat an bona debitoris ad omnia ejus debita sufficiant. Ita ferme *Billuart.*

## CAPUT QUARTUM.

### DE CIRCUMSTANTIIS OBSERVANDIS IN RESTITUTIONE FACIENDA.

Sufficienter explicuimus quis ad restitutionem teneatur, cui restitutio facienda, quid et quantum restituendum sit : superest ut expendamus quo in loco, quo tempore, et quo modo fieri debeat restitutio.

I. QUO IN LOCO FIERI DEBEAT RESTITUTIO. — Videndum est undenam oriatur obligatio restituendi, an ex simplici acceptione rei alienæ, an ex possessione malæ fidei, an ex contractu.

1° Si debitor rem alienam bona fide possidebat, in eo loco illam restituere potest ubi est quando advertit non esse suam. Possessor enim bonæ fidei nullum detrimentum propter rem alienam pati tenetur : attamen detrimentum propter rem alienam pateretur, si eam ad dominum propriis expensis remittere deberet. Ergo. Itaque dominum admonere debet et quærere ab illo quid de re sua fieri velit. Interim eam tuto expensis domini custodiet. *Ita communiter theologi.*

2° Si debitor rem alienam mala fide possibebat, illam propriis expensis transferre tenetur ubi dominus eam possideret, si ablata non fuisset ; tenetur enim possessor malæ fidei omne damnum emergens reparare, ac indemnem dominum reddere : at damnum emergens non repararet, nec indemnem dominum redderet, si rem ejus ex propriis expensis non transferret ubi tunc eam possideret : ergo. Deducere tamen potest sumptus quos dominus ipse ad rem suam illuc transferendam fecisset.

Si autem sumptus transvectionis duplo, triplo et quadruplo valorem rei excederent, juxta communem sen-

tentiam, sufficeret ut pretium rei ad dominum mitteretur; tunc enim dominus rationabiliter invitus esse non posset in eo quod res sua sibi non redderetur, nisi grave ex illius privatione pateretur damnum.

3° Si autem ex contractu res debeatur, vel conventum est de loco, vel non : si conventum est, servanda est conventio; si non fuerit conventum, res reddenda est in loco ubi erat tempore quo contractus fuit initus. Si autem ad illam remittendam quædam faciendæ sint expensæ, a debitore solvendæ sunt, supposito quod res restituenda in ipsius possessione ad utilitatem et bonum ejus remanserit, ut in commodato. Dominus vero solvere debet expensas, si in illius commodum res possessori fuit tradita, ut in deposito. Communibus autem expensis res erit tradenda, si in utriusque gratiam possideatur, ut in locatione. Sic præscribere videtur naturalis æquitas, sicque plures senserunt theologi. Ex communi tamen et recepto usu in hujus generis contractu, res remitti solet expensis illius ad cujus exigentiam fuit tradita, scilicet locatarii in locatione, etc.

II. Quonam tempore fieri debeat restitutio. Qui ad restitutionem tenetur, debet quamprimum moraliter restituere, nisi rationabilis causa illum excuset, atque si statim non restituat, totum tenebitur restituere damnum ex mora culpabili emergens. Præceptum restituendi est negativum, aut saltem præceptum negativum semper continet, nempe præceptum rem alienam non retinendi: atqui præceptum negativum obligat semper et pro semper, et ideo ipsi quamprimum moraliter satisfaciendum est. Ergo.

Diximus 1° *quamprimum moraliter;* restituendi enim præceptum obligat quidem statim physice et mathematice ad deponendum propositum rem alienam detinendi, sed non ita præcise ad realem obligat restitutionem, bene vero quamprimum moraliter, id est, data occasione opportuna et absque culpabili mora; hoc autem ex prudentum æstimatione dijudicandum est.

Diximus 2° *atque, si statim non restituat, totum tene-*

*bitur*, etc.; tunc enim illius damni causa est efficax, positiva et injusta. Ergo.

Diximus 3° *ex mora culpabili;* si enim restitutio non sit debita ex delicto, et mora restituendi sit inculpabilis, nulla est obligatio reparandi damnum inde emergens et lucrum cessans; nulla siquidem est culpa theologica, ut supponitur. Si autem restitutio ex delicto facienda sit, stricta erit obligatio compensandi damnum emergens, etsi mora non sit culpabilis, quia illud damnum ex causa injusta provenit.

Si tamen damnum istud extraordinarium esset, nec prævideri potuisset, debitor illud reparare non teneretur, juxta multos doctores, præsertim si creditor facile illum admonere potuisset, et non admonuisset; tunc enim damnum istud casui fortuito vel ipsius creditoris negligentiæ tribuendum foret, non vero debitori. Ita *Vogler*, n. 426.

4° Ubi vero nec res, nec pretium ejus mitti potest ad dominum absque gravibus hujusmodi sumptibus, tunc si, ex omissione vel dilatione restitutionis, tantum dominus passurus sit damnum quantum debitor in expensis quæ ad restitutionem necessario faciendæ sunt, procul dubio has debitor sustinere tenetur. Si rationabiliter speret fore ut restitutionem postea facere possit, et creditor ex dilatione restitutionis notabile damnum non passurus sit, legitime potest differre, quia dominus non videtur rationabiliter invitus.

Si nulla spes affulgeat quod in posterum facilior futura sit restitutio, et creditor damnum saltem notabile ultra debitum non patiatur, multi probabilissime docent dominum rationabiliter exigere non posse ut debitor cum tantis expensis restituat; itaque juxta illos sufficit vel restitutionem futuris hæredibus facere, vel rem in pias causas impendere. Ita contra *Pontas* et plures alios S. Antoninus, Lessius, card. *de Lugo*, *Vogler*, n. 414, *Billuart*, etc.

III. Quonam modo fieri debeat restitutio. — Qui ad restitutionem tenetur eo modo eam efficere debet quo plene justitiæ violatæ satisfiat. In eo namque consistit

restitutio, ut damnificatus in eo statu reponatur in quo esset, si jus ejus violatum non fuisset. Ergo.

Hinc, etsi in ablatione rei alienæ aliquod subortum fuerit scandalum, nihilominus præcepto restituendi satisfit per occultam rei traditionem, quamvis ex charitate publice reddi deberet.

Pariter non refert an restitutio per ipsum debitorem aut per alium fiat, an advertente aut non advertente domino perficiatur. Attamen si dominus, existimans restitutionem ita factam merum esse donum, aliud simile donaret, munus illud debitor non posset retinere, ut evidens est: imo qui sic restituit ut restitutio ejus tantum donum gratuitum habeatur, semper contra veritatem peccat, siquidem alterum decipit.

*Quæritur* ad quid teneatur debitor si res quam per alium remisit, casu fortuito vel ipsius nuntii injustitia perierit.

*R.* 1° Si debitor fuerit possessor bonæ fidei ad nihil tenetur, quia seclusa ipsius culpa, res domino perit.

*R.* 2° Si fuerit possessor malæ fidei ab obligatione restituendi non liberatur. Nam curare tenetur ut res quam injuste detinet aut ejus pretium ad dominum vel ejus creditorem de facto perveniat, alioquin non repararetur damnum. Res igitur quacumque ex causa perierit, sive casu fortuito, sive tertii injustitia, ipsi possessori injusto perit et non domino.

*R.* 3° Si autem debitum ex contractu fuerit, debitor ad nihil tenetur, si creditor dominium habeat, ut in deposito et commodato. Tenetur e contra si agatur de pretio creditori solvendo; in illud enim dominium retinet debitor quandiu ad creditorem non pervenerit : debitori igitur petri.

# CAPUT QUINTUM.

## DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

Aliæ ad tempus tantum a restitutione excusant, et aliæ omnino liberant. Unde duplex articulus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE CAUSIS QUÆ AD TEMPUS A RESTITUTIONE EXCUSANT.

Præter ignorantiam invincibilem, quæ, dum permanet, a restitutione excusat, tres sunt aliæ causæ propter quas licitum est restitutionem ad tempus differre, videlicet 1° impotentia debitoris, quæ ex inopia ipsius nascitur, vel ex damno quod pateretur; 2° damnum creditoris aut alterius personæ; 3° cessio bonorum.

#### § I. — De impotentia debitoris.

I. NOTANDA CIRCA IMPOTENTIAM ET NECESSITATEM. — Duplex distinguitur impotentia restituendi, scilicet impotentia physica et impotentia moralis. Impotentia dicitur physica, quando debitor est in absoluta impossibilitate restituendi, v. g., quia nihil habet unde restituat. Manifestum est hanc impotentiam, quamdiu durat, a restitutione excusare.

Impotentia est moralis quando debitor absolute quidem restituere posset, sed non sine magna difficultate; quod duplici modo contingere potest, nempe propter necessitatem præsentem, et propter damnum ex restitutione secuturum.

Necessitas autem triplex distinguitur, extrema, gravis et communis. Necessitas extrema est status personæ quæ

adeo est indigens, ut periculum vitæ amittendæ incurrat nisi ei subveniatur ; necessitas gravis est status personæ quæ ita ægre vivit, ut incurrat periculum in gravem incidendi morbum nisi auxilium ei præbeatur ; necessitas communis est status personæ quæ non nisi difficulter et cum magno labore vivit.

II. Principia certa circa impotentiam debitoris. — Qui restituere non potest, nisi se suosve in extremam vel gravem conjiciat necessitatem, generatim á restitutione tamdiu excusatur, quamdiu necessitas durat. Id enim 1° certum est quoad extremam necessitatem ; nam in extrema necessitate omnia bona sunt communia, saltem quoad usum, ita ut quilibet possit ad vitam suam conservandam bona alterius subripere; hoc omnes fatentur : *a fortiori* ea retinere potest.

Idem 2° certum est quoad gravem necessitatem ; licet enim restitutionem differre quando creditor restitutionem rationabiliter exigere non posset : at creditor restitutionem rationabiliter exigere non posset, si debitor illam facere non valeret nisi se suosve in gravem conjiciendo necessitatem : ergo.

In necessitate gravi alienum sibi sumere non licet, ut diximus, et qui illud abriperet furaretur. Sed magnum adest discrimen inter summam alienam subripere, et illam jam habitam restituere differre. Septem rationes hujus discriminis affert *Vogler*, n. 477 : hic eas requirere juvat.

Diximus *se suosve*, etc. Per suos, illi intelliguntur qui ipsi arcte conjunguntur, ut pater, mater, uxor, filii, alii ascendentes et descendentes ; horum enim propinquitas efficit ut aliquo modo una et eadem sint persona, atque ideo necessitas unius censetur necessitas alterius. Quidam etiam addunt fratres et sorores, et quidem merito, si adhuc in tenera ætate sibi providere nequeant ; et probabiliter adhuc si absque sua culpa ad gravem necessitatem fuerint redacti. At si propria culpa in tali angustia seipsos constituerint, tunc eorum indigentia non videtur ratio sufficiens restitutionem differendi.

Diximus etiam *generatim* quia sunt quædam exceptiones, quas in responsis ad sequentes quæstiones indicabimus.

III. Dubia et quæsita circa impotentiam debitoris. — *Quæritur* 1° utrum necessitas debitoris, sive extrema, sive gravis, a restitutione excuset, si creditor in eadem versetur necessitate.

*R.* 1° Si creditor in gravi versetur necessitate, eadem necessitas debitorem a restitutione non excusat; in pari enim necessitate melior esse debet conditio non solum innocentis si debitum sit ex delicto, sed etiam rei proprietarii : nam ubi de gravi necessitate agitur, creditor revera est proprietarius rei apud debitorem existentis, siquidem sola extrema necessitas omnia bona facit communia.

*R.* 2° Si creditor et debitor simul in extrema necessitate sint constituit, distinguendum est, vel res aliena ipso tempore extremæ necessitatis aufertur domino, unde in hac extrema necessitate conjicitur, vel antea ablata est. Si prius id omnino injustum est, et res sic ablata, si tempus adhuc exstat, reddenda est : debitor enim tunc in mortem innocentis positive et directe influeret; quod non licet, etiam ad tuendam propriam vitam. Hinc eripere non licet naufraganti solam qua salvari possit tabulam, nec præ fame morienti auferre unicum quo vivere queat panem, etiam ad vitandam propriam mortem.

Si posterius, id est, si ante extremam alterius necessitatem, aliquis rem ejus possedit, iterum distinguendum est. Vel enim possedit legitime et bona fide, et illam domino, in extrema necessitate constituto reddere non tenetur, si sit ipse in eadem necessitate, quia rem possidendo, jus alterius non violavit, nec retinendo violat, cum in ea necessitate bona fiant quoad usum communia. Si autem injuste rem primario possedit, v. g. si equum alterius furatus fuerit, ac in communi hostium impetu postea supervenienti, dominus equi capiendus sit nisi equum ad fugiendum habeat, fur teneturne illum reddere si idem periculum incurrat? Hic theologi

dissentiunt. Alii dicunt possessorem injustum teneri equum alienum restituere; nam melior esse debet conditio domini innocentis, et invitus merito foret, si in tali extremitate res sua ipsi non redderetur; negant autem in eo casu omnia bona fieri communia, quia tales sunt circumstantiæ ut non adsit motivum propter quod doctores in eam communitatem bona aliquoties recidere senserunt. Ita *Henno*, *Pontas*, *Collet*, etc.

Alii negant obligationem in hoc casu existere rem alienam reddendi; in extrema enim necessitate omnia bona fiunt communia. Ergo stricte dici non potest possessorem detinere rem alienam et eam reddere teneri : non enim influit positive in mortem creditoris, sed simpliciter eam permittit ut vitam suam ipse conservet. Sic Lessius, l. II, c. 16, n. 13; card. *de Lugo*, d. 21, n. 4; *Vogler* eamdem sententiam approbare videtur, n. 464.

*Quæritur* 2° utrum qui in extrema necessitate, re aliena usus est eam postea reddere teneatur.

*R.* 1° Plurima admittenda sunt ut certa : nam — a) Si res aliena adhuc subsistat, ut equus, v. g., quo usus est ad fugiendos hostes, nulla est difficultas : juxta omnes reddi debet; res enim clamat domino. — b) Si ante extremam necessitatem debitum contraxerit, et restitutionem legitime distulerit propter extremam necessitatem, ea transacta ad restitutionem adhuc tenetur; debitum enim contrahendo, actionem personalem in se creditori dedit : hæc autem actio per supervenientem necessitatem non exstinguitur. — c) Si in extrema necessitate re aliena usus est quam ex delicto possidebat, adhuc tenetur; quia injustus detentor casus fortuitos in se semper suscipit; ideo obligatio, quam rem alienam subripiendo contraxit, per extremam necessitatem non fuit sublata.

*R.* 2° Si res aliena in ipsa extrema necessitate consumpta fuerit, v. g. frumentum, distinguendum est. Si debitor non fuerit pauper in spe sicut et in re, id est, si, quamvis actu indigens, alibi bona haberet, vel mox habiturus esset, in extrema necessitate absolute non erat

constitutus, sicque res aliena ipsi mutuo data sufficiebat : eam ergo non fecit suam, ac proinde, eam consumendo, rem alienam consumpsit : ergo illius pretium solvere tenetur, nisi tamen ea res fuerit parvi momenti, quo casu omnino data merito censetur. Ita card. *de Lugo*, d. 16, n. 72; *Vogler*, n. 467; *Billuart* et communiter alii.

Probabile autem videtur illum ad restitutionem non teneri, si, tempore quo rem consumpsit, re et spe, id est, absolute et sub omni respectu, fuerit pauper; in extrema enim necessitate omnia bona fiunt, saltem quoad usum, communia : sed bona, de quibus hic agitur, usu consumuntur : nulla igitur potest esse obligatio ea deinde restituendi, præsertim si non fuerint ablata ante necessitatem, sed in ipsamet necessitate. Excipiendus tamen videtur casus in quo de re majoris pretii ageretur, cujus jacturam nemo pati tenetur, etiam ad servandam alterius vitam. Ita de *Lugo* apud *Lyonnet*.

Qui restitutionem propter gravem necessitatem distulit, transacta necessitate, restituere tenetur, ut patet.

*Quæritur* 3° utrum debitor restituere teneatur cum dispendio boni alterius ordinis.

*Notandum est* quadruplicis generis distingui bona in quibus fieri potest læsio, nempe bona animi, bona corporis, ut vita et membra, bona famæ et bona fortunæ.

Qui in gravi necessitate versatur, restitutionem differre potest, ex dictis, modo creditor eamdem fere non experiatur necessitatem; unde qui restituere non potest quin in bonis etiam ejusdem generis patiatur detrimentum longe gravius incommodo quod creditor ex rei suæ privatione experitur, hanc restitutionem legitime potest differre : *a fortiori* ergo non peccaret eam differendo, si restituere non posset absque gravi dispendio boni altioris ordinis, sive respectu sui, sive respectu suorum.

Hinc, qui statim restituere non potest quin famam amittat, quin vitæ periculum incurrat, quin filia ejus præ paupertate prostitutioni ex fragilitate se tradat, a restitutione tunc facienda excusatur.

Attamen si, omnibus perpensis, bona restituenda, prudenti judicio, majoris aut non multo minoris pretii æstimentur, quam bona superioris ordinis per restitutionem amittenda, restitutio differri non potest; nam æqualitas reponenda id exigit, et alioquin creditor merito invitus esset. Unde qui grandem pecuniæ summam furatus est, eam statim restituere tenetur, si leviter tantum timeat ne ut fur habeatur, aut si jam ut fur passim teneatur.

An vero sit obligatio bona superioris per bona inferioris ordinis compensandi, expendemus infra, ubi de homicidio.

*Quæritur* 4° utrum qui habuit rationem sufficientem ut restitutionem differret, damnum inde emergens reparare teneatur.

*R.* Vel ad restitutionem tenetur ex delicto, vel absque delicto: si prius, totum damnum emergens reparare tenetur; quamvis enim restitutionem differendo non peccaverit, causam tamen damni voluntarie et injuste posuit: illud ergo reparare debet. Si posterius, ad damnum emergens ordinarie non tenetur: si enim ad illud teneretur, vel ratione rei alienæ, vel ratione injustæ damnificationis: atqui neutrum dici potest; non ratione rei alienæ, siquidem res aliena ex restitutionis dilatione pretiosor non evasit; nec ratione injustæ damnificationis, quia nullum admisit peccatum, ut supponitur. Ergo.

Diximus *ordinarie;* nam si restitutionem ad lucrum percipiendum distulisset, etsi non peccavisset, quia, v. g., necessitatem domini ignorasset, damnum emergens reparare deberet; cum alterius enim detrimento ditari non licet et rationabiliter dominus invitus esset si damnum, quod occasione alterius lucri patitur, sibi non compensaretur; nam in pari causa melior est conditio creditoris qui jus ad rem suam habet quam debitoris.

*Quæritur* 5° utrum qui restituere non potest quin a statu cum magno dedecore notabiliter excidat, restitutionem differre possit.

*R.* Vel statum suum juste acquisivit, vel injuste; si juste illum possideat, totum abjicere non tenetur ut re-

stituat : magistratus, v. g., non tenetur artem mechanicam exercere ; hoc enim creditores rationabiliter exigere nequeunt. *Ita consent doctores.* Tenetur tamen minuere, quantum fieri potest, expensas in victu, in vestitu, in famulatu, ut paulatim restituat ; imo, si hæc debita, non ex infortunio, sed ex ludis, comessationibus, superfluis expensis contraxerit, et ea solvere non possit nisi a statu acquisito excidat, ab illo tunc excidere tenetur ; hoc enim malum sibi imputare debet. Ita *Lessius*, *Vogler*, n. 472, *Billuart*, etc.

Si autem statum suum injuste acquisierit, v. g., usuris, concussionibus, rapinis, etc., illum penitus deserere tenetur. *Sic generaliter theologi.* Non enim proprie statum suum abjicit, sed alienum dimittit. Ergo.

### § II. — De damno creditoris vel alterius personæ.

Restitutio duplici modo creditori nociva esse potest, scilicet, si sit re sua abusurus sive in detrimentum sui, sive in detrimentum alterius.

I. De damno creditori ex restitutione supervenienti. — Debitor potest, et aliquando ex charitate, restitutionem ob damnum domino eventurum differre tenetur.

1° Potest, quia certe, in casu supposito, dominus rationabiliter non est invitus ; 2° tenetur ex charitate, nam unusquique tenetur ex charitate malum proximi, quantum moraliter potest, avertere ; 3° sed non tenetur ex justitia, quia creditori quod suum est redditur, et aliunde scienti et volenti non fit injuria.

Hinc debitor reddere non debet ensem quo prævidet dominum in necem suam abusurum esse ; si tamen dominus sub pœna mortis vel mutilationis illum peteret, reddi posset ; ob gravem enim causam ponere licet actionem ex se bonam qua alter prævidetur abusurus : at redditio ensis in se bona est, gravis est causa illum remittendi ; eum igitur reddere licet : debitor permissive tantum se habet relative ad mortem domini, ut incolumem seipsum conservet. *Ita communissime theologi.*

II. De damno alteri personæ per restitutionem inferendo. — Debitor aliquando tenetur ex justitia restitutionem differre ob damnum alteri personæ eventurum. Ille enim contra justitiam peccat, qui positive et injuste ad actionem alteri damnificativam concurrit : sed aliquando debitor ad actionem alteri damnificativam positive et injuste concurreret, si rem alienam statim redderet, nempe si ad damnum inferendum manifeste peteretur; tunc enim dominus rem suam non petit ut proprietarius sed ut malefactor : ergo contra justitiam peccaret debitor, si domino sic petenti rem suam redderet.

At si grave malum debitori immineat ex denegatione rei alienæ, illam statim reddere potest absque ullo peccato, sive contra justitiam, sive etiam contra charitatem : damnum enim alteri inferendum ipsi imputari nequit, siquidem actionem ex se bonam facit, et rationabilem habet causam eam faciendi ; non tenemur enim damnum alterius cum æquali aut fere æquali damno nostro impedire. *Est sententia communis*. Unde ad vitandam mortem imminentem, reddere licet gladium domino, illum ad alterum occidendum petenti.

### § III. — De bonorum cessione.

Cessio bonorum est actus quo debitor, ad debita sua impar, positus scilicet in eo statu, qui juxta casus et circumstantias gallice dicitur *banqueroute*, *déconfiture*, *faillite*, omnia cedit bona sua creditoribus ut ea inter se dividant. *Cod. civ. art.* 1265.

Duplex distinguitur bonorum cessio, voluntaria et judiciara. Voluntaria est illa quam creditores libere acceptant, et eos tantum habet effectus de quibus debitor et creditores inter se convenerunt. *Art.* 1266 *et* 1267.

Cessio autem judiciaria est beneficium quod lex, quacumque contraria non obstante conventione, debitori bonæ fidei et infelici concedit ut, reliqua bona sua cedens, libertatem conservet, ita ut non possit ante judices

citari, in carcerem conjici, vel in illo diutius retineri. *Cod. civ. art.* 1268.

Certum est bonorum cessionem, sive voluntariam, sive judiciariam legitimam esse causam differendi restitutionem; est enim ipse casus impotentiæ physicæ regulariter recognitus, sive ab his quorum interest, sive a judice. Aliunde lex eam instituit ab antiquiori tempore et dici non potest hanc legem esse injustam. At, vi cessionis non tollitur obligatio restituendi, sed suspenditur, ut dicitur infra.

*Quæritur* 1° utrum voluntaria cessio, in qua creditores cum debitore componunt et de viginti, v. g., pro centum conveniunt, conscientiam penitus liberet.

*R. negative.* Ideo enim creditores sic componunt quia plus habere non possunt, nec propterea renuntiare censentur juri quod habent ad perfectam solutionem, si debitor aliquando solvere possit. Unde, si postea debitor pinguiorem obtineat fortunam, ad restitutionem semper tenebitur, donec omnibus suis debitis satisfecerit; ita omnes theologi et ita lex expresse, *art.* 1270; imo tenetur debitor quantum potest laborare, ut creditoribus suis satisfacere queat. Verumtamen, si creditores omnino sponte et libere misero debitori condonassent, ille ad ulteriorem solutionem non teneretur. Sed condonatio ista præsumi non potest, quamvis cessio ex bona fide facta fuerit.

Si cessio fuisset fraudulenta, non liberaret in conscientia ab obligatione creditoribus restituendi, quantum debitori esset possibile, sine dilatione, nisi in casibus supra expositis, neque debitor ille uti posset tuta conscientia privilegio quod lex concedit iis qui cessionem bonorum faciunt; lex enim bonam fidem supponit; *hoc patet.*

*Quæritur* 2° an qui bona cessurus est, aliquid occulte sibi retinere possit ad honestatem sui suorumque sustentationem.

*R.* In genere nihil retinere potest præter id quod ipsi concessum est a creditoribus, vel assignatum a judice, prout cessio voluntaria est, vel judiciaria; hoc aperte se-

quitur ex dispositionibus legis circa utramque cessionem; *Cod. com. art.* 532, 530. Caveat ergo debitor ne coram judicibus juret se nihil retinuisse; nam tunc perjurii labem contraheret, et aliquid a judicibus injuste obtineret.

Si tamen a creditoribus vel a judice non concederetur debitori quod ipsi suisque stricte necessarium est; tunc ex jure naturali illud necessarium occulte sumere posset ex bonis legitime acquisitis, ne in gravi necessitate incidat; licet enim ex dictis, ob gravem necessitatem restitutionem differre. Raro tamen cum cessore ad quædam bona occultanda concurrere licet, quia semper timendum est ne plus quam legitime potest, retineat.

Diximus *ex bonis legitime acquisitis*; nam bona illegitima dimittenda sunt, juxta quod diximus ubi de statu injuste acquisito, p. 155.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE CAUSIS A RESTITUTIONE OMNINO EXCUSANTIBUS.

Variæ sunt causæ quæ ab obligatione restituendi omnino excusant, præcipue sunt: remissio seu condonatio a creditore facta, compensatio, auctoritas publicæ potestatis.

Certum est tres illas causas omnem obligationem restituendi tollere.

I. De condonatione. — Per condonationem dominus transfert dominium rei suæ debitori: nullum igitur ad eam jus retinet. Ut autem condonatio obligationem restituendi exstinguat, tres requiruntur conditiones, nempe 1ª ut creditor donare valeat, ac proinde perfectum habeat dominium in rem quam remittit; unde pupillus et filius familias remittere non possunt debita bonorum quorum administrationem non habent; 2ª ut persona cui fit remissio non sit inhabilis ad rem accipiendam; 3ª ut remissio fiat sponte, et absque ulla vi vel fraude.

II. De compensatione. — Duplex distinguitur compensatio, una scilicet proprie dicta, quando ex utraque parte debitum est æquale et ejusdem generis, v. g., centum nummos pro panno mihi debes, et ego centum pro vino tibi debeo. Circa hanc compensationem nulla est difficultas. Manifestum est hanc compensationem totaliter et utrinque debitum et creditum extinguere, si sint æqualia, et secundum partem coæqualem, si æqualia non sint. Ut vero compensatio illa sit legalis, id est pleno jure fiat, quædam requiruntur conditiones, quæ in *Cod. civ. art.* 1289, et seq. legi possunt.

Altera est compensatio improprie dicta, quæ in eo consistit ut quis rem suam apud alium exstantem propria auctoritate recuperet, vel aliquid apud debitorem suum debito æquivalens subripiat, v. g. : equum meum furatus es, illum apud te exstantem occulte eripio, vel tuum in mei compensationem subripio; summam pecuniæ mihi debes et nón solvis, similem summam vel aliquid æquivalens clam a te aufero, etc.

Hæc compensatio ab obligatione restituendi penitus liberat debitorem, ut patet; creditor autem qui rem suam vel aliquid credito suo æquivalens ita recuperaverit nullam contraxit obligationem restituendi; nulla est enim obligatio restituendi ubi nulla est inæqualitas : at in compensatione hic explicata nulla est inæqualitas : ergo.

Ut tamen sit valida, sex requiruntur conditiones 1° ut debitum sit certum; nam in dubio melior est conditio possidentis. Tenetur tamen debitor pro ratione dubii aliquid restituere, ut supra ostendimus, p. 143; non peccaret igitur contra justitiam creditor aliquid dubio æquivalens subripiendo : sed valde periculosum est hoc principium in praxi; 2° requiritur ut debitum sit ex justitia; unde pauper cui dives deberet ex charitate eleemosynas erogare, nihil propriis manibus titulo compensationis sumere posset; 3° ut plus non accipiatur quam certo debetur; 4° ut debitum aliter obtineri nequeat, v. g., per petitionem a debitore, per judicis sententiam, sive quia desunt probationes, sive quia perierunt testes, aut

prævaricantur judices, sive quia majores timentur discordiæ; 5° requiritur ut vitentur scandala et periculum ne debitor iterum solvat; 6° denique ut debitor sit in mora culpabili, alioquin jus ejus violaretur. Hæc doctrina ab omnibus theologis moraliter contra quosdam Lovanienses nunc tenetur. Inter conditiones enumeratas quædam non sunt stricte necessariæ ut occulta compensatio sit valida, sed tantum ut sit licita.

Ex conditionibus ad legitimam compensationem requisitis patet 1° famulos, operarios, officiales publicos, nihil occulte subripere posse eo prætextu quod stipendia justo minora accipiant: nam majora hæc stipendia quæ subriperent stricte et certo illis non sunt debita. Unde Innocentius XI, decreto 2 martii 1679, hanc damnavit propositionem, n. 37 : « Famuli et famulæ possunt occulte » heris suis subripere ad compensandam operam suam, » quam majorem judicant salario quod acceperunt. »

Excipit tamen quidam theologus casum in quo servus, ad quædam opera conductus, aliis gravaretur operibus, et majus pro iis stipendium non acciperet; quamvis hanc decisionem *Collet* non admittat, et difficile nos ipsi eam in praxi admitteremus, forsan ad restitutionem non damnaremus servum qui ex æquo et bono aliquid suo labori extraordinario correspondens subripuisset.

Patet 2° ex conditionibus supra positis, caute admodum compensationem in praxi admittendam esse, quia rarissime omnes conditiones requisitæ implentur : itaque prudentes confessarii difficile eam ut faciendam permittere et *a fortiori* suadere debent. At si pœnitentes ea jam usi fuerint, quando ad sacrum tribunal accedunt, non temere etiam ad restitutionem adducendi sunt; licet enim sæpe peccaverint, fieri tamen potest ut reipsa justitiam non violaverint.

III. De auctoritate publicæ potestatis. — Quæ adhuc duplex est, nempe auctoritas juris, quæ est præscriptio, et auctoritas judicis.

Supra probavimus præscriptionem legitimum esse modum dominium quorumdam bonorum acquirendi, proin-

deque certum est illam ab obligatione restituendi penitus excusare, quando omnes habet conditiones ad legitime præscribendum requisitas.

Non minus certum est judicis sententiam ab obligatione restituendi excusare; judex enim in sententiis suis ferendis leges sequitur : sed quod secundum leges habemus, legitime possidemus, nisi leges illæ evidenter sint injustæ.

Unde qui nulla fraude usus, sed tantum mediis adhibitis quæ a jure permittuntur, per sententiam judicis ab aliqua obligatione liberatus est, vel aliquid obtinuit, v. g., muletam in reparationem damni aut injuriæ, securus esse potest. Si enim hujusmodi sententiis stare non posset magnum inde damnum societatis et pacis sequeretur. Semper tamen supponitur hanc sententiam non falsa præsumptione, sed veritate niti, ut evidens est. Vid. *Carrière*, n° 455.

*Quæritur* 1° an debitor possit per ingressum in religionem ab obligatione restituendi liberari.

*R.* 1° Qui omne debitum suum antequam in religione ingrediatur solvere potest, procul dubio tenetur; non enim per se liberat ingressus in religionem, sed nonnisi impotentia sit conjuncta, aut alia gravis existat ratio personalis judicio prudentium æstimanda.

*R.* 2° Si debitor in sæculo remanens nullam aut fere nullam spem habeat quod in posterum valeat restituere, religionem ingredi potest, licet omnibus debitis suis non satisfecerit : creditores enim rationabiliter exigere non possunt ut cum detrimento boni sui spiritualis, et sine eorum beneficio, in sæculo maneat; contra vero si per tempus breve debitis suis satisfacere speret; tunc enim utrumque potest, et debita solvere et religionem ingredi, et ideo creditores rationabiliter inviti forent, si debitor, neglecta restituendi obligatione, statim ad religionem confugeret.

*R.* 3° Si vero solvere non posset nisi per longum tempus sæcularibus votis impendendo vel religiosæ vitæ renuntiando, duplex est theologorum sententia : juxta

multos ingressum differre, imo totaliter omittere tenetur; solutio enim debitorum est de præcepto, ingressus autem in religionem est tantum de consilio. Ita *Vogler*, *Billuart* et multi alii contra alios non paucos, qui contendunt debitorem, si remanendo in sæculo omnibus debitis satisfacere non possit nisi intra longum tempus, debere quidem omnia quæ possidet creditoribus suis relinquere, sed postea in religionem ingredi posse; nam impotentia moralis a restitutione excusat: sed qui restituere non potest nisi remanendo in sæculo, dum ad vitam religiosam se vocatum esse sentit, in morali impotentia restituendi constituitur. Ergo. Hæc opinio valde probabilis nobis videtur, si restitutio non sit quid grave respectu creditorum, et non nisi intra longum tempus fieri possit; revera enim creditores tunc rationabiliter exigere non possent ut debitor cum tanto spirituali detrimento restitueret. Sic card. *de Lugo* et plures alii.

*Quæritur* 2° utrum qui, debiti sui immemor, aliquid gratuito creditori suo donavit, ad restitutionem adhuc teneatur.

*R.* Communiter admittitur illum teneri. *Gury* n° 718. Quod enim gratuito donatur, haberi non potest ut debiti solutio, nisi detur sub conditione restitutionis, si qua forte facienda sit. Ergo. Nec refert quod id donare noluisset, si debiti memor fuisset; non considerandum est enim quid in alia hypothesi factum fuisset, sed quid reipsa factum sit. Titulo gratuito donavit, ergo debitum non exstinxit. At si, debitum cognoscens, aliquid gratuito apparenter donaret, sed cum formali intentione debitum solvendi, ad aliam restitutionem non teneretur; quia cum dominium a voluntate nostra pendeat, secundum intentionem in contractibus existentem transmittitur, et non aliter, quidquid exterius appareat: at in præsenti casu non datur ut donum, sed ut vera debiti solutio. Ergo.

# PARS TERTIA.

## DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

Quadruplicis generis, ut diximus, distinguuntur bona, videlicet bona animi, bona corporis, bona famæ et bona fortunæ. Porro jus strictum alterius violari potest in his quatuor bonorum generibus; ergo et in illis diversis bonis dari potest obligatio restituendi. De his in quadruplici capite agemus.

## CAPUT PRIMUM.

### DE BONIS ANIMI.

Duplicis generis sunt bona animi, supernaturalia scilicet et naturalia. Bona animi supernaturalia sunt ea quæ ad æternam conducunt salutem, ut fides catholica, innocentia, etc. Bona animi naturalia ea sunt quæ ad ipsam hominis naturam pertinent, sicut memoria et intellectus.

Nullum est dubium quin damnum quoad hujusmodi bona sit reparandum; non minus enim jus habet homo ut non lædatur in his bonis quam in bonis fortunæ. Causa autem damni illati potest esse injusta, vel tantum illicita; injusta, si in damno inferendo, libertas alterius lædatur : illicita vero, si damnum patiens, licet perverse inductus ad malum, libere tamen egerit. His distinctionibus datis, tanquam principia statuendæ sunt sequentes assertiones.

I. De bonis animi supernaturalibus. — 1° Qui metu,

vel fraude alterum in bonis animi lædit, illum, v. g., inducendo ad peccatum, a vera fide avertendo, etc., damnum istud *ex justitia* reparare tenetur. Etenim unusquisque tenetur illud reparare damnum cujus fuit causa positiva, injusta et efficax; sed qui metu vel fraude alterum induxit in peccatum, damni illius vere fuit causa positiva, injusta et efficax, nam omnes jus habent ut neque metu perturbentur, neque fraude decipiantur ad hoc ut in peccatum inducantur. Et vero qui per hujusmodi vias damnum alicui in bonis fortunæ intulisset, ad illud reparandum certo teneretur : *a fortiori* ergo illud reparare tenetur quod in bonis supernaturalibus animi intulit, bona siquidem animi supernaturalia multo anteponi debent bonis fortunæ.

Hinc qui falsa docuit dogmata, qui falsis rationibus alterum ad aliquid in se criminosum induxit, ex justitia et cum propriæ vitæ periculo, fraudem suam detegere, et insuper omnia quæ inde secuta sunt damna, quantum in se est, reparare tenetur.

2° Qui sine metu, vi aut fraude alterum induxit in errorem vel in peccatum, v. g., suasionibus, precibus, non tenetur *ex justitia*, sed tantum *ex charitate* damnum istud reparare. Ex illa virtute tenetur aliquis damnum reparare contra quam peccavit damnum inferendo; porro qui sine metu, vi aut fraude alterum induxit in peccatum vel in errorem, contra charitatem peccavit sed non contra justitiam; scienti enim et plene volenti non fit injuria. Ergo. Ita P. *Antoine* et communiter theologi, contra quos insurgit *Collet*, dicens veram et proprie dictam in illo casu fieri injuriam: nam, inquit, ut scienti et volenti non fiat injuria, requiritur quod jus suum cedere possit: at homo jus suum cedere non potest ut in peccatum vel errorem inducatur. Ergo.

Jus tamen suum eo sensu cedere potest ut nulla sit obligatio justitiæ damnum ei illatum reparandi; damnum quippe in præsenti casu stricte imputari non potest ei qui precibus vel suasionibus alterum in peccatum aut in errorem inducit, sed ei qui inducitur, siquidem, etiam

positis precibus vel suasionibus, cum deliberatione ad peccatum sese determinat. Ergo.

Cæterum, juxta omnes, qui alterum in peccatum aut in errorem ita induxit, tenetur saltem ex charitate, ac multo probabilius sub peccato mortali, facere quod moraliter in se est, ut illum a peccato vel errore retrahat: parvi ergo refert in praxi utrum ex justitia vel ex charitate ad illud teneatur.

*Quæritur* utrum qui alium ab ingressu in religionem avertit, restituere teneatur.

*R.* 1° Quæstio hæc iisdem omnino principiis solvenda est ac quæstiones præcedentes : qui metu, vi vel fraude, mendacio aut calumnia alterum ab ingressu in religionem avertit, tenetur ex justitia metum et fraudem tollere, et damna inde secuta reparare, tum erga eum quem decepit, tum erga monasterium a quo illum directe avertit : utrique enim damnum injuste illatum est, cum unusquisque jus habeat, ut non impediatur a consecutione hujus boni quod legitime consequi poterat.

*R.* 2° Qui precibus tantum ac persuasionibus usus est, ex charitate solummodo damnum reparare tenetur. Item si hujusmodi persuasionibus religiosum professum ad egrediendum e monasterio induxisset, de damno erga ipsum religiosum non tenetur, nisi ex charitate, quia iste religiosus libere consensit. Nec etiam teneretur erga monasterium ex justitia : quamdiu enim religiosus professus in monasterio est et laborat, fructum sui laboris illi debet: sed sola virtute religionis, seclusis specialibus aliis circumstantiis, tenetur in monasterio remanere. Unde illicite egressus, ad restitutionem erga monasterium, propter apostasiam, non damnatur. Ergo nec damnandus est, sub hoc respectu, qui in sacrilegum egressum positive influxit aliter quam per fraudem, minas, etc. *A fortiori*, nec qui precibus, suasionibus, etc., egressum postulantis vel novitii determinavit.

*R.* 3° Qui alterum ab ingressu in religionem ea mente repellit, quia bona fide putat illum ad hunc statum a Deo non esse vocatum, aut vitam divinæ vocationi conformem

non esse ducturum, nullum tenetur reparare damnum; non enim peccavit, sed bonum opus operatus est.

II. De bonis animi naturalibus. — Ex iisdem principiis dijudicandum est ad quid teneatur qui alterum læsit in bonis animi naturalibus : damnum enim illud ex justitia vel ex charitate erit reparandum, prout per media injusta vel tantum illicita fuerit illatum. Unde qui veneno, vel alio quovis modo, alterum memoria vel usu rationis privavit, tenetur ex justitia hunc morbum curare, si curabilis est, et omne damnum inde secutum reparare.

Pariter, qui ex officio vel conventione alios tenetur docere, sive artem, sive disciplinam, sive scientiam, si non fuerit satis peritus, aut si alumnos negligenter docuerit, pretium quod accepit, pro ratione suæ ignorantiæ aut negligentiæ restituere, et præterea damnum quod intulit, errorem docendo, aut ne melius docerentur impediendo, reparare tenetur.

Si autem gratuito et absque ulla obligatione pacti vel officii male doceret ex ignorantia vel negligentia, ad restitutionem non tenetur; cum enim ex justitia docere minime teneatur, contra justitiam non peccat si perfecte non doceat. Cavere tamen debet ne impediat quominus ab aliis recte doceantur alumni, quia tunc contra justitiam peccaret. Item si, ex perversa intentione aut advertens se insufficientem esse, eos male doceret, ad restitutionem teneretur.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### DE BONIS CORPORIS.

Inter bona corporis numerantur vita, membra, virginitas ad quam accedit conjugalis castitas. Itaque injuria triplici modo alicui in bonis corporis inferri potest, sci-

licet 1° per homicidium, mutilationem, verbera et alia hujusmodi ; 2° per stuprum ; 3° per adulterium.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE HOMICIDIO ET MUTILATIONE.

Sub eodem titulo homicidium, mutilationem et etiam verbera concludimus, quia quod de homicidio dicitur, servata proportione, de mutilatione, verberibus et aliis hujus generis dici potest.

*Notandum est autem* duplicem moveri posse quæstionem de damno alteri in bonis corporis illato, quia duplex distinguitur hujusmodi damnum : unum enim dicitur naturale, quod est ipsamet amissio vitæ, membri alicujus, virginitatis, etc., et alterum temporale, estque suppressio bonorum fortunæ quæ damnificatus, servata vita vel corporis sui integritate, comparare sperabat.

I. De restitutione pro damno naturali præcise sumpto. — Apud omnes inconcussum est damnum naturale ex justitia reparandum esse, si reparabile foret : unde quia occisor non potest hominem quem injuste occidit ressuscitare, mutilator membrum quod amputavit renodare, etc., quæritur an sit obligatio illud damnum per bona alterius ordinis reparandi, v. g., per pecunias mutilato vel hæredibus occisi solutas, per aliquem honorem exhibitum, per eleemosynas aut preces pro anima defuncti oblatas, etc. Acriter circa illud punctum disputant theologi : alii negant esse obligationem illud damnum per bona alterius ordinis compensandi ; alii affirmant.

Qui negant, hac potissimum ratione nituntur : Nulla est, inquiunt, obligatio pro naturali damno restituendi, si justitia commutativa ad restitutionem non obligat, quando res ablata reddi non potest in se aut in æquivalenti, saltem quoad aliquam partem, et si bonum naturale nec in se, nec in æquivalenti, saltem quoad aliquam partem, reddi possit : atqui hæc duo certa sunt. 1° Justi-

tia commutativa ad restitutionem non obligat, quando res ablata reddi non potest nec in se, nec in æquivalenti, saltem quoad aliquam partem, quia ad impossibile nemo tenetur. 2° Bonum naturale reddi non potest in se nec in æquivalenti; non in se, *ut patet*; non pariter in æquivalenti, quia nulla est pecuniæ summa quæ vitæ ablatæ aut membro amputato æquivalere possit, ut omnes fatentur. Ergo. Hanc sententiam docent *Azor*, Panormitanus, *Gomez*, Navarrus, Thomas, *Sanchez*, *Bannez*, *Vasquez*, *Covarruvias*, apud P. *Antoine*, p. II, c. 6, q. 6; Lessius, c. 9, n. 140, et alii, quos refert et sequitur card. *de Lugo*, d. 11, n. 5.

Contraria tamen nihilominus tenetur, ac æquitati naturali conformior esse videtur.

Si nulla existeret obligatio damnum naturale, sive pecuniis sive aliis bonis diversi generis reparandi, maxime, ut patroni sententiæ oppositæ fatentur, quia illud pretio æstimari nequit : atqui hæc ratio nulla est; quamvis enim damnum istud nimium sit ut pretio æstimari queat, saltem ordinarie minui et tolerabilius per restitutionem boni alterius generis effici potest : sic, v. g., pauper cui brachium aliquis amputavit, semper tristis et nimis afflictus remanebit, si mutilator tantum præcise illi restituat quantum ipse non mutilatus lucratus fuisset; si vero plus illi tribuat, non plane quidem illum de amissione brachii consolabitur, sed dolorem illius valde minuet atque tolerabiliorem efficiet. Idem dicendum est de familia cujus caput injuste fuit occisum. Ergo.

Præterea, S. Thomas hanc tenet opinionem; sic enim se habet in 22, quæst. 62, art. 2, ad 1 : « In quibus non » potest compensari æquivalens, sufficit quod ibi compen- » setur quod possibile est... Ideo quando id quod est abla- » tum non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri » compensatio qualis possibilis est : puta, cum aliquis » alicui abstulit membrum, debet ei compensare vel in » pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione » utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri. » Ergo. Ita post S. Thomam, apud *Billuart*, *Scotus*, *Ri-*

*chardus, Paludanus, Sylvester, Cajetanus, Soto, Sera,* ita etiam *Sylvius Habert, Coll. Andeg., P. Antoine.*

Attamen si mutilatus bonis fortunæ sit accommodatus, aut si familia occisi divitiis affluat, nulla restitutio in pecuniis videtur præcise pro naturali damno facienda; dolor quippe vel tristitia per talem pecuniæ solutionem non leniretur : hujus conditionis homines solent istiusmodi satisfactionem tanquam se indignam parvi pendere ac contemnere; neque etiam plerumque, quando agitur de fama, damnum illatum per pecuniæ summam compensari potest.

*Quæritur* utrum hæredes occisoris vel mutilatoris restituere teneantur illius defectu, pro naturali damno.

*R.* Multi dicunt eos non teneri; nam hæredes tenentur tantum solvere debita realia quibus hæreditas est gravata; minime vero de obligationibus mere personalibus tenentur. Sic ad honoris reparationem, ad rem per simplex juramentum Deo obstrictam non tenentur; sed, inquiunt, obligatio aliquid pro naturali damno restituendi est personalis : ad hæredes ergo non transit. Hæc sententia ut probabilis apud *Collet* et *Billuart* habetur.

Opposita tamen probabilior cum Sylvio nobis videtur : etenim hæredes, juxta omnes, tenentur ex justitia omnia solvere debita quibus gravatur hæreditas cui succedunt : sed occisoris vel mutilatoris hæreditas obligatione pro naturali damno satisfaciendi vere gravatur; hanc enim obligationem sibi imposuit occisor vel mutilator : at illam sibi imponere non potuit, quin eo ipso bona sua ad illam implendam obstringeret, sicut per votum reale ea obstrinxisset : porro hæredes tenentur vota realia implere. Ergo et prædictæ obligationi satisfacere tenentur.

II. De restitutione pro damno temporali ex homicidio vel mutilatione provenienti. — 1° Certum est ex omni et solo homicidio voluntario et injusto oriri obligationem reparandi damnum temporale quod infertur; nam, extra contractum aut quasi-contractum, ut quis damnum aliquod reparare teneatur, requiritur et sufficit eum fuisse istius damni causam positivam, injustam et efficacem;

sed in omni et solo homicidio voluntario et injusto, homicida est causa positiva, injusta et efficax damni temporalis inde sequentis. Ergo. Si adesset contractus vel quasi-contractus vi cujus quis, ex justitia, mortem alterius impedire teneretur, et tamen non impediret, cum posset, ipsi tanquam *non obstanti* stricta incumberet obligatio restituendi, juxta regulas a nobis traditas.

Unde qui, servato moderamine justo, injustum occidit aggressorem, ad nullam tenetur restitutionem; judices qui reum ad supplicium secundum leges justas condemnant, familiam ejus alere non obligantur; qui involuntarie ac inculpate alium occidit, ad nihil tenetur. Omnis, e contrario, qui, sive ex propria et expressa determinatione, sive ex mandato alterius injusto, sive ex actione temeraria et mortaliter culpabili, alium occidit, omnia damna temporalia et realia reparare debet. Hinc qui in bello injusto sive per se, sive per alios occidit; qui, tempore perturbationis Gallicanæ, in fine sæculi proxime elapsi, ad sententias injustas positive concurrit, vel eas exsecutioni mandavit, damna inde secuta reparandi grave onus contraxit, etiamsi ab illis homicidiis injustis abstinere non potuisset absque manifesto propriæ vitæ periculo; nam millies potius moriendum est, quam positive et directe ad mortem innocentis concurrere.

2° Hæc occisoris et mutilatoris obligatio ad eorum hæredes transit integra pro hæreditatis quantitate, etiamsi extremo supplicio fuerint addicti : namque hæc obligatio evidenter est realis : atqui nemo diffitetur hæredes teneri omnia solvere debita realia, quibus hæreditas gravatur; non tenentur tamen nisi ratione hæreditatis, ac proinde secundum illius quantitatem duntaxat.

Diximus *etiamsi extremo supplicio fuerint addicti;* nam per extremum supplicium satisfit tantum justitiæ vindicativæ et reipublicæ, non vero justitiæ commutativæ et parti læsæ, saltem quoad damna realia; semper enim certum erit illa injuste fuisse illata nec reparata.

Nunc igitur quærendum est quibus et quantum injustus homicida vel mutilator restituere debeat tum erga

personam læsam, tum erga hæredes, tum erga creditores vel donatarios.

*Quæritur* 1° ad quid teneatur homicida vel mutilator erga ipsum læsum.

*R.* Qui injuste alium occidit vel mutilavit, tenetur reparare omne damnum temporale quod per se ex homicidio vel mutilatione sequitur, saltem si ante mortem sit illatum. Qui enim alicujus damni fuit causa positiva, injusta et efficax, illud totum reparare tenetur : at injustus occisor vel mutilator fuit causa positiva, injusta et efficax totius damni temporalis quod per se ex homicidio vel mutilatione sequitur. Ergo.

Diximus 1° *damnum temporale;* hoc patet ex demonstratione; sed juxta multos, homicida adhuc reparare tenetur damnum spirituale quod occisus patitur, quia, v. g., nova merita acquisiisset, novas pro peccatis satisfactiones obtulisset, si longius vixisset. Sic *Billuart* cum pluribus aliis. Illa autem restitutio fieri debet per preces, sacrificia, oblationes, eleemosynas et alia hujusmodi pia opera.

Diximus 2° *damnum quod per se sequitur;* damnum enim quod ex mutilatione aut homicidio per se non sequitur, mutilatori vel occisori imputari non potest : itaque si mors vel amissio membri ex negligentia tantum vulnerati, vel ex incuria sola medici aut chirurgi sequeretur, mutilator aut occisor damnum inde proveniens reparare non teneretur; quia reipsa mors aut mutilatio ex injusta mutilantis vel occisoris actione non sequeretur, cum vulnus non fuerit ad mortem. Similiter, si crimen imputaretur innocenti qui ad mortem damnaretur, non idcirco reus se manifestare teneretur ut ab illo damnum averteret; damnum enim istud quo innocens per accidens gravatur, occisori vel mutilatori stricte imputari non potest : ergo non nisi ex charitate illud ab innocente avertere tenetur. Porro charitas non exigit ut damnum proximi cum æquali aut fere æquali damno nostro avertamus. Si vero reus aliquo modo in damnationem innocentis positive influxisset, v. g., calumnia crimen illi

imponendo, gladio aut vestibus ejus ad crimen patrandum utendo, tunc etiam cum periculo vitæ mortem illius impedire teneretur, quia damnatio ejus ipsi revera imputabilis esset. Ergo se manifestare teneretur, si per hanc viam liberare posset innocentem, et nisi hoc faceret, damna inde secutura resarciendi onus incurreret.

Diximus 3°, *saltem si ante mortem sit illatum*. Omnino enim certum est damnum esse reparandum quod ante mortem occisi consummatur. Hinc tenetur homicida solvere expensas pro mutilati curatione necessarias, vel pro occiso ante ipsius mortem factas; item expensas pro funere, si majores faciendæ sint quam tempore mortis naturalis fieri debuissent; insuper tenetur compensare lucrum ob læsi morbum cessans.

Quod si læsus ex negotiatione, vel ex aliquo officio redditus determinatos percepisset, hos præstare tenetur occisor; secus autem laborum illius æstimatio fieri debet juxta prudentis viri judicium, habita ratione circumstantiarum ætatis, roboris, artis aut professionis quam exercebat, peritiæ ejus et probabilitatis quod tale percepisset lucrum. Deduci debent expensæ quas ipse ad percipiendum hujusmodi lucrum fecisset; at probabilius æstimatio laboris vel molestiæ deduci non debet, tum quia ille labor injuste impeditur, tum quia libenter et non tanquam pœna sustinetur, tum denique quia plerumque nulla restitutio facienda esset; sæpe enim laboris et molestiæ æstimatio totum adæquaret lucrum. *Ita communiter theologi*. Hæc autem compensatio absolute personæ læsæ acquiritur, et ideo, ipsa moriente, ad quoscumque ipsius hæredes aut causam habentes transmittitur.

At de damnis mortem occisi subsecuturis non ita consentiunt theologi. Alii putant illum eo instanti quo injuste percussus est, statim habuisse jus ad compensationam adæquatam : ratio eorum est quod injuste impeditus est ne usque ad mortem naturalem consueta lucra acquirat; etenim si non statim mortuus esset, ipsi compensanda fuissent hæc lucra, ut omnes admittunt; porro, per mortem jus suum non amisit; ergo.

Alii autem contendunt nullam pro hujusmodi damnis debitam esse compensationem, quia etsi jam posita sit eorum causa, nondum tamen damna illata sunt et consummata; porro, nulla debetur compensatio pro damnis nondum illatis; cum autem decursu temporum consummantur, læsus jam non potest damnum aliquod pati qui est mortuus; ergo... Nobis tamen multo probabilior videtur prima sententia. Vide *D. Carrière*, n. 431.

*Quæritur* 2° ad quid teneatur injustus occisor erga hæredes occisi.

*R.* Hæredes possunt esse necessarii vel liberi. Hæredes necessarii sunt pater et mater, uxor et liberi, et omnes alii ascendentes aut descendentes. Cæteri hæredes sunt liberi.

Tenetur injustus occisor omnia reparare damna temporalia ex hac occisione subsequentia saltem omnibus hæredibus necessariis; nam eis omnibus restituere tenetur quorum jus strictum violavit : atqui jus strictum omnium hæredum necessariorum violavit; nam hæredes necessarii eadem censentur esse persona moralis cum ea cui succedunt. Præterea, secundum leges civiles hæredes necessarii totaliter hæreditate privari non possunt, et ideo tempore mortis naturalis jus strictum habuissent in id quod defunctus reliquisset : nunc ergo jus habent ut spe probabili bonum istud aliquando possidendi non priventur. *Ita communissime theologi*. Insuper ex eodem jure civili hæredes necessarii jus habent ad compensationem. Sed hæc compensatio non determinatur ex lucris quæ facturus esset occisus, sed ex parte lucrorum quam illi sperare poterant, quia, inquit *D. Carrière*, n. 432, ultra non extenditur damnum ipsis illatum; unde patet substitutionem hæredum non esse secundum rigorem juris.

Diximus *saltem omnibus hæredibus necessariis*. Valde enim scinduntur theologi relative ad hæredes liberos, id est, qui a defuncto hæreditate privari potuissent.

Multi dicunt nullam restitutionem eis debitam esse, quia jus strictum ad hæreditatem non habebant, cum non essent unica persona cum defuncto, et ab eo hæreditate privari possent.

Alii non pauci contendunt hæredes voluntarios jus habere ad compensationem ; compensatio enim pro damnis ex injusta morte illatis pertinet ad hæreditatem ; defunctus quippe, ut jam dictum est eo instanti quo percussus est habuit jus ad compensationem adæquatam, et jus illud moriendo ad omnes hæredes suos transtulit. Aliunde, viis injustis impediti sunt a consecutione boni quod legitime sperare poterant ; ergo... Hæc sententia videtur magis fundata et e principiis melius deducta. Sed ex altera parte, ait *Carrière,* n. 433, praxis tribunalium, opinio communior theologorum, et consuetudo quæ videtur satis recepta, sunt certo gravis ponderis ; et ideo quæstio est valde dubia.

*Quæritur* 3° utrum homicida restituere teneatur creditoribus illius quem injuste occidit.

*R.* 1° Si occisus bona ad satisfaciendum creditoribus suis sufficientia relinquat, ad nihil erga illos teneatur occisor ; si illis enim non satisfiat, hoc tribui non potest occisori, sed tantum hæredibus ; sufficit igitur ut his tantum restituatur quantum propter homicidium ipsis debetur.

*R.* 2° Admittunt omnes quod si homicida sufficientem restitutionem hæredibus occisi tribuerit, ad nihil erga creditores teneatur ; nam creditores non habent jus in debitorem, nisi in quantum valent bona ejus aut quæ habiturus fuisset : ergo si occisor ea bona restituerit hæredibus, nullum jam recursum in eum creditores habere possunt, sed ab hæredibus solutionem petere debent ; si autem isti non solvant, hoc ipsis, non vero occisori, tribuendum est.

*R.* 3° Item juxta omnes, si occisor expresse intenderit per homicidium creditores occisi creditis suis frustrare, ea ipsis solvere tenetur ; quamvis enim nemo jure naturali in actiones alterius dominari easque dirigere possit, unusquisque tamen jus habet ne alter sibi quærat damnum inferre aut a bono debito eum removere velit : ergo revera in illo casu damnum creditorum merito imputatur occisori, qui proinde illud reparare tenetur.

*R.* 4° Si homicida omnino ignoraverit occisum creditores

habere, illis restituere non tenebitur; damnum enim illorum ipsi tribui non potest, siquidem non fuit prævisum, sed tanquam eventus mere fortuitus haberi debet. *Est sententia communis.* Sed hæc invincibilis ignorantia raro existere potest.

Ex hypothesi autem quod creditores existere, saltem confuse, cognoverit occisor, nec formalem habuerit intentionem eis nocendi, tenebiturne eis restituere? Scinduntur theologi. Non pauci contendunt quod in eo casu creditoribus occisi restituere debeat, quia verum illis damnum intulit: abstulit enim ab eis spem quam habebant solutionem obtinendi: porro spes ista vere erat pretio æstimabilis. Ergo. Ita, apud *Billuart, Scotus, Molina, Henricus a Sancto Ignatio, Sporer;* ita etiam *Layman, Habert, P. Antoine*, etc.

Multi alii oppositam tenent sententiam, et quidem ob duplicem præsertim rationem. — a) In foro externo nunquam datur actio creditoribus occisi contra homicidam, sed tantum illius hæredibus quibus ipse restituere tenetur: atqui perpetua fori externi praxis legitima est juris naturalis interpretatio.— b) Creditores jus habent quidem in personam debitoris ut ex illius labore vel industria solutionem obtineant, sed nullum jus habent in actiones quæ non nisi mediate et præter intentionem sunt damnificativæ: talis est autem actio occisoris respectu creditorum occisi. Ergo. Aliunde, cum homicida restituere debeat hæredibus, ab eis solutionem debitorum petere possunt creditores. Unde illorum quatenus creditorum status non fuit immutatus, quod præsertim verum est, in sententia modo a nobis exposita, nullam distinctionem statuente inter hæredes voluntarios et necessarios, quoad reparationem damnorum ipsis faciendam. Hæc videtur esse praxis tribunalium. Illa sententia nunc communior et probabilior videtur. Ita *Lessius, Collat. Andeg., Sylvius, Billuart*, etc.

*Quæritur* 4° utrum injustus homicida aliquam debeat restitutionem pauperibus et aliis liberalitates ab eo qui occisus est sperantibus.

*R. Negative;* nullam enim debet restitutionem eis quorum jus strictum non violavit; atqui jus paupernm et aliorum liberalitates sperantium non violavit; nullus quippe ex illis jus strictum ad hujusmodi liberalitates habebat, ita ut injustum homicidam in justitia prosequi possit tanquam juris sui violatorem. Ergo. *Est sententia communis.*

Si tamen defunctus aliquem ex adoptione, contractu vel promissione aleret, ad restitutionem erga illum injustus homicida, hanc circumstantiam non invincibiliter ignorans, teneretur, juxta multos theologos, nempe juxta eos qui æstimant injustum homicidam restituere teneri creditoribus occisi, quia prædictus homo haberi debet velut creditor respectu defuncti. Ergo.

*Quæritur* 5° utrum injustus homicida ob omni restitutione liberetur, si defunctus ante mortem omnia damna condonaverit.

*R. affirmative;* omnino liberatur, salvis tamen aliorum juribus, si defunctus, antequam moriatur, expresse vel tacite condonare declaraverit; ab omni enim restitutione est liberatus, si defunctus hanc condonationem valide facere potuerit: atqui defunctus hanc condonationem valide facere potuit, siquidem hæredes jus strictum non habent ut bona ex labore suo futuro ipsis relinquat. Ergo.

Diximus 1° *salvis aliorum juribus;* donare enim non potest quod aliis debet: unde hujusmodi condonatio imminuere non potuit jus quod habent creditores solutionem petendi, nec portionem hæreditatis hæredibus necessariis reservatam et jam exstantem. Card. *de Lugo* distinguit inter casum condonationis vulneri antecedentis, et casum condonationis illud sequentis; in priori, nullam restitutionem faciendam esse dicit; non item in posteriori, quia jus hæredum jam exortum est nec relaxari potest nisi ipsis censentientibus; unda resolvendum esset ut supra. Alii autem non ita distinguunt. Multi adhuc, contra quos *Billuart,* excipiunt, tanquam stricte debita, alimenta quæ uxor et liberi accepissent a defuncto, qui tenebatur ex justitia illos alere.

Diximus 2° *si expresse vel tacite et æquivalenter declaraverit*. Quoad condonationem expressam nulla est difficultas; tacita autem non facile supponenda est. Duo tamen casus citantur in quibus quasi de jure esse condonatio videtur; — a) nempe si quis injustum agressorem occidendo, etiamsi justam sui defensionem excesserit, ab omni obligatione restituendi propter hunc excessum implicita condonatione occisi liberatur; occisus enim libenter damnum suum patitur, cum ipse occisionem sui provocaverit. Ideo censeri debet omnem obligationem remittere. Non desunt tamen qui volunt reparationem aliquam fieri, scilicet excessui defensionis proportionatam; sed fatendum est illam sæpius in praxi difficile enuntiari et applicari posse, nisi excessus ille fuerit vere notabilis.— b) Similiter in duello confligentes sibi mutuo condonasse censentur, si mutua fuerit provocatio, aut si unius provocatio fuerit libere acceptata ab alio; secus autem provocator non eximitur a reparandis malis quæ intulit; *sic generaliter theologi*. Aliunde a condonatione expressa aut tacita excipienda sunt quæ aliis stricte sunt debita, v. g., creditoribus, uxori, liberis, quia defunctus ea valide condonare non potuisset.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE STUPRO.

Stuprum est virginis seu puellæ non vitiatæ extra matrimonium defloratio: in stupro semper aliquod existit damnum naturale, nempe virginitatis amissio.

Eodem modo de hujusmodi damno ratiocinandum est ac de vitæ aut membri privatione.

Præter naturale damnum, sæpe aliquod ex stupro sequitur damnum temporale, scilicet amissio spei matrimonium conveniens ineundi, prolis nutritio, etc.

Tota igitur quæstio ad hoc reducitur, utrum videlicet stuprator restituere teneatur, et quantum restituere debeat, propter damnum temporale, sive ex stupro sive ex

prole proveniens. Quæ dicturi sumus de stupro intelligendum est de commercio carnali cum quacumque muliere soluta seu non conjugata.

I. De obligatione stupratoris erga puellam ob damnum temporale e stupro proveniens. — Certum est stupratorem, quomodocumque stuprum fuerit illatum, ad restitutionem propter damnum temporale non teneri, si crimen non fuerit cognitum, quia tunc nullum reipsa existit damnum temporale; si autem crimen innotescerit et damnum sit illatum,

*Quæritur* 1° ad quid teneatur stuprator erga puellam.

*R.* Triplex distinguendus est casus; vel puella ipsa sponte consensit in crimen, vel per vim aut metum in crimen adducta est, vel sub promissione matrimonii.

1° Si puella ipsa sponte consenserit in crimen, ad nihil erga eam tenetur stuprator ratione stupri; scienti enim et volenti non fit injuria: puella vero, ex hypothesi, sponte consensit. Si ergo aliqua ei inferretur injuria, maxime quia valide de jure suo cedere non potuisset: at ratio hæc nulla est. Non potuit quidem eo sensu de jure suo cedere quod ipsius defloratio licita esset, sed manifeste eo sensu potuit quod nullam reparationem temporalem exigeret. Porro illud sufficit ut ad nihil erga illam teneatur stuprator. Ergo.

Diximus *ratione stupri;* ad aliquid enim teneri potest ratione prolis susceptæ, ut postea dicturi sumus. Item si crimen suum manifestaverit, infamiam puellæ et omnia damna inde secuta tunc reparare tenetur, non ratione stupri, sed ratione injustæ detractionis.

2° Si puella vi, metu aut fraude in stuprum adducta fuerit, stuprator tenetur reparare omne damnum inde secutum. Illud damnum reparare tenetur quod imputabile est ipsi: atqui damnum virgini in illo casu illatum evidenter imputabile est stupratori. Ergo.

Ad metum autem revocantur preces nimis importunæ, præsertim si jungatur cum metu reverentiali, v. g., si vir sit nobilis, potens, in dignitate constitutus, puellæ dominus, etc. Si erga illam sit beneficus, et dicat se in

posterum nulla beneficia ei collaturum esse, nisi desideriis suis consentiat; hæc enim omnia libertatem valde imminuunt. Preces vero ordinariæ, blanditiæ et alia hujusmodi non generant metum de quo hic agitur, quia libertatem non graviter lædunt. *Ita generaliter theologi.*

Damna quæ ex hujusmodi copula solent sequi, sunt: — a) amissio virginitatis, si puella sit virgo, et injuria personalis, sive sit virgo, sive non: hæc autem injuria compensanda est per satisfactiones, quantum fieri potest, proportionatas, per veniæ petitionem, et etiam per pecuniam juxta viri prudentis judicium solvendam, si, hac mediante, dolor et tristitia puellæ leniri possint; — b) diffamatio puellæ et familiæ inhonoratio, quam stuprator omni modo possibili reparare tenetur; — c) inhabilitas ad honestum et conditioni suæ congruens matrimonium, aut ad statum sibi convenientem quem alioquin sibi invenire potuisset, v. g., in quadam religione, ubi deflorata jam admitti non potest.

Duplici modo stuprator damnum istud reparare potest; — a) scilicet, puellam sufficienter dotando, ut tam honeste nubat quam nupsisset, vel tam opportunam inveniat conditionem quam invenisset si violata non fuisset; — b) illam in legitimam uxorem ducendo. Ex duobus illis mediis quod voluerit eligere potest; ut enim ab obligatione sua liberetur, id unum requiritur, quod videlicet damnum a se illatum sufficienter resarciat: cum ergo duobus modis satisfacere valeat unum præ alio eligere potest. Attamen si puella matrimonium cum stupratore recusaret, ille deberet ipsam dotare, quia ad matrimonium eam cogere non potest; sed, vice versa, si puella sufficientem dotem sibi oblatam rejiciat et matrimonium determinate petat, non ideo illam ducere tenebitur stuprator, cum alias damnum possit reparare et matrimonium non promiserit.

Si vero puellam dotare non possit, matrimonium illi offerre et eam, si velit, ducere tenetur, proindeque, si aliquo dispensabili impedimento ligetur, illius dispensationem propriis expensis obtinere debet: alioquin dam-

num a se injuste illatum non quantum in se est repararet.

Si puella per vim aut fraudem stuprata in religionem ingressa fuerit, aut æque commode nupserit ac nupsisset, aut si defloratio illius manserit occulta, ad nihil stuprator ratione damni temporalis tenebitur, siquidem nullum de facto existit, sed probabilius semper aliquid pro damno personali debebit; damnum enim istud non fuit reparatum per matrimonium subsequens aut ingressum in religionem.

Cum autem istiusmodi damnum æstimari nequeat, expedit ut stuprator cum puella quam defloravit transigat, et satis ei offerat ac tribuat ut plene et rationabiliter sit contenta.

3° Si puella seducta fuerit sub promissione matrimonii, seductor ordinarie illam ducere, aut si ipsa velit, dotare tenetur. Promissio matrimonii fuit ficta aut vera. Si prius, seductor tenetur propter fraudem; injuria enim per fraudem illata reparari debet : porro illa injuria reparari non potest nisi matrimonium offeratur. Si autem promissio fuit vera, tenetur propter promissionem. Licet enim promissio fuerit sub conditione turpi, obligat tamen *ex justitia* juxta sententiam communius acceptam : imo, etiamsi non obligaret in genere promissio sub conditione turpi, excipienda esset promissio de qua agitur. Etenim conditio, quamvis turpis, ordinata est ad matrimonium, et fuit in utriusque intentione quoddam initium matrimonii; ideo copula illa, conjugali intentione habita, pro sponsalibus ab Ecclesia reputatur, per subsequens matrimonium cooperitur, et quasi cohonestatur et reparatur; igitur, si non omnino *ex justitia* teneretur stuprator, tenetur tamen ex fidelitate, et quodam modo, ex religione. *S. Ligorius*, n° 642, dicit hanc sententiam esse omnino tenendam; et *Gury*, n° 729, observat tunc maxime urgendam esse obligationem, si puella ex fornicatione fuerit gravida.

Diximus *ordinarie illam ducere tenetur;* quia varii sunt casus in quibus potest eam non ducere : sunt autem

fere iidem in quibus sponsalia valide contracta dissolvi possunt absque consensu sponsæ : itaque

— A) Illam ducere non tenetur si cum alio postea fornicata fuerit, nam *frangenti fidem nulla debetur fides ;* item, si ipsa stupratorem deceperit, fingendo esse virginem, dum esset corrupta , se esse nobilem vel divitem, dum esset pauper aut vilis conditionis , eam ducere non tenetur stuprator, nec illum damnum in his casibus compensare obligatur : totum enim mulier hoc sibi imputare debet. Si vero ex errore proprio crediderit stuprator puellam esse virginem, nobilem, divitem, quamvis talis non esset, poterit illam non ducere, quia tunc sponsalia dirimere liceret. Tenebitur tamen , juxta Sylvium et *Billuart,* damnum compensare; nam puella vere fuit injuste decepta.

—B) Puellam ducere non tenetur, si rationabiliter illa sinceritati promissionis credere non debuisset ob levitatem promittentis , ob conditionum disparitatem , ob impedimentum jam existens et ab illa cognitum, nam tunc seipsam decepit, et libere ac sponte consensisse judicatur. Si hunc conditionis excessum ignoraverit puella, vere fuit decepta , et stuprator damna compensare tenetur; non talem illam ducere , quia talem dignitatem illa sperare non potuit. At si conditionis excessum cognoverit puella, et stuprator serio ac expresse matrimonium illi promiserit, illam revera vi promissionis ducere debet; nam de jure suo cedere potest, et reipsa ei renuntiavit serio matrimonium promittendo. Sic, post multos alios, Sylvius, q. 62, art. 2, *Quæritur* 5°, concl. 4. Si tamen graves rixas , familiæ dissidia , aut scandala rationabiliter timeret, illam ducere non teneretur, cum tunc sponsalia dissolvere posset; sed cuncta reparare deberet damna.

—C) Eam ducere non tenetur, si dirimens ac indispensabile supervenerit impedimentum ; sed tunc damna compensare tenebitur, ut evidens est. Si autem existat impedimentum dispensabile , illius dispensationem propriis expensis obtinere debet : qui enim ad finem, et ad media etiam tenetur.

—D) Disputant inter se theologi utrum struprator puellam ducere teneatur, si voto simplici castitatis fuerit ligatus tempore quo matrimonium promisit. Sylvius, ibidem, *Quæritur* 6°, et multi cum illo negant; per promissionem enim Deo factam jus illi acquisitum est: unde secunda promissio de re aliena fuit, ac proinde nulla; alii vero non pauci affirmant, quia obligatio contractus onerosi præferri debet obligationi contractus gratuiti etiam antecedentis: atqui promissio Deo facta erat gratuita, promissio autem matrimonii onerosa, et omitti non potest quin injuria puellæ inferatur: ergo impleri debet. Sic qui centum nummos per votum Ecclesiæ promisisset, et deinde obligationem onerosam pro centum nummis contraxisset, hanc, neglecto voto, implere deberet: ergo *a pari*, etc. Nos autem in tali casu hoc consuleremus, videlicet, ut stuprator sufficientem dotem offerret puellæ, quæ si eam acciperet, votum ille servaret; si vero puella, rejecta dote, matrimonium exigeret, dispensationem voti petere deberet stuprator, et tunc promissionem impleret.

II. De obligatione stupratoris erga parentes puellæ, — *Quæritur* ad quid teneatur stuprator respectu parentum puellæ, propter damnum temporale quod experiuntur, quia scilicet dotem illius augere tenentur ut convenienter nubere possit.

*R.* Si puellam vi, metu, fraude aut matrimonii promissione in crimen induxerit, evidenter ob rationes superius expositas, totum illud damnum reparare tenetur. Si autem plene ac libere puella in crimen consenserit, multi theologi volunt stupratorem adhuc teneri prædictum reparare damnum; nam, inquiunt, jus parentum vere violatur, jus siquidem strictum habent ut filia sua digne atque decenter nubat. Ita P. *Antoine* et alii. Attamen probabilius videtur stupratorem ad hanc restitutionem erga parentes non teneri; ad illam enim non tenetur, si puella contra justitiam erga parentes non peccet, non nubendo, aut matrimonio inconvenienti consentiendo: atqui contra justitiam erga parentes non peccat; etenim parentes restitutionem a puella exigere non possunt quia

nubere recusavit, vel matrimonium inconveniens, ipsis invitis, contraxit; igitur contra justitiam erga parentes suos non peccavit, sed tantum contra reverentiam ipsis debitam, proindeque stuprator nullam eis debet restitutionem.

At, juxta omnes, cum veram injuriam parentibus aut tutoribus puellæ intulerit, eam etiam consentientem corrumpendo, hanc injuriam meliori quo fieri potest modo reparare tenetur, nempe per humilem sui submissionem, per intimi doloris signa, per honoris pro opportunitate exhibitionem, per veniæ petitionem, etc.

Si autem puella jam sub potestate parentum aut tutorum non esset, ad nihil omnino erga ipsos stuprator teneretur; tunc enim non censeretur ullo modo jus strictum eorum violasse.

III. De obligatione stupratoris ratione prolis. — *Quæritur* ad quid, ratione prolis, teneatur stuprator.

*R.* Vel puella sponte consensit, vel injuste in culpam fuit adducta. In priori casu, vir et mulier jure naturali tenentur in solidum prolem enutrire et educare usquedum sufficienter sibi providere possit. Leges positivæ nunc circa illud punctum nihil statuunt; igitur juri naturali standum est. Si autem vir puella dormiente, ebria, insaniente, vi oppressa abusus esset, aut eam fraude decepisset, omnes impensæ pro nutritione et educatione prolis ab ipso faciendæ essent. Renuente patre, ut sæpe accidit, ad omnia tenetur mater.

Si prolem in xenodochio exposuerint, ex communi sententia totum damnum restituere xenodochio tenentur, nisi vere sint pauperes; quia xenodochia in favorem infantium, non vero parentum fundata sunt, quidquid contra plures asserant. Ut autem quantitas restituenda recte determinetur, quærendum est an proles vixerit, an autem et quando sit mortua : si vixerit, restituendi sunt omnes sumptus qui apud nutricem fieri debuerunt, et deinde in ipso xenodochio usque ad annum duodecimum, quo sufficienter laborare incipit infans ad ea lucranda quæ vitæ et vestitui absolute sunt necessaria. Omnes illi

sumptus nunc æstimantur moraliter apud nos mille et ducentis fr. Si proles mortua fuerit, sumptus restituendi a die expositionis ad diem mortis erunt computandi. Si vero nullo modo deprehendi possit utrum proles mortua sit an vivat, restitutio erit facienda secundum communes mortis et vitæ probabilitates. Tempore quo prima hujus Tractatus editio prodiit anno 1818, vix pars vigesima hujusmodi infantium a die nativitatis ad duodecimum annum perveniebat : nunc vero longe minor est numerus decedentium, ex quo majori diligentia conservationi vitæ dictorum infantium consulitur. Multo plures in primis annis et maxime in primis mensibus moriuntur. Omnibus perpensis, videtur quod in tali dubio circa trecentos fr. restituere sufficiat. Quando infans expositus aliquo charactere distinctivo fuit insignitus, semper facile cognosci potest an vivat nec ne; omnes enim circumstantiæ expositionis accurate describuntur.

Si debitor moribundus esset, omnes sumptus jam existentes ex integro, et, pro futuris, secundum vitæ et mortis probabilitates restituere deberet. Eo minores fiunt probabilitates mortis, quo magis ætate ac constitutione robustior est infans. Hæc ex æquo et bono æstimanda sunt.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE ADULTERIO.

Adulterium, id est accessus ad alterius torum, est commercium carnale cum persona alteri conjugata. In omni adulterio semper aliqua personalis injuria erga conjugem innocentem reperitur; jus namque strictissimum habet ut fides conjugalis inviolabiliter sibi servetur. At sæpe damnum temporale ex adulterio sequitur, nempe quando ex illo nascitur proles quæ bonis mariti cum filiis legitimis alitur, educatur, dotatur et insuper in hæreditatem venit : nobis igitur statuendum est an et quomodo in hoc duplici casu damnum reparandum sit.

I. De restitutione facienda in casu adulterii ob per-

SONALEM INJURIAM. — Quamdiu hæc injuria manet occulta, nulla est obligatio eam reparandi, quia in se irreparabilis est, et aliunde, cum sit ignota, nulla facienda est compensatio. Si vero innotescat, quantum fieri potest, reparari debet, per honoris exhibitionem, per veniæ petitionem, etc.; id omnes fatentur. Quamcumque autem pecuniariam satisfactionem pro dicta personali injuria leges civiles olim prohibebant, ne maritus lenocinium uxoris facere existimaretur; sed illæ leges, juxta multos et saniores theologos, pro foro tantum externo vim habebant, atque ideo maritus poterat, tuta conscientia, pecuniam sibi oblatam ad compensendam injuriam per adulterium sibi illatam, accipere et retinere.

*A fortiori*, cum leges istæ nunc minime existant, talem licet accipere satisfactionem qua dolor ex injuria proveniens placari queat, et adulter hanc satisfactionem si possibilis sit, dare tenetur, secundum id quod diximus, ubi de damno naturali per homicidium aut mutilationem illato.

II. De reparatione facienda in casu adulterii propter damnum temporale occasione prolis superveniens. — Certum omnino est adulterum et adulteram teneri in solidum, et ordinarie in eodem gradu, totum reparare damnum quod occasione prolis ex adulterio sequitur, saltem si constet adulterinam esse prolem. Etenim, illius damni fuerunt causa positiva, injusta et efficax, *ut patet*. Ergo.

Diximus 1° *teneri in solidum*; uterque enim in totum damnum ita influxit, ut uno deficiente, illatum non fuisset : ergo totum imputandum est utrique.

Diximus 2° *ordinarie in eodem gradu;* quia mulier diverso modo adduci potuit ad culpam, et inde ejus obligatio minui potest aut cessare, saltem *ex justitia*. Si quidem metu vel fraude, vir in culpam mulierem adduxit, totum damnum reparare primario teneretur, et mulier tantum illius defectu : hoc sufficienter ex dictis probatum manet. Si autem vi irresistibili mulier fuisset oppressa, ad nihil etiam defectu corruptoris teneretur ratione criminis quod non exstitit, sed teneretur ratione *maternitatis*

ad curandam prolem, non tamen ad compensandum xenodochium, si proles fuisset exposita. Si vero precibus et adhortationibus vir mulierem seduxit, totum primario reparare tenetur, juxta Sylvium, tum quia principalis est causa damni, tum quia totum resarciendi onus sibi imposuisse censetur. Sed illa opinio nobis indubia non videtur : cum multis theologis probabilius judicamus adulterum ante adulteram non teneri, sed utrumque eodem gradu. Etenim quatenus exsequentes, eodem modo tenentur, ex aliunde probatis : vir quidem fuit consulens, sed consulens ante exsequentem non tenetur. Attamen, juxta plures, inter quos *Collet*, quia duplici titulo fuit causa damni, ut consulens et exsequens, ad ampliorem restitutionis partem tenetur. Illud vero, cum non sit certum, non semper urgeri debet.

Si proles in xenodochio exposita fuerit, restitutio erit facienda secundum id quod in præcedenti articulo diximus.

Diximus etiam 3° *si constet adulterinam esse prolem*, nam si aliquod dubium sit de origine prolis, an sit ex adulterio, nec ne, multi volunt restituendum esse ratione dubii, et hoc magis consentaneum videtur et æquitati conforme. Multi tamen alii distinguunt an dubium moveatur inter maritum et adulterum, vel inter plures adulteros : in priori casu nullam esse obligationem dicunt, quia de damno non constat; in posteriori vero reparandum est pro ratione dubii, quia ex una parte damnum illatum est, et ex altera ab unoquoque posita est causa sufficiens damni. *Gury*, n. 733.

*Quæritur* 1° quantum et quibus restituendum sit, ut damnum per adulterinam prolem illatum sufficienter reparetur.

*R.* Vel damnum jam totaliter illatum est vel non : si jam sit illatum, totum resarciendum est. Omnes itaque sumptus quos fecit maritus in prole alenda, educanda, dotanda, etc., ex integro restituendi sunt. Si filius illegitimus cum legitimis jam hæreditavit, valor partis quam obtinuit referendus est filiis legitimis, vel aliis legitimis

hæredibus qui eam percepissent. Si autem damnum nondum totaliter sit illatum, quia proles spuria non adhuc hæreditavit, tunc adulter restituere debet, non totum damnum quod filii legitimi paterentur, si spurius reipsa partem hæreditatis acciperet, quia incertum est an patri putativo supervicturus sit, sed proportionate ad diversos gradus probabilitatis vitæ aut mortis ejus, habita ratione illius ætatis, complexionis ac sanitatis : hæc autem portio ex variis circumstantiis istis, secundum judicium viri prudentis, erit determinanda. Sic quidam efficitur aleatorius contractus, qui adulterum pro semper liberat. Hujusmodi proportionatam restitutionem necessario statim facere tenebitur adulter quantum poterit, si morti sit proximus : si vero mors non immineat, debet quidem firmum habere propositum totum resarciendi damnum, si proles illegitima de facto hæreditatem patris putativi aut aliorum propinquorum injuste obtineat; sed ad restitutionem pro hæreditate differre posset, præsertim si mors infantis probabilis appareret; cum enim damnum istud nondum sit illatum, stricta adhuc non existit obligatio illud reparandi. Res tamen eo modo disponere debet quo restitutio sufficiens nihilominus quibus oportuerit fiat, si ante prolem ipse moriatur.

*Quæritur* 2° utrum adulter et adultera restituere teneantur ea quæ ab ipsorum consanguineis dantur aut legantur spurio, quia filius legitimus reputatur, et quæ certo alioquin data aut legata non fuissent.

*R.* Hæc quæstio satis intricata est : quidam cum *Molina* affirmant eos ad restitutionem teneri; nam, inquiunt, donatio ex errore circa personam facta nulla est : donatio autem, de qua hic agitur, fit ex errore circa personam, ut patet; adulter vero et adultera vera sunt illius erroris causa : ergo.

Alii vero, post Card. *de Lugo*, d. 13, n. 381, negant adulterum et adulteram ad illam restitutionem obligari; de damno enim quod per accidens et præter eorum intentionem evenit non tenentur : atqui tales sunt supradictæ donationes; eas saltem ordinarie non præviderunt nec

prævidere debuerunt adulteri : deceptio igitur per accidens evenit, ac proinde non imputanda est ipsis. Posterior hæc opinio probabilior videtur, et in praxi admittendam esse arbitramur, præsertim quando de re aliqua gravi non agitur.

Attamen proles illegitima, quæ se talem esse perfecte resciret, hujusmodi donationes ex errore sibi oblatas acceptare non posset, et acceptas restituere teneretur, quia revera in se sunt nullæ. Ita merito *Billuart*.

*Quæritur* 3° quomodo mulier adultera restituere possit.

*R.* Si bona paraphernalia habeat, ex illis restituere debet, ea de manu ad manum vel per contractum donando. Si hujusmodi bona non habeat, tunc majori diligentia in rebus familiæ administrandis, et strictiori parcimonia in eis quæ sibi ad vestitum aut recreationes permittuntur, debet, quantum in se est, legitimos hæredes in eo divitiarum statu reponere in quo essent, si illegitimus in familiam non fuisset introductus. *Ita omnes theologi*.

Si hæc non sufficiant, conetur, prout spiritus prudentiæ ei suggesserit, marito sub aliquo prætextu persuadere ut secundum dispositiones legum plus filiis legitimis tribuat quam spurio, ipsumque spurium prudenter inclinet ad statum religiosum, si divinæ vocationis signa in eo appareant, aut ad vitam cælibem, ut saltem post mortem ejus bona quæ illegitime obtinuit, ad hæredes legitimos redeant. *Ita passim doctores*, et quidem recte.

*Notandum* autem quod si mulier his aut similibus modis sufficienter pro parte sua restituere non possit, adulter debeat eam supplere et totum illius defectu solvere, siquidem in solidum tenentur.

Si tandem diversis præcedentibus modis damnum non sit sufficienter reparatum, mulier teneturne crimen suum manifestare, aut marito suo ut condonationem obtineat, aut filio illegitimo ut hæreditati renuntiet?

*R.* Ex communi sententia, in neutro casu mulier crimen suum, saltem ordinarie, manifestare tenetur : — a) non marito; ex probatis enim superius, p. 154, nulla ordinarie est obligatio damnum temporale per grave dispen-

dium boni superioris ordinis reparandi : at in hoc casu mulier grave incurreret dispendium boni superioris ordinis, nempe famæ suæ, proles illegitima infamaretur, imo et aliquod opprobrium in ipsum maritum redundaret, pax et concordia forte pro semper turbarentur, unde maritus ipse invitus esse posset huic revelationi. Ergo. — b) Non filio; forsitan enim filius matri non credet, nec juxta multos credere tenetur, quia *confitenti turpitudinem suam nulla debetur fides.* Aliunde, etiamsi filius illegitimus matri suæ crederet, verisimiliter hæreditati renuntiari nollet solum propter justitiæ amorem, sicque revelatio inutilis foret respectu filiorum legitimorum qui nihilominus damnum paterentur; et perniciosissima respectu illegitimi, qui deinde formaliter peccaret ac damnaretur. Ergo. Unde Innocentius III : « Mulieri quæ, ignoránte marito, » de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo ti- » meat confiteri, non est pœnitentia deneganda. » Decretal. l. v, tit. 38, cap. 9.

Diximus *ordinarie*, quosdam enim theologi excipiunt casus in quibus mulier crimen suum manifestare debet : — a) videlicet, si jam antea famam suam amiserit, et grave detrimentum sub illo respectu ex revelatione non timeat; si alia tamen gravia mala ipsi imminerent, adhuc a revelatione abstinere posset; — b) si spurius regno succedere debeat, et, propter mores perditos vel erroris amorem religioni ac communi societatis bono futurus sit noxius, tunc mulier cum famæ suæ detrimento et aliis gravissimis incommodis turpitudinem manifestare tenetur, modo prudenter sperare possit spurium per hanc manifestationem a regno avertendum esse; — c) si mulier rationabiliter præsumat, quod difficile tamen præsumi potest, spurium sibi crediturum et hæreditati renuntiaturum esse : infamia enim alicujus nocentis apud unum aut alterum minus malum reputatur quam grave innocentis damnum.

*Quæritur* 4° utrum filius teneatur credere matri suæ ipsum illegitimum asserenti.

*R.* Communiter docent theologi illum matri credere non

teneri, nisi declarationem suam evidentibus probet rationibus, v. g., ex mariti absentia, vel ex ejus impotentia, tum quia nemo in sui præjudicium credere tenetur unius etiam non suspecti testimonio, præsertim turpitudinem suam allegantis; tum quia præsumi potest mulierem sic agere ex odio erga hunc, et ex inordinata affectione erga alios filios; tum quia praxis est in foro externo observata cui se conformare potest. Ita *Carrière*, n. 449.

Alii tamen dicunt spurium matri suæ credere teneri, si probæ sit fidei, conscientiæ rectæ, rem cum juramento affirmet, maxime quando in articulo mortis est constituta. Hæc sententia non est improbabilis. Si autem filius, tam ex matris suæ ejusdemque mariti confesso quam ex commercio diu in absentiam mariti publice ac certissime continuato, clare se spurium esse intelligat, certum nobis videtur illum, tuta conscientia, hæreditatem etiam per judices sibi adscriptam retinere non posse; semper enim judices supponunt illum esse legitimum. Ergo. Ita card. *de Lugo*, d. 13, n. 62, et plures alii apud ipsum. Vide S. Ligor., l. III, n. 654.

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE BONIS FAMÆ ET HONORIS.

Fama, a *fando* sic dicta, est bona existimatio quæ de vita, moribus et aliis qualitatibus alicujus personæ habetur, v. g., de virtute, de ingenio, de eloquentia, de scientia, de opibus, de auctoritate, de potentia et de aliis similibus, quæ hominem efficiunt laudibus dignum. Honor est testimonium exterius bonæ illius existimationis; testimonium autem istud ipsimet personæ per se vel per aliud præsenti exhiberi debet: sic honoratur rex non solum quando est præsens in persona, sed etiam in suo

legato, in sua statua, etc. Discrimen igitur famam inter et honorem in eo potissimum consistit, quod fama sit præcipue opinio interna de perfectionibus alicujus, et honor testimonium externum de illius excellentia : fama fertur de absente, honor præsenti exhibetur; fama est simpliciter de perfectionibus et honor de excellentia, id est, de aliqua superioritate in perfectionibus.

Expenditur in Tractatu *de Decalogo* an, quale et quando infamatio sit peccatum. Nunc quærendum nobis incumbit utrum qui injuste alterum infamavit, ex justitia damnum istud reparare teneatur, quomodo illud reparare possit, et quæ causæ ab illa obligatione excusent.

I. De obligatione infamatoris. — Certum est eum qui alterum injuste infamavit, teneri ex justitia damnum istud reparare. Etenim ex infamatione sequitur directe amissio famæ vel honoris, et indirecte aliquando quorumdam amissio bonorum temporalium : atqui gravis existit obligatio hoc utriusque generis damnum reparandi.

1° Amissio famæ vel honoris est reparanda; probavimus enim restitutionem boni temporalis necessariam esse ad salutem : atqui fama et honor multo pretiosiora sunt quam bona fortunæ : ergo *a fortiori*, etc. *Est sententia communissima et certa.*

2° Adest obligatio reparandi damnum temporale quod ex diffamatione injusta sequitur; revera enim illud damnum injusto detractori imputandum est. Ergo. *Sic communiter theologi.*

Hinc qui per injustam detractionem fuit causa cur aliquis ab officio vel beneficio adepto aut adipiscendo repelleretur, cur puella conveniens non iniret matrimonium, cur famulus aut ancilla suas operas locare non posset, cur medicus, advocatus, non adhibeantur, mercator non vendat, artifex ad laborem non quæratur, pauper eleemosynam non obtineat, hæc omnia et alia similia reparare tenetur.

Diximus *qui injuste alterum infamavit*, si quis enim ex rationabili causa famam alterius abstulisset, nec illam,

nec damna inde secuta reparare teneretur : ubi nulla est juris violatio, nulla est reparatio facienda.

Omnis autem qui efficaciter famam alterius absque legitima causa læsit, ad strictam tenetur restitutionem, juxta id quod diximus : porro non solum ii qui detrahunt, sed et ii qui in detractionem injustam positive influunt, famam alterius efficaciter lædere censentur. Inde qui jubendo, consulendo, exhortando, inquirendo, alios efficaciter movent ad detrahendum, famam restituere tenentur. Imo ipsi audientes, si verbis, nutibus, aut etiam aliquando silentio detractorem approbent, illumque sic ad detractionem augendam vel continuendam excitent, damnum reparandi obligationem incurrunt. Si vero interius detractione voluntarie delectarentur, hanc autem delectationem non manifestarent, nec in detractionem influerent, peccarent contra charitatem, non vero contra justitiam.

*Quæritur* 1° utrum superior qui non impedit detractionem quam impedire posset, ipse defectu detractoris ad restitutionem teneatur.

*R.* Superiores possunt esse subditorum suorum sponsores, defensores aut simpliciter superiores.

1° Si sint subditorum suorum sponsores, tenentur probabilius *ex justitia* erga infamatos quoscumque, id est, sive subditos, sive extraneos ; tenentur enim in genere de omnibus a suis subditis injuste illatis : porro nulla videtur causa cur excipiendum esset damnum famæ. Sic tenentur patresfamilias de detractionibus uxoris, filiorum et etiam famulorum, in quantum pro ipsis respondere debent.

2° Si sint defensores, tenentur *ex justitia* ad reparationem, si ipsos infamari permittant ; tenentur enim ex officio ab illis avertere omne damnum. Tales sunt iterum patresfamilias respectu filiorum suorum, tutores respectu pupillorum, publici magistratus, qui ex speciali officio libellos famosos proscribere, eorum auctores ad reparationem famæ cogere debent.

3° Si sint simpliciter superiores, ut parochi, relative ad parochianos, scolarum magistri relative ad suos disci-

pulos, de detractionibus suorum subditorum probabilius non tenentur; debent quidem ex officio eos delinquentes corrigere, sed ex justitia non tenentur bono aliorum invigilare eorumque malum avertere. Similiter probabilius non tenerentur si hujusmodi subditos infamari permitterent, quia ipsis non commissa est eorum fama, sed tantum bona et recta institutio. Multi tamen alii docent in hoc casu superiores generatim ex justitia teneri subditorum infamiam prohibere.

*Quæritur* 2° ad quid hæredes diffamatoris teneantur, quando ipse non restituit.

*R.* Si ex infamatione quædam secuta sint damna realia, ea hæredes resarcire tenentur; hæc quippe realis obligatio bona defuncti non minus afficit quam alia debita realia; at hæredes, juxta omnes, cuncta debita realia solvere tenentur : ergo.

Ex communi sententia, ad restitutionem famæ non tenentur; nam hæc restitutio in aliqua re præbenda non consistit, sed in aliqua actione : porro hæredes non tenentur de actionibus ad quas obligabatur defunctus, ut videre est in voto jejunandi, perigrenandi, etc. Ergo.

Si tamen ob damnum famæ aliqua compensatio per modum mulctæ a judice imponeretur, hæc obligatio transmitteretur, utpote realis.

II. De modo restituendi ob damnum in bonis famæ illatum. — Satis patet eo modo ad restitutionem teneri diffamatorem quo damnum ob eo injuste illatum, quantum fieri potest, ad æqualitatem reparetur. Igitur, damnum temporale, si aliquod ex infamatione secutum fuerit, ad æqualitatem reparandum est, ut fieri debet, in omni damno injuste illato. Item, quoad damnum famæ et honoris, reparatio debetur ad æqualitatem, quod fieri non potest nisi mala opinio, in aliorum mente impressa, deleatur, et diffamatus in fama sua plene restituatur. Hoc quidem certum est, sed difficultas movetur quomodo poterit damnum istud reparari.

1° Si infamator falsum crimen alicui imposuerit, aperte se retractare tenetur apud eos qui eum detrahen-

tem audierunt, aut ad quos fama criminis suppositi pervenit; idque retractatione efficaci facere debet quantum potest. Itaque, si non sufficiat dicere crimen esse falsum, tenebitur etiam dicere se locutum esse falsum, se calumniatorem fuisse, etc.

2° Si vero crimen occultum injuste manifestaverit tenetur, si possibile est, efficere ut non credatur, dicendo, v. g., se male et inconsiderate locutum esse, se alterum injuste diffamasse, etc. Si autem his modis efficere non possit, quod apud sagaces semper contingit, ut crimen non credatur, debet pro posse malam opinionem quam injecit minuere, eum nempe quem diffamavit laudando, de illo honorifice loquendo coram eis qui detractionem audierunt aut ad quos detractio pervenit.

3° Si per contumeliam aliquem inhonoraverit, ad convenientem reparationem pariter tenetur. At modus sufficiens reparandi ex variis pendet circumstantiis, ut ex gravitate injuriæ, ex dignitate personæ læsæ, vel personæ satisfacientis, ex consuetudine patriæ, ex usu locorum, etc.; reparatio enim honoris eo debet fieri modo quo persona læsa rationabiliter sit contenta : verum, ex communi hominum opinione, rationabiliter non esset contenta, si prædictarum circumstantiarum ratio non haberetur.

Unde aliquando sufficit amica salutatio, si de superiore cum suo inferiore agatur; loci honorifici concessio, si offensus et offendens sint æquales; invitatio ad mensam; laudatio apud eos coram quibus honor fuit læsus; aliquando vero requiritur veniæ petitio publica vel privata prout culpa fuit publica vel occulta, quando scilicet agitur de inferioribus relative ad superiores.

*Quæritur* 1° utrum teneatur detractor famam alterius læsam etiam apud mediatos auditores reparare.

*R.* Communis sententia docet detractorem non teneri famam apud mediatos tantum auditores reparare, si silentium fuerit stipulatus cum iis apud quos detrahebat, aut si rationabiliter sperare potuerit fore ut aliis non revelarent; quia hæc ulterior revelatio facta est ipso invito,

et alterius malitiæ vel casui fortuito tribuenda est. Si prævideriit aut prævidere debuerit quod primi auditores non tacerent et crimen aliis revelarent, tenetur, defectu aliorum, reparationem apud omnes qui de illo audierunt facere : principalis enim et primaria est totius damni causa efficax et culpabilis.

*Quæritur* 2° utrum detractor teneatur veniam petere, et condonationem obtinere, si quod sæpe evenit, fama alterius, ab eo injusta læsa, nullo modo possit sufficienter reparari.

*R.* Probabilius videtur quod absoluta non sit obligatio hanc veniam petendi; in aliis enim injustitiis quando vera est impossibilitas restituendi, non existit obligatio veniam petendi : non magis autem existere debet in infamia. In dubiis tamen de sufficienti restitutione vel de possibilitate plus faciendi, tutius est veniam petere et condonationem obtinere. Quando vero diffamatus ignorat sui diffamationem, vel non cognoscit diffamatorem, tunc prudentius est veniam non petere.

Idem dici non potest cum de obligatione honorem reparandi agitur; nam inhonoratio semper fit conscia persona inhonorata : si alia igitur sufficiens exhiberi non possit honoris reparatio, petenda est venia.

III. De causis a restitutione famæ vel honoris excusantibus. — Variæ afferuntur causæ quæ ex communi theologorum sententia, a restitutione famæ et honoris excusant.

1° Si nullum damnum subsecutum fuerit ex detractione, quod variis modis fieri potest : — a) quia auditores fidem detrahenti non adhibuerunt, vel quia crimen jam sciebat, sive publice sit notum, sive non; nam ut quis damnum reparare teneatur, non sufficit quod intentionem illud inferendi habuerit, verum requiritur ut reipsa nocuerit. Si hac tamen narratione infamia graviter augeatur, v. g., si crimen quod antea probabile tantum reputabatur, nunc ut certum habeatur, stricta existit obligatio famam reparandi; — b) si crimen alia via in earumdem personarum notitiam venerit; nam tunc diffa-

matus jus ad famam suam apud illas personas non habet aut saltem rationabiliter exigere non potest ut primus detractor eam restituat.

2ª causa est si fama jam alia via sit recuperata, v. g., per judicis sententiam, per rei evidentiam, per testes, etc.; tunc enim nullum existit damnum, nec proinde ulla illud reparandi obligatio. Reparari tamen debet honor personæ læsæ, si diffamationem suam noverit. Idem dicendum est si crimen in plenam venerit oblivionem; nam in eo casu fama de facto restituta est, et alia restitutio fieret ipsa infamatio. Sæpius autem difficile est certo judicare an detractio sit oblita, an vero tantum sopita. Unusquisque in hac circumstantia id prudenter facere debet, quod rationabiliter pro se ipso fieri vellet.

3ª causa est si reparatio sit impossibilis, ad impossibile namque nemo tenetur. Reparatio autem duplici modo impossibilis esse potest, absolute nempe et relative. Impossibilitas est absoluta si crimen ita notum factum fuerit et publicum, ut jam omnino impossibile sit quacumque via infamati famam restitui. Sed in illo casu famam, meliori quo fieri potest modo, compensare tenetur infamator, etiam per aliquam pecuniæ summam, secundum viri prudentis æstimationem. Est opinio communior et probabilior, ex supradictis, ubi de damno naturali. — Impossibilitas autem est relativa, si infamator reparare non possit nisi ipse incurrat damnum grave in bonis superioris ordinis, vel damnum gravius in bonis ejusdem speciei. Hinc qui injuste alterum infamavit, non tenetur cum periculo vitæ famam ejus reparare, nisi eum in simile conjecerit periculum, aut de bono publico agatur : tenetur tamen famam alterius reparare cum damno æquali aut etiam paulo majori, quia melior est conditio innocentis.

4ª causa est condonatio valide facta; qui enim dominium in suam famam habet, valide consentire potest ut sibi auferatur, vel ablata non restituatur. Diximus *valide facta;* plures namque sunt casus in quibus aliquis bonam famam suam valide condonare non potest : — a) si infamia ejus in aliorum diffamationem vergat, v. g., si quis talem

corrupisse virginem accusaretur; — b) si fama ad bonum publicum sit necessaria, ut est fama parochi, prælati et sacerdotis cujuslibet ministerium sacrum exercentis; — c) si illius infamia temporale alteri damnum afferat, v. g., si filius ita diffametur ut mater ejus honestas habere non possit ancillas.

5ª causa a restitutione famæ excusans est ex communiori sententia contra *Navarrum*, card. *de Lugo* et plures alios, compensatio. Compensatio locum habet quando duo sese diffamaverunt. Hujusmodi reciprocitas æquivalere videtur mutuæ condonationi; nam in se diffamatio unius non potest haberi tanquam reparatio pro alterius diffamatione. Ideo, ista compensatio in eo sensu tantum valet quod unus infamator non teneatur reparare quamdiu alter reciprocam reparationem recusat; non extinguitur igitur obligatio, sed quodam modo suspenditur.

Ut autem admitti possit ista compensatio, sequentes requiruntur conditiones.

— a) Ut jam sit consummata reciproca diffamatio; non enim liceret alterum diffamare, quia prior diffamasset: hæc enim agendi ratio nihil aliud esset quam pura vindicta, quæ semper mala est, si propria auctoritate suscipiatur. Unicuique tamen licitum est, si aliunde innocentiam suam probare nequeat, ea detegere unde injusti detractoris testimonium labefactari possit, dicendo, v. g., illum esse mendacem, perjurum, furem, si revera talis sit, quia ex illa criminis manifestatione sequitur directe propriæ famæ defensio aut recuperatio. Sed requiritur ut diffamatio alterius ad conservandam propriam famam necessaria sit, et præterea ut saltem non multo gravior sit quam fama cujus conservatio intenditur.

— b) Ut unius infamia in aliorum detrimentum non vergat; tunc enim alter infamator illius famam reparare deberet, etiamsi non posset propriæ famæ reparationem obtinere; alii enim qui damnum paterentur, nisi esset leve, inviti essent.

Si vero compensatio non esset in eodem ordine bonorum, legitime fieri non posset absque mutuo consensu.

Hinc non licet aliquem compensare per summam pecuniariam, si ipsa fama possit restitui; nec recusare debitum infamatori, quia ipse reparare recusat. Licere tamen videtur differre quamdiu reparare recusat, sed nunquam extinguitur debitum. *A fortiori* admitti non potest secreta compensatio tum propter diversitatem bonorum, tum propter abusus periculum. *Carrière*, n. 457.

---

## CAPUT QUARTUM.

### DE BONIS FORTUNÆ.

De diversis modis quibus damnum proximo in bonis fortunæ inferri potest in Tractatu *de Decalogo* disseritur, ubi de furto et rapina. De obligatione restituendi proximo, sive ratione rei acceptæ, sive ratione injustæ damnificationis, jam in secunda parte hujus Tractatus egimus; de obligatione vero restituendi ratione contractus in speciali *de Contractibus* Tractatu dicemus : pauca igitur in præsenti quæstione dicenda nobis remanent, scilicet 1° utrum et quando res accepta retineri possit aut restitui debeat; 2° utrum et qualis sit obligatio restituendi ratione tributorum; de his in duplici articulo tractaturi sumus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### UTRUM ET QUANDO RES ACCEPTA RETINERI POSSIT, AUT RESTITUI DEBEAT.

Res præstita vel accepta est ob causam turpem; vel ob causam honestam sed debitam ex justitia; vel debitam ex charitate; patet igitur diversam esse solutionem in singulis casibus.

I. De re accepta ob turpem causam. — Jam re accepta

ob turpem causam, vel opus patratum est, vel nondum patratur; unde duplex quæsitum.

*Quæritur* 1° an res ob turpem causam accepta retineri possit, si malum opus nondum sit patratum.

*R.* Res ob turpem causam accepta retineri non potest, si malum opus nondum sit patratum. Etenim ut res accepta tuta conscientia retineri possit, requiritur quod saltem valide data fuerit: atqui res accepta ob malum opus nondum perpetratum, non solum illicite, sed et invalide data est; data est enim sub conditione quod malum perageretur opus; res autem sub conditione data, non valide transmissa est donec impleatur conditio : porro illa conditio, ut pote turpis, impleri non potest. Ergo. Hinc qui ad aliquem occidendum pretium accepit, illud refundere debet, si crimen nondum sit patratum.

*Quæritur* 2° an restitui debeat vel retineri possit res accepta ob turpem causam, crimine patrato.

*R.* 1° Distingui potest res quæ datur occasione rei turpis, non vero tanquam rei hujus pretium; omnes fatentur eam retineri posse; et res quæ datur propter opus non malum in se, sed tantum accidentaliter, v. g., propter opus servile die dominica effectum. Omnes iterum concedunt rem hujusmodi absque injustitia retineri posse.

*R.* 2° Si res accepta est in pretium operis turpis, probabilius est nullam esse obligationem eam restituendi ex justitia, crimine patrato. Ratio est quia voluntas donatoris quæ erat antea propter conditionem suspensa, purificata conditione, licet illicite, transiit in absolutam, et ideo res data absolute transmissa est. Et vero si retineri non posset, non videtur cui esset reddenda; non quidem donatori, qui veram habuit intentionem se bonis sic datis spoliandi, non pauperibus, qui in eam jus nullum habent. — Ergo. Sic P. *Antoine*, p. 2, q. 16, et apud ipsum *S. Antoninus*, *S. Bonav.*, *Covarruvias*, *Cajetanus;* sic etiam *Lessius*, c. 15, n. 15; card. *de Lugo*, d. 18, n. 45; *Sylvius*, q. 82, art. 7, concl. 3; *Billuart* contra plures alios inter quos *Collat. Paris.*, *Collat. Andeg.*

Qui aliqua lege declararetur ad retinendum hujusmodi

pretium inhabilis, illud procul dubio retinere non posset; quod enim contra leges justas possidetur, illegitimum semper reputatur. Sic qui per simoniam beneficium obtinent, totum restituere tenentur.

Observandum est confessarium, per modum pœnitentiæ, imponere debere eis qui talia acquisierunt bona etiam valide, ut ea, vel ex integro, vel ex parte majori aut minori, secundum prudentiam, in pauperes vel in pias causas impendant, nisi his indigeant, aut alia ratio contrarium prudenter suadeat; satisfactio enim ista salutaris erit, et præterea non convenit aliquem ex crimine suo fructum percipere. Itaque mulier quæ ex meretricio dives facta est, talibus bonis abhorrere, ac ea in criminum suorum expiationem pauperibus erogare debet. Ita communiter theologi. Idem dicendum est de aliis bonis illicite acquisitis.

II. De re accepta ob honestam causam, sed antea ex justitia debitam. — *Quæritur* utrum res sic accepta retineri possit.

*R. Negative.* Non posset enim retineri nisi titulo venditionis aut donationis; atqui neutrum dici potest : non titulo venditionis, quæ enim *ex justitia* debentur venalia non sunt, ut aiunt; non titulo donationis, quia qui sic donant, non libere donasse censentur, sed se voluisse eximere ab injustitia.

Hinc latro cui pecunia datur ut aliquem non spoliet, non occidat; detractor qui summam accipit ut alterum non diffamet; judex qui pretium exigit ut justam ferat sententiam; hi omnes totum quod acceperunt restituere tenentur : illudque verum est, sive res ab eo qui injustitiam timet, detur, sive ab aliquo tertio; in utroque enim casu nullum titulum habet donatarius ut pretium istud retineat.

III. De re accepta ob causam ex charitate debitam.— *Quæritur* utrum res sic accepta retineri possit.

*R.* 1° *affirmative* si in ista præstanda sit labor, periculum aut quid aliud pretio æstimabile. Etenim qui rem hujusmodi accepit eam retinere potest, aut saltem non

nisi ex charitate eam reddere tenetur, si sufficientem habeat titulum ut valide eam accipiat : atqui eo ipso quod in ea præstanda sit labor, periculum, etc., sufficientem habet titulum ut proportionatum valide accipiat pretium. Ergo. Ita card. *de Lugo*, d. 19, n. 66. Unde dives, qui ex charitate teneri videretur pauperrimam familiam in domum ad se pertinentem gratuito suscipere, non peccabit tamen contra justitiam, si pretium locationis exigat; qui ex charitate juxta pauperem infirmum vigilare per noctem debet, reus injustitiæ non erit, si hoc gratuito præstare recuset.

*R.* 2° *negative*, si in ea præstanda non sit labor, nec periculum, nec aliud pretio æstimabile. Res namque ista retineri non potest, nisi ex plena liberalitate data censeatur : atqui res in suppositione nostra ex plena liberalitate data censeri non potest; rationabiliter, e contra, præsumitur quod data non fuisset, si metus non exstitisset ne accipiens sine tali dono rem ex charitate debitam præstare nollet. Ergo. Unde qui pecuniam a viatore exigit ut illi viam indicet, restituere tenetur. *Sic communiter theologi.*

Si tamen aliquod pretium daretur ob bonum opus, cedens tantum in accipientis utilitatem, aut in honorem Dei, nulla esset obligatio restituendi; pretium enim istud ex mera liberalitate datum legitime præsumeretur, siquidem nihil existeret quod consensum donantis labefactare posset. Hinc qui pecuniam accepit ut se non inebriaret, ut caste viveret, ut jam non blasphemaret, si revera conditionem impleat, ad restitutionem non tenetur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### UTRUM ET QUALIS SIT OBLIGATIO RATIONE TRIBUTORUM RESTITUENDI.

Nomine tributorum, a verbo *tribuo* sic dictorum, ea omnia intelliguntur quæ ad communes reipublicæ sumptus a subditis solvuntur.

Diversi generis distinguuntur. Alia enim sunt directa et alia indirecta. Tributa directa sunt ea quæ actualia et determinata privatorum bona afficiunt. Afficiunt autem vel bona immobilia, et dicuntur realia, gallice *fonciers*, vel bona mobilia, habita ratione personarum earumque professionis et industriæ, et personalia vocantur. Hujus generis est tributum mercatorum, dictum *patente*.

Tributa indirecta sunt illa quæ immediate in quasdam merces cadunt, et mediate tantum in personas quæ eas vendunt aut emunt, ut sunt gallice *les contributions indirectes, les octrois, les douanes, le timbre et la régie*. Ad ea etiam revocantur *les droits d'enregistrement, le centième denier, les postes*, etc.

*His notatis*, inquiremus primo utrum omnes leges tributariæ obligent sub peccato et ex justitia; deinde nonnullas quotidianæ praxis et maximi momenti difficultates relative ad tributa indirecta expendemus.

## § I. — Utrum leges tributariæ obligent sub peccato et ex justitia.

### PROPOSITIO.

*Omnes leges tributariæ justæ obligant sub peccato mortali et ex justitia.*

*Prob.* 1° *ex Scriptura.* Matth. XXII, 21 : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Ibi agitur de censu imperatoribus solvendo, et eodem modo hunc censum solvere tenemur quo ea quæ Dei sunt Deo tribuere debemus : porro tenemur sub peccato mortali ea quæ Dei sunt Deo tribuere : ergo.

Ex B. Paulo, Rom. XIII, 5 : *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Per vectigal intelligebatur illud tributum quod pro transvec-

tione mercium solvebatur; B. Paulus asserit hæc tributa principi solvenda esse, tanquam vere debita : *Reddite ergo omnibus debita*, tanquam subjectionis argumentum : *ideo et tributa præstatis :* vult autem non esse subjectos *non solum propter iram, sed propter conscientiam :* ergo et propter conscientiam tributa solvere tenemur. Principes enim *ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes*, id est, suo regimine Deo militant populum pascendo : jus ergo habent ad tributa a populo exigenda, tanquam ministerii sui stipendia, juxta hæc ejusdem Apostoli verba, I Cor. IX, 7 : *Quis militat suis stipendiis unquam?*

*Prob.* 2° *ex S. Aug.* In libro Expositionis quarumdam propositionum ex Epist. ad Rom. in capite XIII, n. 72, t. III, part. 2, col. 920, sic se habet : « Si quis ergo pu» tat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal » reddendum, aut tributum... in magno errore versa» tur : » atqui non esset in magno errore, si stricta non existeret obligatio tributa et vectigalia solvendi. Unde Clerus gallicanus, anno 1700, hanc propositionem : *Subditi possunt justa tributa non solvere*, damnavit ut seditiosam et apostolicæ doctrinæ contradicentem.

*Prob.* 3° *ex ratione.* Subditi tenentur sub peccato et ex justitia omnia solvere tributa, si princeps juste et stricte ea exigere queat : atqui princeps juste et stricte tributa exigere potest; eo ipso enim quod supremam reipublicæ administrationem suscipit, jus strictum habet ea obtinendi quæ sibi competunt, tum ad supremam dignitatem sustinendam, tum ad sumptus pro bono publico procurando necessarios : porro hæc obtinere non potest nisi per tributa : unusquisque ergo tenetur sub peccato, et quidem ex justitia, solvere tributa, sive directa, sive indirecta. Tributa enim indirecta, ejusdem sunt generis ac erant olim vectigalia apud Romanos, gabellæ apud nos; sed ex B. Paulo, ex S. Aug., vectigalia ut vere debita erant solvenda : pariter omnes melioris notæ theologi strictam docebant existere obligationem gabellas solvendi, propter rationes et auctoritates superius expositas. Etenim citantur pro vectigalibus et pro gabellis, apud Sylvium.

art. 7, concl. 5; Sylvester, Cajetanus, *Bannez*, Navarrus, *Covarruvias*, *Lopez*, Malderus; idem docent Lessius, l. II, card. *de Lugo*, d. 36, n. 28; ipse Sylvius, Collator Parisiensis, Collator Andeg., *Billuart et communissime theologi*, qui volunt defraudantes ad restitutionem teneri. Ergo.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1° cum quibusdam recentioribus, post nonnullos casuistas laxitatis patronos : Leges quibus tributa indirecta determinantur, sunt pœnales : ergo ante sententiam judicis non obligant, nec eas infringentes ad restitutionem tenentur.

*R. Dist. ant.* Leges istæ sunt pœnales simul et præceptivæ, *conc.;* sunt pure pœnales, *nego ant.* Fateor quidem leges istas pœnales esse, cum pœnæ adversus delinquentes statuantur, sed nego eas esse pure pœnales; leges enim pure pœnales illæ sunt quæ ad rem determinatam revera non obligarent sub peccato : porro dici non potest leges quibus tributa indirecta determinantur, sub peccato non obligare; contrarium enim asserit B. Paulus de vectigalibus, et, post ipsum, omnes fere theologi : sed alia tributa indirecta ejusdem sunt generis ac vectigalia. Ergo.

Præterea, leges pure pœnales eæ forent quibus legislatores minime intenderent subditos obligare : at dici non potest legislatores minime intendere subditos ad indirecta tributa obligare, tum quia intentio eorum rationabilis non esset, tum quia verbis æque præceptivis illæ feruntur leges ac aliæ quæcumque leges : unde eodem modo obligare debent ac aliæ quæcumque leges. Porro, juxta omnes, leges præceptivæ obligant in conscientia sub peccato de genere suo mortali : ergo leges tributariæ, etiam illæ quæ merces directe afficiunt, sic obligare debent. Pœna autem ad observationem earum premendam decernitur, ac proinde vim illarum roborat, nedum infirmet.

*Obj.* 2° Qui has transgreditur leges, contra obedien-

tiam principi debitam peccat, non vero contra justitiam : ergo saltem ad restitutionem non tenetur.

*R. Dist. ant.* Peccant simul contra obedientiam et justitiam : *conc.;* contra obedientiam tantum *nego;* quia princeps jus habet strictum ea obtinendi quæ sibi sunt necessaria : leges autem quotam partem pro unoquoque cive determinant; vel pro singulis mercium speciebus, vel pro unaquaque ejusdem mercis parte, aut quantitate : tunc ergo princeps jus strictum habet ad quotam tributi partem sic legitime determinatam : qui illam igitur per fraudem non solvunt, contra justitiam peccant et ad restitutionem obligantur.

*Obj.* 3° Princeps, eo ipso quod futuras esse fraudes prævidet, majora postulat tributa : atqui majora illa tributa respectu subditorum fidelium sunt injusta : ergo subditi fideles a parte excedente per fraudes se eximere possunt.

*R. Nego min.* Subditi fideles merito exigunt a principe ut bono publico invigilet illudque semper procuret : at princeps bono publico sufficienter invigilare illudque procurare non posset, si majora non postularet tributa, præcise quia futuras esse fraudes prævidet; ut bonum enim publicum procurare valeat, requiritur quod cunctis sumptibus necessariis non sit impar : porro his sumptibus necessario impar foret, si defraudationes per majora tributa non compensarentur. Ergo.

Ad restitutionem tamen adigere nollemus eos qui, certam ac evidentem experti injustitiam ab exactoribus aut vectigalium præpositis, per nonnullas fraudes æquam tantum compensationem obtinuissent, v. g., qui ex ignorantia aut inadvertentia in apparenti delicto deprehensi, ad mulctam fuerunt damnati, et æqualem summam sibi comparaverunt ex legitimis tributis quæ solvere debuissent; mulcta enim indebita quam solverunt, hanc compensat summam : ergo injustitiæ non sunt rei.

Diximus in propositione *leges tributariæ justæ;* nam apud omnes in confesso est leges injustas nullam pro conscientia creare posse obligationem, ac subditos tributa

injusta solvere non teneri. Ut autem tributum sit justum, tres conditiones requirunt doctores, scilicet auctoritatem competentem in imponente, rationabilem causam finalem, et justam proportionem.

1° Competens requiritur auctoritas in imponente; ut autem auctoritas sit competens, debet esse suprema et legitima : suprema, quia impositio tributorum est actus primariæ jurisdictionis, et solvuntur tanquam subjectionis argumentum erga supremum in temporalibus dominum; ita apprehendunt omnes. Unde duces exercitus, præfecti provinciarum et alii qui secundariam tantum habent potestatem, non possunt, nisi ex delegatione principis, aliqua imponere tributa. Auctoritas illa debet adhuc esse legitima : cum enim tributa sint stipendia pro reipublicæ administratione, qui hanc administrationem usurpavit injuste, nullum habet jus strictum imponendi aut exigendi tributa, nec populus ea solvere tenetur.

2° Requiritur rationabilis causa finalis, id est, ut tributa ob necessitatem tantum aut utilitatem reipublicæ imponantur; patet ex ipsorum definitione. Itaque tributa quæ ad sustinendum bellum evidenter injustum postularentur, injusta merito reputarentur : nulla proinde esset obligatio ea solvendi aut restituendi.

3° Justa debet esse proportio inter bonum publicum et tributa quæ ad illud procurandum exiguntur : patet adhuc ex definitione. Item moralis semper dari debet proportio inter omnes cives, habita ratione uniuscujusque facultatum, conditionis et professionis; iniquum enim foret quosdam plus aliis absque sufficienti causa gravare : injustus proinde non esset, qui certo nimis gravatus, omnia non solveret. Ita doctissimus Sylvius, qui sic se habet, q. 56, art. 8, concl. sub fine : « Si quis fraudet de » illis vectigalibus quantum bona fide existimat se plus » æquo gravari, neque peccat, neque tenetur ad restitu- » tionem : quod meminisse oportet confessarios, quando » agitur de fraudatorum vectigalium restitutione injun- » genda. » Idem docet *Billuart*.

Hinc nobis videtur quod pauperes ægre viventes non sint dure et aspere tractandi, nec statim ad restitutionem cogendi, quia aliquid defraudaverunt de tributis indirectis circa ea quæ sibi sunt necessaria; nec pariter damnare auderemus miserum patrem, aut viduam jam nimis afflictam, qui, cum familiam suam vix alere possint ex ea quam exercent professione, v. g., cauponis, et quam solam tunc exercere queunt, omnia quæ deberent non solvunt tributa indirecta, modo non mentiantur; rationabiliter enim præsumitur principem non intendere eos in hujusmodi casu stricte obligare, et æquum non esset quod sic opprimerentur sub prætextu boni publici, ad quod non magis tenentur concurrere quam alii cives. Ita card. *de Lugo*, n. 43, et plures alii. Caveatur tamen ne hæc decisio ultra justos extendatur limites.

Quando autem dubitatur an tributa sint justa, plures theologi docent nullam esse obligationem ea solvendi; nam, inquiunt, in dubio melior est conditio possidentis; subditus res suas possidet, tributa ergo solvere non tenetur.

Alii vero dicunt solvenda esse pro ratione dubii; si enim nihil solveretur, forte princeps non obtineret quod stricte ipsi debetur; si ex integro solverentur, plus tribuerent subditi quam debent, siquidem debitum dubium non tanti est valoris quanti debitum certum : ex parte igitur illa solvi oportet. Ita *Billuart*. Sententia hæc satis est consentanea principiis quæ superius exposuimus, ubi de præscriptione, et improbabilis non videtur, modo non de qualicumque dubio agatur, sed de vero et gravibus momentis fundato, non quidem ex debitoris arbitrio, bene vero ex virorum probitate ac prudentia conspicuorum existimatione ita judicato.

Attamen probabilior et in praxi tutior videtur opinio quam Sylvius, *Cabassut* et alii plures tuentur, scilicet, quod in tali dubio tributa solvi debeant, nisi rationes quæ pro illorum injustitia militant, rationibus oppositis longe sint graviores; nam si princeps legitimam habeat potestatem imperandi et tributa imponendi, jure suo

privari non debet propter aliquod exsurgens dubium circa causam finalem aut justam proportionem; pro eo enim standum est pro quo stat præsumptio: atqui præsumptio stat pro principe. Aliunde æquus ordo et pax publica postulant ut subditi semper pareant legibus quæ non sunt evidenter injustæ. Ergo.

Raro verum existere potest dubium de legitima principis potestate; si reipsa, omnibus attentis, dubia foret, tunc facile admitteremus quod nulla esset in conscientia obligatio tributa solvendi, saltem ex integro, donec excuteretur dubium, nulla siquidem existeret ratio potius in favorem principis præsumendi quam in favorem subditorum.

Ex huc usque dictis patet evidenter eos qui per fraudem quædam non solverunt tributa, ex justitia teneri id omne restituere quod solvere debuissent. Sed quæri potest cui hæc facienda sit restitutio.

Theologi communiter dicunt aut supponunt hujusmodi restitutionem principi faciendam esse, vel publicano qui jus principis conduxit; etenim restitutio fieri debet ei cujus violatum fuit jus strictum: atqui jus strictum principis aut publicani fuit violatum, siquidem, *ut probavimus*, tributa ex justitia debentur, sive principi, sive ei cui jus suum princeps vendidit: ergo.

Multi tamen recentiores, pietate et doctrina conspicui, contendunt hanc restitutionem fieri debere, non gubernio, sed fidelibus subditis, et quidem ob varias rationes: — a) quia nullus existit modus quo istiusmodi restitutiones suscipiantur. — b) Nullus pariter est modus quo earumdem ratio reddatur, sicque nunquam certo constare potest quod ad publicum ærarium pervenerint. Hæc duo incommoda agnovit, in Belgio, gubernium, et ideo modum specialem quo restitutio sibi fieret instituit. — c) Restitutio fieri debet eis qui ex fraudibus damnum patiuntur; atqui gubernium nullum ex fraudibus patitur damnum; fraudes enim prævidens majora imponit tributa: soli ergo subditi fideles damnum patiuntur, cum plus solvere teneantur quam solverent si fraudes non

existerent : ipsis igitur restituendum est. Cum autem singulis in individuo restitutio fieri nequeat, secundum intentionem illorum rationabiliter præsumptam facienda est, proinde ac summa restituenda pauperibus distribui, aut in alias publicas utilitates, juxta viri prudentis arbitrium, impendi debet.

Neque dicatur hanc decisionem fisco publico futuram esse noxiam; nam experientia constat quod vix quibusdam persuadere possimus ut ipsis agentibus fisci restituant; si a pœnitentibus id stricte exigeremus, mult sacrum tribunal desererent, non restituerent, nec a fraudibus deinceps cessarent; e contra, si restitutio pro fraudibus preteritis in favorem pauperum facienda præscribatur, libentius quod injuste retinuerunt, solvent, et postea quidquid leges ab ipsis postulant, bona fide præstabunt. Ergo.

§ II. — Quædam solvuntur difficultates ad tributa indirecta spectantes.

Tributa indirecta, ut jam observavimus, ea sunt quæ immediate in aliquas merces cadunt et mediate tantum in personas.

Triplicis generis distinguuntur merces relative ad leges quæ eas afficiunt : aliæ enim absolute prohibentur, ut olim merces ex Anglia provenientes; aliæ ab eis tantum vendi possunt qui speciale ad hoc privilegium obtinuerunt, ut nunc in Gallia tabacum; aliæ sunt insuper quarum commercium omnibus indistincte permittitur, sed sub conditione quod certa solvantur tributa, ut vinum, aqua vitæ aliique liquores. *His notatis*,

*Quæritur* 1° an liceat vendere aut emere merces quæ absolute prohibentur.

*R.* Non licet, nisi leges forte evidenter sint injustæ; nam legibus quæ evidenter non sunt injustæ semper obtemperandum est. Quale vero sit peccatum ? Ordinarie non est grave, quia hujusmodi lex non potest ordinarie graviter violari.

Qui autem leges istas transgrediuntur, sive emendo

prædictas merces prohibitas, sive eas vendendo, ad restitutionem non tenentur; nullius namque jus strictum violant : non principis, cum illas merces sibi non reservaverit; non alicujus privati, cum nullus privilegium eas vendendi habeat : ergo in hypothesi, nulla proprie dicta infertur injuria, proindeque nulla est obligatio restituendi.

Fieri tamen posset ut aliquod damnum negotiatoribus regni inferretur; quando enim in eorum gratiam, ut facilius merces suas vendant, alienæ prohibentur, qui eas in notabili quantitate introducit, ipsis damnum infert, ac proinde illud pro posse suo reparare tenetur.

*Quæritur* 2° utrum ille peccet et ad restitutionem teneatur qui per fraudem vendit merces quarum commercium iis tantum permittitur qui speciale ad hoc obtinuerunt privilegium.

*R.* Ex principiis superius expositis, manifestum est illum peccare et ad restitutionem teneri, tum erga privilegiatos, tum etiam aliquoties erga principem : — a) erga privilegiatos, totum scilicet lucrum quod probabiliter et legitime fecissent, si fraudes non exstitissent, illis refundere debet; jus enim strictum habent ad lucrum istud, ut pote titulo oneroso acquisitum; — b) erga principem etiam aliquoties contra justitiam peccat; aliquando enim privilegiati tributum principi pro quantitate mercium quas vendunt, solvunt : tunc ergo jus principis per fraudem minuitur, ac proinde defraudans contra justitiam peccat.

*Quæritur* 3° an qui merces, pro quibus tributum debetur, a fraudantibus emunt, peccent, et ad restitutionem teneantur.

*R.* 1° Minime peccarent si talibus indigerent mercibus, et eas non nisi apud defraudantes invenire possent; si enim tunc peccarent, certe quia fraudibus cooperarentur: atqui hæc cooperatio ipsis ad peccatum imputari non potest; rem quippe in se bonam petunt, scilicet mercium emptionem, et sufficientem habent rationem peccatum et injustitiam defraudantium permittendi. Qui, seclusa necessitate, hujusmodi merces a fraudantibus emunt,

peccant, ut evidens est; valide tamen merces istas acquirunt; nullibi enim declaratur hujusmodi contractum irritum esse.

*R.* 2° Si dubitetur tantum an merces quæ venduntur, per fraudem fuerint introductæ, nec ne, Collator Paris., et, post ipsum, *Collet* censent nullam esse obligationem restituendi; nam jus Romanum, quod naturali æquitate fere semper fundatum est, permittit ut in vero dubio facile contra fiscum respondeatur. Ratio est quia fraus non supponitur sed probatur.

*R.* 3° Qui absque necessitate emunt merces pro quibus tributum certissime non fuit solutum injustitiæ fiunt rei, et restituendi obligationem incurrunt; injustitiæ enim vendentium fiunt participes, siquidem nulli defraudarent, si in tali casu ementes non invenirent. Ergo. Ita Coll. Paris et *Collet*, qui contendunt ementes etiam ante vendentes ad restitutionem teneri; nam, inquiunt, obligatio hoc solvendi tributum est onus reale, et ipsas afficit merces, ut hypotheca, sicque ad ementes cum mercibus transit. Sed hæc hypothesis gratis admittitur; nullibi enim expressa reperitur, et communiter negatur, ut ait *Billuart*. Emptores igitur ad restitutionem ideo tenentur, quia injustitiis vendentium participant, et in illam positive influunt: ergo post ipsos tantum et eorum defectu ad restitutionem tenentur.

Si tamen has merces ex fraude provenientes minori pretio emissent præcise propter fraudem, viderentur ex parte ad restitutionem obligari pro ratione imminutionis quam sic obtinuissent; illa enim imminutio ex fraude proveniens injuste acquiritur, ac proinde ut res aliena habenda est: primario igitur hanc portionem, qua ditiores facti sunt, restituere debent.

*Quæritur* 4° utrum stricta sit obligatio solvendi tributa indirecta antequam petantur.

*R.* 1° Omnes theologi fatentur quod præpositos mendaciis decipere non liceat, nec illos ex industria devitare, v. g., vias non usitatas aut obliquas sequendo, tempus noctis eligendo, et sic impedire ne tributum exigant. Hæc

decisio ex principiis superius expositis evidentissime sequitur.

*R.* 2° Inter tributa indirecta quædam procul dubio antequam petatur solvi debent; quando enim lex exigit ut quis merces alicujus generis priusquam eas vendat, de loco in locum transferat, vel possidere incipiat, declaret, et certum pro eis solvat tributum, tunc tributum istud antequam petatur solvendum est. Sic Lessius, Bonacina, Sylvius, et communiter alii. At hujusmodi nunc existunt leges. Hinc qui hæreditatem obtinet, illius valorem aperire et proportionatum solvere debet tributum; qui vinum, et quosdam alios liquores vult transferre et vendere, hæc pariter declarare, et taxatum pro eis vectigal solvere tenetur. Ergo.

*R.* 3° Si consuetudo existat ut quædam tributa communiter non solvantur nisi petantur, tunc nulla est obligatio ea sponte offerendi : id satis patet; leges enim ultra consuetudinem legitime receptam non obligant. Unde vectigalia quæ ad portam civitatis, ad pontem, ad viam publicam solvuntur, non necessario præstari debent antequam petantur. Itaque si nullus sit exactor qui vectigal petat, dum mercator seclusa omni fraude transit, contra justitiam nihil solvendo non peccat. Ita Sylvius, et communiter theologi. Exactor autem semper invigilare debet, atque si quod ex incuria ejus sequatur damnum, hoc ipsi imputandum est, et illud principali publicano vel gubernio aut civitati restituere tenetur, si principalis non sit publicanus.

*Quæritur* 5° an in contractibus tributum perscriptionis (*d'enregistrement*) patientibus, valor integer bonorum necessario sit declarandus.

*R.* Tributum præscriptionis illud est quod percipitur occasione transmissionis proprietatis. Transmissio autem hæc et permutatio modo multiplici fieri potest : nempe per successionem naturalem, per venditionem vel per donationem. In successionibus, tributum augetur prout hæredes magis elongantur ab eo cui succedunt; majori autem tributo afficiuntur transmissiones in venditio-

nibus; sed maximum percipitur in transmissionibus gratuitis.

Tributum solvendum determinatur ex pretio rei transmissæ : summa determinata exigitur pro unaquaque centesima parte hujus totalis pretii, sed varia secundum speciem transmissionis. In venditionibus illud pretium totale ex ipsa conventione innotescit; at in transmissionibus gratuitis sequenti modo determinandum est ex lege die 22 frimarii, anni VII (11 *februarii* 1799) condita. Si res transmissa sit mobilis, voluntaria partium æstimatione pretium determinatur. Si de censibus agatur, earum capitale inquiritur, redditus annuos multiplicando per viginti aut decem, prout census sit perpetuus aut vitalitius. Si transmittatur bonum immobile, ipsius valor eodem modo æstimatur, resumendo vigesies redditus annuos vel decies, prout transmittitur dominium perfectum vel tantum pars dominii, sive nuda proprietas, sive usufructus.

Dubium non est quin lex ista stricte obliget ex justitia; nulla enim est ratio cur minus obligaret ac cæteræ leges tributariæ. Insuper quando hujusmodi fiunt transmissiones proprietatum, omnino necesse est ut acquisitor novum et proprium habeat titulum quo res sua sibi in perpetuum authentice approprietur : porro jus non habet ut talem titulum gratuito accipiat.

Attamen in illarum legum exsecutione, semper licet agere secundum sensum et communem praxim virorum proborum et a fortiori jurisperitorum; nimis enim durum et non satis æquum foret, si in declaratione facienda obligatio urgeretur ultra talium interpretationem et consuetudinem.

Hinc, usus non est ut in contractibus onerosis illud declaretur quod supra venalem objecti valorem solutum est. Item damnare nollemus eos qui, acceptis bonis multis oneribus aliunde gravatis partem valoris dissimularent; quia licet, ex lege supra citata, onera non sint deducenda, æquum tamen non est ut tantum pro valore fictitio quantum pro reali solvatur. Item si agatur de summa pecuniaria, equidem ex lege non excipitur, et si

quomodocumque in notitiam veniat, tributum exigitur. Attamen, quoad hujusmodi valores, non communiter æstimant subditi se ad aliquam declarationem teneri; nec solet lex illa attingere quæ magis fori interni quam externi esse videntur. Cum enim in his casibus ordinarie fraus non posset probari nec puniri, a solis probis lex observaretur, et sic æqualitas inter cives solveretur.

*Quæritur* 6° quid sentiendum sit de iis qui bonum immobile emunt cum intentione illud revendendi, et ideo, ad vitandum duplex perscriptionis tributum, emunt sub chirographo privato (*par sous-seing-privé*) et stipulantur unicum actum authenticum faciendum esse nomine primi venditoris.

*R.* Cum primus emptor non obtineat titulum legalem, qui in registris publicis inscribatur, non videtur stricte obligatus ad solvendum perscriptionis tributum. Insuper nimis onerosa esset talis solutio pro acquisitione transitoria. Lex diei 22 frimarii an. VII hujus generis operationes nunc frequentissimas non prævidit.

Directores perscriptionis (*les directeurs de l'enregistrement*) exoptant, pro utilitate ærarii publici, ut in prædicta lege nova fiat dispositio hujusmodi contractibus, olim inauditis, nunc tam frequenter usitatis, proportionata.

Cæterum, si emptor sub chirographo privato ineat contractus locationis, si inscribatur ut proprietarius et solvat tributa, ex art. 12 dictæ legis requiri posset et condemnari ad solvendam summam pro mutatione proprietatis taxatam.

*Quæritur* 7° utrum confessarius suum interrogare debeat pœnitentem quando scit aut suspicatur illum fraudes exercere.

*R.* 1° Confessarius eos omnes interrogare debet quos scit in mala fide versari; nam in statu peccati existunt: ab illo igitur sunt avertendi.

*Hinc* — a) omnes interrogare dedet præpositos (*commis*) qui cooperantur fraudibus privatorum, eos adjuvando, occultando, non requirendo, cum illis transigendo, etc.; evidens est enim eos in bona fide supponi non posse.

*Hinc* — b) eos omnes interrogare debet qui prohibitas merces furtive transvehunt, vel easdem ex professione vendunt, ut erant olim *les faux-sauniers*, ut etiam sunt hodi *les contrebandiers de profession*. Nam impossibile est eos in bona fide existere; formale sæpe habent propositum adversus exactores se defendendi, illos percutiendi, vulnerandi, vel etiam forte occidendi : atqui hæc omnia graviter sunt illicita, nec propter bonam fidem a peccato mortali excusari queunt : ergo hi omnes admoneri debent, et prius absolvi nequeunt quam a tali commercio penitus cessaverint, ac illata damna pro viribus se reparaturos promittant.

*R.* 2° Confessarius, secundum id quod pluries jam docuimus, potest, imo debet non interrogare eos quos in bona fide versari cognoscit, si rationabiliter præsumat eos admonitos a fraudibus non cessaturos, nec illata damna reparaturos esse; hæc enim monitio non facienda est quæ nociva foret et minime utilis : atqui monitio in præsenti casu nociva foret pœnitenti, siquidem formaliter postea peccaret, dum antea materialiter tantum peccabat : et minime utilis, cum prævideatur quod admonitus restituere nollet, nec a fraudibus cessaret : aliquoties autem monendus est ut a fraudibus deinceps abstineat, quamvis ad restitutionem pro fraudibus præteritis prudenter adduci nequeat; et tamen absolvendus est, quia fieri potest ut concipiat illicitas esse fraudes, et nihilominus non sibi persuadeat se ad restitutionem teneri. Ita cum pluribus aliis card. *de Lugo*.

At caveatur ne principium istud nimis extendatur : non semel equidem vera existit bona fides, præsertim in rebus parvi momenti ad vitam necessariis, aut quando de præteritis fraudibus agitur, et tunc caute admodum injungenda est restitutio, maxime si pœnitentes sint pauperes; sed multum abest quin bona fides ubique reperiatur : si a nimio rigore prudenter recedendum sit, damnabilis laxitas non minus timenda est.

FINIS TRACTATUS DE JURE, ETC.

# TRACTATUS

# DE CONTRACTIBUS.

I. Contractus definitur. — Contractus, a verbo *contraho* sic dictus, definitur : *Conventio qua una persona, vel plures personæ se obligant erga unam vel plures personas ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum.* Cod. civ., art. 1101.

Dicitur 1° *conventio*, id est, in unum idemque consensio ex parte contrahentium ; requiritur enim ut utraque pars contrahens in idem conveniat seu consentiat.

Dicitur 2° *qua una vel plures personæ erga unam vel plures*, etc., quia contractus debet esse saltem inter duas personas : nemo namque secum contrahere potest. Sed inter plures personas simul existere potest, ut evidens est.

Dicitur 3° *qua se obligant*, id est, qua una persona se obligat, vel plures personæ se obligant erga unam vel plures : obligatio aliquando est reciproca, seu ex utraque parte : aliquando vero ex una parte tantum, ut postea dicemus.

Dicitur 4° *ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum ;* hæc verba objectum contractuum designant.

II. Dividitur contractus. — Multipliciter dividitur contractus, nempe 1° in unilateralem et synallagmaticum seu bilateralem. Unilateralis est ille quo unus e contrahentibus erga alterum obligatur, sine ulla obligatione ex parte alterius, v. g., in promissione donationis. Synallagmaticus, ita vocatus a duobus verbis græcis σύν, *cum*, ἀλλάσσω, *permuto*, ille est in quo uterque contrahens reciprociter obligatur, ut in venditione et locatione.

Synallagmaticus autem duplex est, videlicet perfectus et imperfectus. Est perfectus, quando obligatio ex utraque parte est essentialis, ut in venditione; est vero imperfectus, quando ex alterutra parte obligatio est duntaxat accidentalis, ut, v. g., in deposito : depositarius tenetur quidem essentialiter depositum reddere; sed qui depositum commisit, aliquod pretium depositario solvere non tenetur, nisi ex hypothesi quod in eo custodiendo quædam factæ fuerint expensæ.

Dividitur 2° in realem et consensualem. *Realis* ille est qui in sua specie non perficitur, nisi traditione rei de qua convenitur, ut, v. g., depositum, mutuum; *consensualis* est ille qui solo partium consensu perficitur, sicut nunc venditio, locatio, etc.

Dividitur 3° in onerosum, gratuitum et mixtum. *Onerosus* est ille in quo uterque contrahens obligatur ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum, ut sunt venditio, commutatio, etc. *Gratuitus* ille est quo unus tantum vel plures contrahentium ex pura liberalitate erga alterum ad aliquid se obligant : talis est promissio donationis vel ipsa donatio. *Mixtus* dicitur quando ex parte est gratuitus, et ex parte onerosus, ut, v. g., si bonum notabilis valoris sub onerosa sed levi conditione donetur.

Contractus onerosus duplex est : alius scilicet commutatorius, et alius aleatorius. *Commutatorius* ille est in quo uterque contrahens censetur dare aut accipere aliquid æquivalens et certum, sicut in venditione et in commutatione. In quatuor classes hujusmodi contractus dividuntur, et sic ab antiquis exprimebantur : *Do ut des, do ut facias, facio ut facias, facio ut des.* Contractus *aleatorius* est ille in quo æquivalens est spes lucri obtinendi vel damni vitandi ab incerto eventu pendens, ut in ludis, assecurationibus, censibus gallice dictis *rentes viagères.*

Dividitur 4° in principalem et accessorium. Contractus *principalis* est ille qui in se et independenter ab alia conventione subsistit, ut venditio; *accessorius* ille est qui ab alia pendet conventione, aut eam supponit : talis est hypotheca.

Dividitur 5° in solemnem et non solemnem. *Solemnis* ille est qui debet fieri secundum quasdam legum formalitates, ut sunt matrimonii contractus, hypotheca conventionalis et testamenta. *Non solemnis* est ille qui nullas requirit speciales legum formalitates, sed dispositionibus tantum generalibus subjicitur, sicut diversæ venditionum species.

Dividitur 6° in purum et non purum. *Purus* ille dicitur cui nulla est conditio annexa; *non purus* ille vocatur qui sub aliqua fit conditione, v. g., donatio alicui facta sub conditione quod talem ducat puellam.

Dividitur 7° in nominatum et innominatum. *Nominatus* est ille qui proprium habet nomen, v. g., venditio; *innominatus* autem qui proprio caret nomine, v. g., *facio ut des, do ut facias.*

Dividitur 8° in nudum et vestitum. *Nudus* ille est qui nullam in foro externo parit obligationem, sed in conscientia tantum obligat; tales sunt conventiones absque scripto aut sufficientibus testimoniis; tales sunt etiam pactiones in ludis: nullus datur recursus in foro externo contra eum qui perdidit et solvere recusat. Contractus *vestitus* est ille qui in foro civili sicut in foro conscientiæ obligat, ut sunt omnes contractus secundum leges initi, et qui coram judicibus probari possunt.

Dividitur 9° in formalem seu expressum, et in virtualem seu tacitum. Contractus *formalis* seu *expressus* dicitur quando conventio fit verbis, scriptis vel aliis signis consensum directe manifestantibus: est vero *virtualis* vel *tacitus*, quando consensus in objectum conventionis existit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur. Sic medicus et artifex, cum artem suam exercent, promittere censentur se id omne præstituros esse quod homines ejusdem professionis in simili casu præstare solent; et qui eos accersunt vel adhibent, implicite promittunt se id retributuros quod vi legis vel consuetudinis sancitum est. Uterque hujusmodi contractus eamdem habet vim obligandi.

Theologi priorem simpliciter vocant contractum, et

posteriorem communiter appellant *quasi-contractum*. Juristæ, e contra, utrumque vocant contractum, unum expressum et alterum tacitum : nomen autem *quasi-contractus* unice applicant obligationi ex fictione legis nascenti et fundatæ naturali æquitate quæ consensum supplet, v. g. : Petro absente, ipsius domum ab incendio cum quibusdam expensis tueor; Petrus, ex quasi-contractu, valorem expensarum mihi refundere debet.

III. De natura contractus in genere. — In omni contractu tria a jurisperitis distinguuntur notanda, nempe essentia, natura et accidentalia. Ea dicuntur ad *essentiam* contractus pertinere, sine quibus contractus non existit, vel est contractus alterius speciei, v. g. : ad venditionem tria sunt essentialia, scilicet, *res*, *pretium* et *consensus;* una deficiente, nullus est contractus. Si loco pretii alia res detur, est commutatio et non venditio. Ea pertinent ad *naturam,* quæ, licet non expressa, ex lege, consuetudine vel æquitate, in contractu comprehensa intelliguntur, et tamen non essentialiter, v. g., assecuratio rei venditæ. Contrahentes hanc conditionem mutuo consensu excludere possent, et nihilominus venditio existeret : sed conventione expressa non interveniente, venditor rem venditam assecurare debet. Ea dicuntur *accidentalia* quæ contractui adjungi possunt, sed ex lege, consuetudine aut æquitate adjecta non intelliguntur, nisi aliqua interveniat conventio specialis, v. g., talis aut talis dilatio solutionis pretii. Vide *Toullier,* t. VI, p. 208 et seq.

Omnes nunc contractus, quicumque sint, sive nominati, sive innominati, regulis generalibus, absque ulla exceptione, subjiciuntur. *Cod. civ. art.* 1107.

IV. Dividitur tractatus. — Præsentem Tractatum in duas partes dividemus : in prima de contractibus in genere et in secunda de contractibus in specie disseremus.

# PARS PRIMA.

## DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Hujus partis tria erunt capita : primum de jure et origine contractuum ; secundum de requisitis ad valide contrahendum ; tertium de obligationibus ex contractibus semel initis consequentibus.

## CAPUT PRIMUM.

### DE JURE ET ORIGINE CONTRACTUUM.

Jus contrahendi ex duplici fonte oritur, nempe ex natura, et ex lege civili.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE CONTRACTU QUATENUS A JURE NATURALI ORITUR.

Jus contrahendi pertinet absque dubio ad naturam. Nam jus contrahendi non differt a jure dominii, vel ab illo proxime profluit. Alicujus objecti proprietarius illo utitur vel abutitur pro libitu suo, quia illius dominus est : jus igitur suum non excedit si rem suam tradat alteri sive gratuito, sive ut quoddam aliud recipiat. Aliunde non tantum jus habet unusquisque de bonis suis contrahendi, sed necesse est ut contrahat; nemo est enim

qui non indigeat bonis aut factis alienis, v. g., qui frumentum colligit, non semper vinum, et qui vinum non semper frumentum nec greges nutrit, et ideo omnino necessarium est ut fiat inter homines bonorum commutatio. Quod autem sic a natura exigitur, legitimum et natura fundatum negari nequit.

At si natura fundatur mos contrahendi, non ita modus; sed modi ad contrahendum positivi lege humana fuerunt inducti.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE LEGE CIVILI QUATENUS AB EJUS AUCTORITATE PROFLUIT CONTRACTUS.

Præter jus naturale multiplici jure regitur materia contractuum; nempe, primum, jure divino positivo, dum vigeret, v. g., apud Judæos; item jure ecclesiastico, in omnibus quæ ad conventiones de bonis ecclesiasticis pertinent. Sed, cum materia contractuum maxime spectet ad jura et commoda temporalia, specialiter lege civili regitur. Ideo quærendum est 1° quid possit et non possit lex civilis circa contractus; 2° quænam sunt nullitates a lege statutæ; 3° quomodo possint illæ nullitates distingui; 4° quid dicendum de contractibus in fraudem legis initis.

#### § I. — Quid possit et non possit lex civilis circa contractus.

I. QUID POSSIT LEX CIVILIS CIRCA CONTRACTUS. — 1° Apud omnes constat legem civilem posse prohibere quosdam contractus, tanquam bono publico vel juri naturali nocivos, ita ut licite fieri nequeant, licet valide iniantur juxta axioma : *Multa fieri prohibentur, quæ facta tenent.* Item legem posse hujusmodi contractibus contra dispositiones prohibentes vel præscribentes initis, effectus civiles denegare. Similiter posse quosdam contractus irregulariter initos, judicis sententia irritari, id est, irritari *a posteriori* : hæc enim potestas ad bonum societatis videtur necessaria.

2° An autem hæc irritatio valere possit *a priori*, id est, ante omnem sententiam judicis, non ita omnes consentiunt. Cum plerisque affirmandum esse putamus; nam suprema civilis potestas, quando attingit materiam sibi subjectam, alios non agnoscit limites quam justitiæ et æquitatis; potest igitur quidquid ex una parte non est iniquum et ex altera parte ad bonum publicum utile est. Porro materia contractuum generatim supremæ civili potestati subjecta est, siquidem contractus directe respiciunt ad bonum temporale societatis, cujus cura supremæ potestati civili commissa est. Suprema potestas civilis nullam civibus facit injuriam intra certos limites restringendo facultatem contrahendi, quam jure naturali habent: omnes enim apprehendunt hanc supremam potestatem quoddam in actus membrorum societatis habere dominium, vi cujus eos intra certos limites aliquo modo cohibere possit, alioquin careret mediis attingendi finem ad quem procurandum fuit instituta. At quandoque non sufficit ut actus solummodo irritet pro externo, nec etiam pro foro interno tantum post sententiam judicis: si enim actus qui judicantur bono publico nocivi tantum prohibeantur, aut si irritentur solum pro foro externo aut post judicis sententiam, multi subditi ab eis ineundis non sufficienter arcebuntur; sperabunt fore ut irritationem effugiant, sive judicem decipiendo, sive alterum contrahentem per longam litem, per impensarum formidinem fatigando, etc. Ergo suprema auctoritas civilis sufficientes habere potest rationes ut quosdam actus, pro foro interno, ante omnem judicis sententiam, declaret irritos.

II. Quid non possit auctoritas civilis circa contractus. — 1° Auctoritas civilis potest quidem, ut dictum est, aliquando jus naturale limitare; id tamen non potest absque motivo, quod est ordinarie motivum boni publici, cui cedere debet bonum privatum; *a fortiori* non potest jus naturale violare. — 2° Item, nihil valide potest potestas civilis contra jus ecclesiasticum: ea enim quæ universaliter reguntur jure ecclesiastico potestati civili subtrahuntur. — 3° Insuper statuimus, saltem ut

probabilius, et tutum in praxi, legem civilem nihil statuere posse nec velle in his, quæ non ita ad forum externum pertinent, ut possint communiter infractiones impediri. — a) Nam materia, circa quam agit auctoritas civilis, ea est quæ visibilis est et sub sensibus cadit; et ideo non nisi mediante re visibili conscientiam adstringit.—b) Sapienter non ageret, si leges statueret quarum executionem non posset in communiter contingentibus obtinere et urgere, imo potentiæ suæ limites transgrediretur, et ideo inefficaciter et invalide leges ferret. — c) Violaretur æqualitas inter cives, si hujusmodi leges existerent, cum illi soli qui sunt timoratæ conscientiæ eas observarent. — d) Ultima ratio hanc facultatem denegandi potestati civili est, ne, sub pretextu alicujus vectigalis percipiendi, alliciatur ad aliquam ingerentiam in domesticis et familiaribus rebus sibi tyrannice arrogandam.

§ II. — Quænam sunt nullitates a lege statutæ.

Auctoritas civilis, tanquam potestatem habens, varias de facto statuit nullitates quibus contractus plurimi vel irritantur vel possunt irritari. Quadruplicis generis communiter distinguuntur hujusmodi nullitates.

1° Sunt nullitates *pleni juris*. Talis sunt efficacitatis, ut non solum impediant quamcumque fieri conventionem, sed etiam necesse non sit per sententiam judicis hujusmodi nullitates declarari. Apud nos paucissimæ sunt et variæ a variis auctoribus assignantur. In exemplum tamen datur alienatio boni immobilis ab eo facta cujus bona consignata sunt (gallice *saisis*). *Cod. jud. art.* 686, olim 692. Item ubi omnino forma requisita deest.

2° Nullitates *juris*, contractum quidem non reddentes pro foro externo ipso facto nullum, sed efficientes ut, interveniente sententia judicis factum existere declarantis, nullitas eo ipso constet, ita ut judex non faciat, sed tantum declaret jus: sic actus interdicti, eo ipso quod factus est ab interdicto, pronuntiatur nullus, etiamsi factus sit in lucido intervallo. Actus tamen cum tali vitio initus sæpe

vi legis convalescere potest, si nullitas ejus intra tempus determinatum non postuletur.

3° Nullitates *simpliciter dictæ*, quæ locum habent quando lex nullitatem per se et immediate non pronuntiat, et judex non tantum quasi materiale præstat ministerium, declarando factum existere, sed, circumstantiis æstimatis, ipse vi potestatis discretivæ a lege acceptæ nullitatem pronuntiat : sic in art. 503 dicitur actus interdictorum, ante sententiam interdicti initos, annullari posse, si causa interdictionis tunc manifeste exstiterit. Actus hujusmodi in principio validi, nullitatem simpliciter dictam in se includunt.

4° Nullitas quæ dicitur *rescisio* seu *rescindibilitas*. An a nullitate simpliciter dicta differat non satis conveniunt jurisperiti. Communius tamen dicunt contractum esse rescindibilem, quando uni e contrahentibus aliqua per dolum, vim, læsionem, etc., facta est injuria quam damnificator non vult reparare; in aliis vero casibus esse nullum. Quidquid sit de illa distinctione, constat nullitatem simpliciter dictam et rescissionem quoad effectus non discrepare, cum, in utroque casu, contractus reputetur validus usque ad sententiam judicis, et post eam habeatur tanquam ab initio invalidus. Inde sæpius rescissio et nullitas simpliciter dicta promiscue sumuntur. Quando nullitas rescindibilitati opponitur, ordinarie intelligenda est nullitas *juris*.

At notandum est nullitates prædictas, ratione personarum quæ eas invocare possunt esse *absolutas* aut *relativas*. Absolutæ sunt illæ quæ ab omnibus quorum interest invocari possunt; relativæ vero eæ dicuntur quæ opponi nequeunt nisi a personis in lege determinatis. Prioris generis sunt stipulationes ob turpem causam, ob successionem futuram, etc.; posterioris sunt conventiones ab uxoribus, interdictis, prodigis, etc., initæ. Nullitates absolutæ confirmatione aut lapsu temporis communiter tolli nequeunt, quia ordinarie primario motivo ordinis publici nituntur; relativæ vero, cum motivo ordinis privati nitantur, tolli possunt confirmatione illius cui lex

concedit jus petendi irritationem, sive expressa sive tacita, id est, lapsu temporis : ut plurimum decem conceduntur anni, ex art. 1304. Nullitas relativa tollitur etiam voluntaria exsecutione conventionis, sine tertiorum præjudicio. *Art.* 1338.

§ III. — Quomodo nullitates a lege venientes distingui possint.

Cum nullitatum efficacitas a voluntate legislatoris pendeat, præcipue attendendum est ad verba quibus illæ leges exprimuntur.

Jurisperiti affirmant nullitatem proprie dictam induci quando lex dicit actum non esse validum, *art.* 948, 1050, 1325, 1338; vel non dari contractum, *art.* 1587, 1592; vel nullum producere effectum, esse sine effectu, *art.* 1131, 1430, 1974; vel non esse obligatorium, *art.* 1429; vel reputari non adventum (*non avenu*). *Code de procédure*, art. 438.

Attamen hæc verba *sub pœna nullitatis* et alia similia non semper et exclusive ad exprimendam nullitatem adhibentur. Sæpe igitur necesse est ut intentio legislatoris requiratur sive ex sensu obvio verborum, sive ex motivo legis, vel ex discussionibus in conficienda lege habitis, sive ex praxi tribunalium et opinione jurisperitorum, etc.

Ad detegendum genuinum sensum alicujus legis irritantis et efficaciam ipsius dignoscendam, assignantur a D. *Carrière* sequentes regulæ quæ valde utiles nobis videntur.

1° Quando lex contractum irritans est proprietatis determinativa, id est definit cujus sit dominium, vel illud ab uno ad alterum transfert, contractus nullitate affectus, nullus est in conscientia ante sententiam judicis; qui enim hujusmodi legem violat, disponit de re non sua. Ergo. Unde ante sententiam judicis nullæ sunt in conscientia donationes partem reservatam attingentes, conventiones uxoris de bonis mariti, et mariti de bonis uxoris, pactiones circa res extra commercium civile positas, etc.

2° Quando lex contractum irritat ut nocivum ordini publico, ut bonis moribus contrarium, contractus est nullus in conscientia ante sententiam judicis; quia legislator illum sic irritare potest ex dictis, et sic irritare velle debet, alioquin imperfecte ad finem a se intentum tenderet. Hinc nullæ sunt in conscientia, ante sententiam judicis, conventiones ob causam ex utraque parte turpem initæ, substitutiones prohibitæ, si tamen istæ sufficienti motivo prohibeantur, quod multi negant. *Carrière*, n. 33.

3° Quando lex, contractum simpliciter irritans, immediate fundatur motivo boni publici, contractus est nullus in conscientia, ante sententiam judicis; nam legislator, in eo casu, censetur agere secundum totam potentiam suam, ut bonum sibi propositum obtineat; irritationem autem pro foro interno pronuntiare potest; ergo reputandus est voluisse. Unde nullæ sunt pro foro conscientiæ alienationes bonorum dotalium, *art.* 1554; dispositiones minorum in gratiam tutorum, ægrotorum in favorem medicorum, confessariorum, etc.; donationes factæ spuriis, adulterinis, incestuosis, et partem lege determinatam excedentes.

4° Quando lex contractum irritans fundatur tantum motivo boni privati, contractus non est absolute nullus, sed rescindibilis in foro conscientiæ, etiam ante sententiam judicis, ad nutum illius in cujus utilitatem rescindibilitas fuit instituta, modo rescissionem intra tempus lege præscriptum exposcat. Ex articulo enim 1125 nullitas in his casibus inducta est duntaxat relativa et conditionata : si ergo non postuletur ab his qui jus habent, valet contractus. Sed nullitate invocata, contractus haberi debet ut in conscientia rescissus, alioquin lex finem suum imperfecte obtineret. Hinc non invalidi, sed rescindibiles sunt contractus a minoribus, interdictis, etc., initi. Statim atque rescissio petitur, concedenda est, si causa sit clara et aperta; alioquin petens exponeretur periculo injusta patiendi damna, incommoda, etc.

5° Si lex sibi proponat tantum attingere instrumentum, non vero ipsam conventionem, validus est contractus pro

foro conscientiæ : nam irritationes, utpote odiosæ, non extendendæ sunt ultra legislatoris intentionem. Hinc generatim loquendo, valent in conscientia contractus formalitatibus destituti, quia lex hodierna eas exigit tantum pro validitate actus seu instrumenti. Specialius dicemus infra de donationibus et testamentis.

6° Quando lex contractum irritans fundatur præsumptione facti, facto deficiente, contractus est validus : secus, si fundaretur præsumptione periculi. In priori enim casu, facto deficiente, lex nullum habet fundamentum : in posteriori vero, etsi malum quod timebatur non existat, semper existere potest, et ideo motivum legis subsistit.

Unde actus a demente in intervallo lucido initus in conscientia valeret, non vero matrimonium clandestinum.

7° Si lex contractum irritans in pœnam delicti feratur, ordinarie contractus non est invalidus ante sententiam judicis, quia, ut diximus in Tractatu *de Legibus*, nemo tenetur pœnam gravem afflictivam ultro subire.

Istis addi potest hæc regula generalis : nempe legem esse *a priori* irritantem, quoties contractus irritatur propter defectum materiæ, consensus vel cujuscumque partis essentialis in omni contractu.

### § IV. — De contractibus in fraudem legis initis.

Contractus aliquis dicitur initus in fraudem legis, quando observatur lex aliquo modo quoad verba, sed violatur quoad substantiam.

Communiter admittitur actum initum in fraudem legis irritantis esse irritum in conscientia, etiam ante sententiam judicis, non secus ac si aperte lex violaretur et quoad litteram. Nam nemini fraus sua patrocinari debet. Insuper, si legem sic circumvenire et violare liceret, legislator scopum suum obtinere non posset. Expresse a lege positiva hujusmodi actus prohibentur et irritantur. *Cod. civ. art.* 911, 1099. Unde *ab antiquo* acceptum est

in jure sequens axioma : *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.*

Quatuor a canonistis distinguuntur modi legem circumveniendi, qui dicuntur primus *de re ad rem*; secundus *de persona ad personam;* tertius *de contractu ad contractum;* quartus de *loco ad locum.*

Ad primum refertur sequens exemplum, v. g., si debitor ad eludendum articulum Cod. commercii, quo irrita declaratur solutio summarum facta intra decem dies qui præcedunt cessionem bonorum pro debitis commercialibus nondum exigibilibus, creditori tradidisset merces aut alia hujusmodi.

Ad secundum, si quis dare intendens personæ prohibitæ, daret personæ interpositæ sub conditione.

Ad tertium, si quis venderet simulate, cum prohibetur dare.

Ad quartum, si quis ad se subtrahendum legis imperio, transiret in alium locum in quo lex ista non viget. In hoc ultimo casu videndum est an aliquis domicilium mutando, reipsa legi subjectus esse cessaverit; tunc qualemcumque habuerit intentionem contractus est validus. Juxta *art.* 3 *Cod. civ.*, leges quibus status et capacitas personarum determinantur, cives Galliæ regunt, ubicumque sint. *Carrière,* n. 39 et seq.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### DE REQUISITIS AD VALIDE CONTRAHENDUM.

Quatuor requiruntur ad valide contrahendum : 1° persona habilis ad contrahendum; 2° materia circa quam iniatur contractus; 3° motivum propter quod contrahatur; 4° causa efficiens contractus, nempe consensus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE PERSONIS QUÆ CONTRAHERE POSSUNT.

I. QUINAM EX JURE NATURALI AD CONTRAHENDUM SINT HABILES. — Omnes et soli qui usum rationis habent, jure naturali valide contrahere possunt. 1° *Omnes :* nam hi omnes valide contrahere possunt, qui bonorum suorum dominium transferre aliasque obligationes sibi imponere possunt : atqui omnes qui usum rationis habent, jure naturali valide possunt bonorum suorum dominium transferre, et alias obligationes sibi imponere, ut aperte videtur. 2° *Soli* qui usum rationis habent valide contrahere possunt, siquidem illi soli actionis humanæ sunt capaces.

Hinc infantes usum rationis nondum adepti, jure naturali contrahere non possunt, nec perpetuo amentes, nec etiam lunatici tempore dementiæ, nec furiosi, nec ebrii, dum furiosi et ebrii sunt.

Hæc incapacitas est absoluta et radicalis, adeo ut in quovis casu contractum efficiat ab initio nullum, saltem pro conscientia, independenter a quavis judicum sententia.

II. QUINAM EX JURE CIVILI AD CONTRAHENDUM SINT HABILES. — Ex jure civili omnes usum rationis habentes valide contrahere possunt, dummodo lege positiva non reddantur inhabiles. *Cod. civ., art.* 1120. Si lex positiva eos ad contrahendum inhabiles reddat, tunc valide contrahere nequeunt, quia lex positiva, nisi sit evidenter injusta, pro conscientia obligat. Non tamen inde sequitur quod lex positiva legem naturalem destruat; nam ipsa lex naturalis dictat principes habere potestatem tales condendi leges, easque sic obligare.

Hæc incapacitas, ex jure civili oriens, sæpe non reddit contractum nullum, sed tantum rescindibilem, modo ante, modo per sententiam judicis, ut constat ex dictis in cap. præcedenti.

Principia huc usque exposita applicantur contractibus tacitis, quos theologi vocant quasi-contractus; non vero iis obligationibus quæ, ad sensum jurisperitorum, consensum non supponunt, ut dictum est.

Inhabiles autem ad contrahendum lege positiva declarantur 1° minores, 2° interdicti, 3° uxores in certis casibus lege expressis, et nonnullæ aliæ personæ in specialibus quibusdam contractibus, ut in decursu hujus Tractatus videbimus. *Cod. civ., art.* 1124. Vide art. 1449, 1595 et seq.

### § I. — De minoribus.

Distinguebantur olim infantes, pueri seu impuberes, et puberes seu minores : nunc hi sub generali denominatione minores vocantur. Minores autem intelliguntur qui viginti et unum annos completos nondum attigerunt. *Cod. civ., art.* 388.

Considerari possunt vel sub potestate paterna, vel sub tutela constituti, vel a tutela emancipati. Hinc, tres sectiones quibus quartam addemus de vi et rescindibilitate actuum qui a minoribus efficiuntur.

#### Sectio prima. — *De minoribus sub auctoritate paterna constituti.*

Minores sunt sub potestate paterna constituti, quamdiu parentibus suis, id est patre aut matre, non sunt orbati. Potestas autem paterna non est proprie tutela. Cum autem non sint hæredes, tunc minores ordinarie nihil possident. Possunt tamen acquirere industria propria et privata, vel donatione accipere. In priori casu habent proprietatem et commoda, sed non administrationem : in secundo casu, non habent commoda, nisi ipsis detur sub hac expressa conditione. Adepta autem majoritate, si ipsis aliquando reddenda sit ratio a patre, designatur *ad hoc* si opus sit, subrogatus tutor, ut concluditur *ex art.* 389. Vide *Rogron* in eumdem articulum.

SECTIO SECUNDA. — *De minoribus sub tutela constitutis.*

Duplex est tutela in genere, nempe officiosa et ordinaria.

I. DE TUTELA OFFICIOSA. — Tutela officiosa est obligatio quam aliquis voluntarie sibi imponit minorem educandi, personam et bona ejus administrandi. Quicumque hanc tutelam suscipit, propriis expensis tenetur pupillum alere, vestire, convenienti educatione informare, ac in eo statu constituere ut sibi deinceps providere valeat, adeo ut, si bona quædam habeat, integra illa conservare debeat, *Cod. civ. art.* 361 *et seq.*

Nonnullæ requiruntur conditiones ut illa tutela institui queat. Ex parte tutoris requiritur quod plus quam quinquaginta annos habeat; — quod nec liberos, nec alios descendentes legitimos habeat; — quod sui conjugis obtineat consensum. Ex parte pupilli vero requiritur; ut quindecim annos nondum obtinuerit; — ut consensum habeat patris et matris, aut superviventis, vel, eorum defectu, concilii familiæ, vel denique administratorum xenodochii in quo fuit receptus. *Cod. civ. art.* 361 *et seq.*

II. DE TUTELA ORDINARIA. — Tutela ordinaria est munus personam et bona minoris gratuito administrandi, alicui lege vel hominis voluntate impositum. Dividitur in legitimam, testamentariam et dativam.

1° Legitima ea est quæ directe, ipsa lege et pleno jure, alicui, absque ulla formalitate, defertur; ita ut existere incipiat statim atque persona cui defertur notum habuit eventum ex quo sequitur. Triplicis generis distinguitur, scilicet, alia patris et matris, alia ascendentium, et alia hospitiorum.

Tutela patris et matris illa est quæ, mortuo uno conjuge, statim et ipso jure alteri defertur. Plurima tamen dantur discrimina inter patrem et matrem. — a) Pater tutelam recusare non potest, nisi legitimam habeat causam; mater, e contra, nunquam tenetur illam accep-

tare, tenetur duntaxat eam gerere donec, ipsa curante, alius tutor nominatus fuerit. *Cod. civ. art.* 894. — b) Si pater supervixerit, tutela ipsi delata nullo modo per matrem limitari potuit; dum ipse per testamentum, vel per actum coram notario, aut coram magistratu dicto *juge de paix*, speciale designare potest concilium sine quo mater nullos aut non nisi certos quos indicaverit actus perficere poterit. *Art.* 391 et 392. — c) Secundæ nuptiæ patris nullam mutationem in ipsius tutela pariunt; mater vero in simili casu tutelam ipso facto amittit, nisi statim convocare studeat familiæ concilium; si concilium familiæ tutelam illi relinquere statuat, secundus maritus fit cum ea tutor ac in solidum astringitur pro omnibus actibus matrimonium sequentibus. *Cod. art.* 395. — d) Denique si mulier tempore mortis viri sit prægnans, tutela usque ad partum suspenditur, et interea concilium familiæ designat curatorem qui vocatur *curateur au ventre;* non dicitur tutor, quia non constituitur pro persona quæ nondum nata est, sed pro bonis quæ curare debet. Mulier per partum fit prolis suæ tutrix, et curator fit subrogatus tutor. *Cod. civ. art.* 393.

Tutela ascendentium illa est quæ, defectu patris et matris ac tutoris per testamentum a patre aut matre designati, defertur uni e pupilli ascendentibus, masculini sexus, in gradu propinquiori, ita ut tamen linea paterna masculina in æquali gradu præferatur. *Cod. civ. art.* 402.

Infantes in hospitiis recepti, sunt sub speciali administratorum tutela. Plures regulæ circa hanc tutelam statutæ reperiuntur in lege data die 15 *pluviôse an* XIII, *Bulletin*, n. 526.

2° Tutela testamentaria ea est quam pater aut mater ultimo moriens per testamentum, vel per actum ante notarium aut coram judice pacis, alicui defert: persona sic nominata acceptare non tenetur, nisi in iis constituatur casibus in quibus tutelam recusare non licet. *Cod. civ. art.* 401.

3° Tutela dativa est illa quæ, ex hypothesi quod legi-

tima et testamentaria non existant, alicui per concilium familiæ defertur.

III. De nominatione tutoris per concilium familiæ. — Concilium familiæ ordinarie componitur, præter judicem pacis, qui est præses, ex sex propinquioribus pupilli cognatis vel affinibus, tum paternis, tum maternis, in æquali numero. *Art.* 407.

Diximus *ordinarie*; nam ascendentes masculi, mulieres ascendentes viduæ (*Delvincourt*, t. I, p. 468, n. 5), fratres germani pupilli et sororum ejus germanarum mariti sunt omnes concilii familiæ membra in quocumque sint numero.

Concilium familiæ apud judicem pacis vel in locum ab eo statutum coadunatur: tutor post deliberationem majori suffragiorum numero designatus, tutelam acceptare tenetur, nisi unam saltem causam legitime excusantem allegare possit. Causæ illæ excusantes exprimuntur in Codice civili, art. 427 et sequent. Præcipuæ sunt: 1° si cognatus non sit pupilli nec affinis, et cognati vel affines gerendæ tutelæ capaces existant in distantia quatuor myriametrorum, seu octo circiter leucarum, *art.* 432; 2° si sexaginta quinque habeat annos, *art.* 433; non potest tamen relinquere tutelam ante hanc ætatem sibi delatam, nisi septuaginta annos obtinuerit; 3° si quinque hoc tempore habeat liberos legitimos, *art.* 436; 4° si publicas exerceat functiones extra præfecturam in qua gerenda instituitur tutela, *art.* 437. Sub hac exceptione ministri divini cultus comprehenduntur. *Avis du conseil d'Etat approuvé le* 20 *novembre* 1806. Ideo quamvis sacri canones prohibeant ne clerici tutelam suscipiant, nullum tamen nunc privilegium habent, Ecclesia has legum dispositiones de facto acceptante; eodem modo ac laici, et non aliter, excusantur: unde si, post acceptam tutelam, in aliam præfecturam ab episcopo mittantur, ab illa exonerari possunt. *Art.* 431.

Qui putat legitimam se habere causam tutelam sibi delatam non acceptandi, eamque declinare intendit, debet statim, si deliberationi sit præsens, excusationem exhi-

bere, alioquin ab illa penitus excidit. Si deliberationi non fuerit præsens, tres illi tantum conceduntur dies a notificatione sibi facta, ut concilium familiæ convocare et rationes suas illi proponere valeat. *Cod. civ. art.* 438 *et seq.*

Ubi lex tutelam imponit, non licet eam declinare, nisi sufficiens adsit ratio ab acceptatione excusans: ubi vero lex non præcipit, sed tantum permittit tutelam deferri, non est obligatio in conscientia eam acceptandi, nisi ex charitate, quando prævidetur ex denegatione grave obventurum esse præjudicium pupillo.

In omni tutela necesse est ut existat subrogatus tutor per concilium familiæ designatus, qui ex officio contra tutorem partes minoris defendat; ideo ejusdem esse non debet lineæ cognationis aut affinitatis ac tutor. *Cod. civ. art.* 420 *et seq.*

IV. Tutoris obligationes. — Multæ et variæ sunt tutoris obligationes quas in Codice legere oportet, ab art. 450. Tutor legitime institutus personam et bona minoris gratuito, non tamen propriis expensis, tanquam bonus pater administrare tenetur; unde curare debet ut educationem conditioni et facultatibus suis physice et moraliter proportionatam habeat; in cunctis actibus civilibus, excepto matrimonio, eum repræsentare tenetur. *Cod. civ. art.* 450.

Non poterit pro illo mutuum accipere, nec bona ejus immobilia alienare, nec in hypothecam dare, nisi de expresso concilii familiæ consensu. *Art.* 457.

Universa minoris bona tanquam bonus paterfamilias administrare debet: unde si mala sua agendi ratione congruens lucrum non faciat, vel damnum aliquod inferat, utrumque ex justitia restituere tenetur. *Ita theologi etiam molliores.* In foro externo supponitur quod pecunias fructuose semper collocare possit, et, post sex menses ab initio tutelæ, quinque pro centum solvere cogitur. *Art.* 455.

Tutor generatim tenet locum parentum, non tantum quoad temporalia, de quibus loquitur lex civilis, sed et

quoad spiritualia. Unde pleræque obligationes parentum erga filios in Decalogo traditæ, tutori incumbunt, et quandoque curatori, proportione servata.

### Sectio tertia. — *De minoribus emancipatis.*

I. Quid sit emancipatio. — Emancipatio est actus quo minor jus acquirit seipsum gubernandi et bona sua administrandi. Duplex distinguitur, legalis scilicet et expressa.

Legalis est ea quæ ipso jure fit per matrimonium, et nullam exigit formam.

Expressa est illa quæ fit a patre, vel defectu patris, a matre per simplicem coram judice pacis declarationem; requiritur ut minor quindecim annos compleverit. *Art.* 477.

Defectu patris et matris, emancipatio fieri non potest nisi per declarationem concilii familiæ ad hoc specialiter per tutorem convocati, et tunc necesse est ut minor decem et octo annos completos habeat. *Art.* 478. Si tutor emancipationem postulare negligat, omnes cognati et affines in primo et in secundo gradu eam petere et obtinere possunt. *Art.* 479.

Emancipatus omnino indiget curatore, sicut minor tutore; differt autem curator a tutore, in eo quod personam emancipatam non regat nec repræsentet, sed tantum in quibusdam actibus determinatis ei assistat: emancipatus enim semper proprio nomine agit. Vi legis maritus fit curator uxoris suæ quæ per matrimonium emancipatur; pater, liberorum suorum tutor, fit eorum curator, si emancipentur. Attamen, ut tutelæ legaliter rationem reddat, curator *ad hoc* designatur. Quando iste curator vi legis non determinatur, ad concilium familiæ pertinet illum designare.

II. De effectibus emancipationis. — Minor emancipatus potest statim rationes tutelæ exigere, redditus bonorum suorum percipere, omnes locationes per seipsum inire, modo novem annos non excedant, de bonis pure

mobilibus disponere, cunctos denique actus administrationis peragere, absque beneficio rescissionis, nisi in iisdem casibus in quibus major tali gauderet privilegio. *Cod. civ. art.* 480 *et* 481.

Non potest autem sine curatoris assistentia pro bonis immobilibus litigare, capitalia pecuniæ sibi debita recipere, nec pro eorum solutione cautionem (*quittance*) dare. *Art.* 482. Non potest pariter sub illo respectu mutuum accipere absque concilii familiæ deliberatione, per tribunal prioris instantiæ confirmata (*homologuée*). *Art.* 483. Eædem requiruntur formalitates, ut bona immobilia alienare valeat, ac si non esset emancipatus.

Si autem commercium vel negotium aliquod exerceat, in omnibus actibus ad commercium istud spectantibus major reputatur. *Cod. civ. art.* 487.

### Sectio quarta. — *De vi et rescindibilitate actuum qui a minoribus fiunt.*

Positis quæ in sectionibus superioribus diximus, plura notanda vel discutienda supersunt, præsertim pro foro conscientiæ.

I. Principium generale statuitur. — Actus pro quibus minores declarantur inhabiles, non sunt ipso facto nulli, sed tantum rescindibiles, etiam pro foro interno, ad nutum minoris. Explicatur per partes.

1° Non sunt ipso facto nulli, neque jure naturali, cum supponatur minorem rationis usu pollere; neque jure positivo, siquidem lex varias instituit regulas sine quibus rescissio obtineri non potest, et de absoluta nullitate nunquam loquitur.

2° Sunt igitur tantum rescindibiles, tum in foro externo, tum in foro conscientiæ, id est, minores ad beneficium legis confugere valent tuta conscientia, ut dissolutionem contractuum sibi damnificativorum obtineant; nam æquitas naturalis prohibet ne ex eorum inexperientia lucrum percipiatur, et præterea finis legis sapien-

tissimæ apud omnes gentes existentis jam obtineri non posset, si, tuta conscientia, beneficio rescissionis uti non liceret. Ergo. Ita expresse *Pothier*, *Traité des oblig.*, *part.* 1, c. 1, n. 52, et communiter theologi.

Illudque verum est etiamsi minor scienter et cum plena cognitione contraxerit, quia lex in generali præsumptione periculi fundatur; nec aliter lex securitati ejus sufficienter providisset.

3° Ad nutum minoris : inhabilitas enim minorum in eorumdem gratiam instituta est; ipsi igitur soli pro libitu suo contractu uti possunt, vel illius rescissionem petere. Qui vero servata naturali æquitate, cum minore contraxit, tuta conscientia contractu illo uti potest, donec fiat reclamatio. Sed non potest ipse incapacitatem minoris invocare ad impugnandum contractum. *Cod. civ. art.* 1125. Imo, nec sumptus quos vi hujusmodi contractuum tempore minoritatis solverunt, exigere possunt, nisi probando minores inde ditiores factos fuisse. *Art.* 1312.

Manifestum est autem quod minor ultra legis concessionem progredi non possit : imo quod bonæ fidei et naturalis æquitatis rationem habere debeat.

II. Exceptiones indicantur. — Præter principium generale plurimi excipiuntur casus, in quibus sive ex lege civili, sive ex æquitate naturali, sive ex consuetudine, jus rescissionem petendi in gratiam minorum admitti non potest.

1° Sic minor rescissionem obtinere non potest, saltem non aliter quam major, si læsus fuerit tantum casu fortuito et improviso, vel solum in actibus suæ professionis, vel sui commercii; si post majoritatem ratum habuerit contractum in minoritate initum; si tempus præfixum, quod est communiter decem annorum, elabi permiserit; denique si ditior factus sit, v. g., partem pretii percipiendo, etc., certo rem acceptam restituere debet. *Cod. civ. art.* 1306, 1308, 1311, 1312 *et* 484.

2° Sic si minor aliquem decepisset, et dolo vel fraude ad contrahendum adduxisset, non solum privilegio rescissionis excidisset, sed quodcumque damnum inde secu-

tum reparare teneretur jure naturali, cui lex civilis non intendit derogare; declarat, e contra, art. 1310, nullam ipsi faciendam esse restitutionem propter obligationes ex delicto vel quasi-delicto provenientes.

Delictum autem et quasi-delictum, in stylo juris, sunt actiones illicitæ et alteri nocivæ. Verum hoc inter utrumque datur discrimen, quod delictum sit actio quæ ea præcise fit intentione ut alteri noceat, dum quasi-delictum est actio inexcusabilis quidem, sed quæ magis ex imprudentia procedit quam ex intentione nocendi. Simplex declaratio majoritatis non reputatur delictum neque quasi-delictum, nisi minor adhibuerit fraudem; ideo jus ad rescissionem non impedit. Art. 1307.

3° Denique ex usu vel ex jure naturali non censentur rescindibiles, præsertim in conscientia, plures minorum conventiones minimi momenti, ut sunt modicæ donationes, parvæ emptiones ex iis quæ liberæ voluntati eorum relinquuntur : item contractus urgente necessitate initi, v. g., mutuum in extranea regione acceptum ad fugiendum grave periculum. Si enim in his casibus minores valide contrahere non possent, lex in eorum gratiam lata ipsis de facto noceret. Hæc sunt quæ vel statuta sunt a lege vel ab omnibus admittuntur; at præterea plura alia sunt quæ solutione indigent.

III. Quæstiones solvendæ proponuntur. — *Quæritur* 1° utrum minores rescindibilitatem contractus petere possint quando ex eo læsionem non patiuntur.

*R.* Theologi generaliter docebant actus minorum rescindibiles non esse nisi in quantum læsionem inducebant. At sub jure nostro communiter volunt jurisperiti minorum incapacitatem ex natura sua, independenter a læsione, nullitatem in variis casibus inducere. Si talis fuerit mens legislatoris, dici non potest hanc dispositionem esse injustam : si non sit injusta, vim habere debet etiam pro foro interno.

At non omnino constat hanc esse mentem legis; etenim *Cod. civ. art.* 1305, statuit minorem reclamare posse contra quamcumque conventionem, si simpliciter fuerit

læsus; porro ex *art.* 1314, simplex læsio de qua hic agitur non admittitur contra conventiones regulariter initas; ergo contra eas in quibus formæ speciales non fuerunt observatæ, sed tantum communes, quæ ideo valerent nisi invocari posset læsio.

Quidquid sit difficile percipitur cur minor non læsus sufficientem haberet rationem petendi rescissionem, præsertim si alter contrahens aliquid detrimenti inde passurus esset.

*Quæritur* 2° an minor qui propria culpa contractum in suum detrimentum converterit, v. g., pecuniam in vanos usus impendendo, possit, tuta conscientia, ad beneficium rescissionis recurrere.

*R.* 1° Potest, juxta omnes, si cum ipso contrahentes malam ejus agendi rationem prævideriut aut prævidere potuerint et debuerint : ideo enim beneficium rescissionis minori concessum est, ne ex imprudentia et inexperientia bona sua male impendat ac dissipet. Beneficium autem istud illusorium evaderet, si ad illud, in præsenti casu, tuta conscientia recurrere non liceret. Rarissime enim minor illud invocare posset, sicque, non obstante lege, bonis suis spoliaretur. Qui damnum ex rescissione patiuntur, hoc sibi imputare debent. Ergo. Ita *Pothier*, n. 52, *et valde communiter theologi*.

*R.* 2° Non posset e contra, juxta multos, uti beneficio legis, si cum ipso contrahentes fuerint bonæ fidei, v. g., si legem irritantem penitus ignoraverint, si minorem ut talem non cognoverint; vel etiam si persuasum habuerint minorem contractu in sui perniciem non esse abusurum; in his enim casibus ad rescissionem recurrere non potest, quin ii qui cum ipso contraxerunt damnum propter suam bonam fidem patiantur : at naturalis æquitas hoc vetat. Ergo. Ita *Pothier*, loco citato, et card. *Gousset*, in art. 1315. Alii tamen ut D. *Carrière*, dicunt has exceptiones in novo jure non admitti, ac consequenter minorem posse, non obstante bona fide secum contrahentium, tuta conscientia rescissionem in his casibus, sicut in cæteris invocare.

*Quæritur* 3° an minor læsus ad rescissionem recurrere possit, quando formalitates a lege pro actibus minorum præscriptæ servatæ fuerunt.

*R.* 1° Non potest recurrere ad rescissionem contra alterum contrahentem, ut patet ex *art.* 1314, in quo statuitur expresse quod minores omnimodo assimilari debent majoribus, quoties præscriptæ formalitates fuerunt observatæ. Non possent igitur in illo casu restitui, nisi ob læsionem enormem, quæ etiam pro majoribus causa rescissionis vel restitutionis esset. Ratio est quia si simplex læsio posset invocari quando contractus rite fuit initus, nulla esset securitas in contractibus cum minoribus; et ideo lex ipsis noceret, quia nemo cum eis contrahere vellet.

*R.* 2° An autem recursum habeat contra tutorem ad obtinendam læsionis reparationem, non constat. De hujusmodi suppositione lex silet. Regulariter enim supponi non potest contractum aliquem damnosum fuisse minori, quoties secundum præscriptiones legis fuit initus. Si tamen constaret læsionem notabilem adfuisse, et ipsam tutori esse imputabilem, probabilius videtur minorem posse reparationem postulare. Quidquid sit, si ipse major factus, sententiam judicis expetierit et absque fraude obtinuerit, eidem sententiæ tuta conscientia poterit stare.

### § II. — De interdictis et prodigis.

Interdictio est duplex, una legalis et altera judicialis.

I. De interdictione legali et ejus effectibus. — Interdictio legalis incurritur ab eo qui ad certas damnatur pœnas : non tam igitur pœna est quam status quidam incapacitatis pœnam subsequens.

In genere proportionatur pœnæ cujus est effectus. Qui damnatus est ad triremes aut ad carcerem ad tempus, constituitur, durante pœna, in statu interdictionis legalis; ipsi datur curator, juxta formas pro interdictione judiciali præscriptas, ut infra, qui bona sua administret, post solutam pœnam rationem gestionem redditurus. At, tota pœnæ duratione, nihil vel pecuniæ vel cibariæ rei damnato ex redditibus dari potest. *Code pénal, art.* 29, 30, 31.

Qui damnatur ad mortem, ad triremes perpetuas, ad deportationem, perpetuam quoque incurrit interdictionem. Sic statutum est lege 31 maii 1854, quæ mortem civilem et ipsius effectus abrogavit.

Statuitur insuper eum qui hujusmodi pœna perpetua afflictus est, nihil de toto aut parte bonorum suorum, sive per donationem inter vivos, sive per testamentum statuere posse; nec iisdem titulis accipere, præter alimenta. Imo testamentum ante damnationem confectum, fit irritum.

Interdictio tamen non incurritur sola condemnatione, sed exsecutione pœnæ; at si damnatus sit contumax, incipit interdictio quinque annis tantum post exsecutionem in effigie.

Ante abrogationem mortis civilis, bona damnati ad prædictas pœnas statim inter hæredes *ab intestato* dividebantur; nunc vero ad interdictum pertinere non cessant, sed sub tutela geruntur, et gestionis ratio damnato redditur, si quandoque cessent ipsius pœna et incapacitas. Supponit enim lex non tantum pœnam gratia principis posse remitti, sed etiam, remanente pœna, incapacitates tolli, vel omnes vel quasdam; et jura damnato restituta ab illo posse exerceri in loco exsecutionis. *Art.* 4.

II. De interdictione judiciali et ejus effectibus. — Interdictio judicialis est judicis sententia qua statuitur aliquem actus civiles per seipsum exercendi incapacem esse : igitur supponit statum habitualem imbecillitatis, dementiæ vel furoris. *Cod. civ. art.* 489.

Qui alterius est conjux aut propinquus, interdictionem ejus provocare potest; procurator imperialis potest etiam postulare interdictionem ejus qui nec conjugem nec propinquos habet. Propter furorem eam provocare tenetur, etsi sint conjux et propinqui, si taceant. *Art.* 490 *et* 491.

Maritus necessario tutor est uxoris interdictæ; sed uxor non est tutrix mariti interdicti, nisi concilium familiæ eam designaverit : quo in casu, nonnullas illi constituere potest regulas quas in tutela administranda sequi debeat. *Cod. civ. art* 506 *et* 507.

Pro cunctis aliis interdictis, tutor per concilium familiæ designatur, sicut et subrogatus tutor, eodem modo ac ubi de minoribus agitur. Eædem in gerenda præsenti tutela sequendæ sunt regulæ quæ pro tutela minorum statuuntur. *Art.* 505.

Etiamsi interdictus usum rationis quandoque perfecte haberet, omnes ipsius actus declarantur ipso jure nulli. *Art.* 502. Non tamen æstimandi sunt *pleno jure* nulli, siquidem art. 1304 decem concedit annos a cessatione interdicti numerandos ad postulandam actuum nullitatem. Actus illi sunt ergo nulli nullitate juris relativa, id est, eos quibuscum fuerunt initi obligant, sicut actus minorum, quamdiu non intervenit sententia judicialis eos rescindens.

Inter eos hoc datur discrimen, quod actus interdictorum absque ulla discussione circumstantiarum et mentione læsionis declarentur nulli, dum actus minorum non rescindantur, nisi probetur exstitisse læsionem, aut aliquam defuisse formalitatem pro his actibus a lege præscriptam.

Actus interdictorum ante interdictionem initi, sunt validi, sed rescindibiles per judicis sententiam, nempe si causa interdicti tunc manifeste exstiterit, *Cod, civ. art.* 503 : porro contractus illi vel fuerunt onerosi vel gratuiti. In priori casu, rescindi non possunt, nisi dementia ex ipsomet contractu pateat, aut jam ante ipsius mortem interdictio postulata fuerit, *art.* 501; in posteriori vero casu, declararentur nulli. *Art.* 901.

Cum variæ dispositiones hic expositæ in gratiam interdictorum latæ fuerint, ipsi vel eorum causam habentes iis, tuta conscientia, uti possunt, ferme sicut diximus de minoribus.

Si talis fuerit mentis imbecillitas vel dementia, ut defuerit consensus jure naturali requisitus, patet contractum ab initio fuisse in utroque foro nullum respectu utriusque contrahentis.

III. De prodigis. — Præter interdictionem omnes actus interdicti afficientem, datur quandoque concilium judiciarium, scilicet causa imbecillitatis vel dementiæ ad in-

terdictionem non sufficientis, et præsertim causa prodigalitatis. *Art.* 499 *et* 513. Hujusmodi concilio subjecti, ad quosdam tantum actus lege determinatos sunt inhabiles; scilicet, ad litigandum, ad transigendum, ad mutuum accipiendum, ad credita percipienda, ad bona alienanda vel in hypothecam aut pignus tradenda. *Art.* 499.

Hi autem actus sine assistentia concilii initi, et non alii, eodem modo ac actus interdictorum irritari possunt. Qui vero initi fuerint ante concilii judiciarii existentiam, rescindi non possunt, neque in casu imbecillitatis, ut probabilius docent jurisperiti ad art. 503; neque in casu prodigalitatis.

Juxta plures, qui scienter cum prodigo, ut tali cognito, prædictos iniit contractus, eorum exsecutionem in foro conscientiæ premere non potest, imo tenetur eos infirmare; damno enim quod prodigus patitur vere cooperatus est : ergo illud reparare debet. Ita *Pothier*, n. 51. At decisio hæc falsa esse nobis videtur; namque, ex dictis, contractus illi sunt validi, et damnum ex ipsis contractibus non provenit, sed ex mala agendi ratione subsequente : insuper prodigus valide, licet illicite, bona sua dissipare potest : igitur qui cum illo contraxerunt, contra charitatem forte peccaverunt, sed non contra justitiam commutativam, ac proinde ad nihil ex justitia tenentur.

### § III. — De uxuribus.

Plura de uxoribus in Tractatu de *Restitutione* jam diximus : illic requirenda sunt, ne eadem repetere cogamur; nihil fere hic dicendum nobis remanet.

Mulier conjugata sub regimine communitatis exclusivo, potest bona sua immobilia administrare, et mobilia alienare. *Art.* 1449 *et* 1536. Idem potest, cum eadem distinctione, sub regimine dotali, quoad bona paraphernalia. *Art.* 1449, 1538 *et* 1576.

Insuper, sub quovis regimine mulier negotiationi omnino separatæ et publicæ vacans, valide se obligare po-

test, sine speciali consensu mariti, in iis quæ ad commercium suum spectant: imo si adsit communitas, ipsum obligare potest maritum. *Cod. civ. art.* 220, *et Cod. comm. art.* 4 *et* 5; item ex delicto et quasi-delicto, *Cod. civ. art.* 216 *et* 1424; item necessaria et communia ad sustentationem familiæ emendo, secundum jurisperitos et usum receptum; item denique per testamentum. *Art.* 226. Extra hos casus mulier conjugata inhabilis est ad contrahendum sine speciali consensu mariti vel auctoritate judicis.

Ipsius tamen conventiones non sunt nullæ pleno jure, nec etiam nullitate absoluta, sed tantum relativa, quæ scilicet a marito, ab uxore et ab utriusque hæredibus invocari potest, et per sententiam judicis pronuntianda est. *Art.* 225. Nullam læsionem talis nullitas exigit.

Quod ad forum conscientiæ spectat, maritus beneficio legis uti potest, etsi nullam expertus fuerit læsionem proprie dictam. An idem possit uxor, non ita clarum est, cum ipsa culpam admiserit. Attamen, cum lex, in favorem mariti præsertim lata, sit etiam in privatam uxoris utilitatem, non videtur quare ab eodem beneficio excluderetur uxor, modo non adhibuerit dolum, sicut de minore diximus.

Mariti et uxoris hæredes, quatenus eos repræsentant, ad irritationem pariter recurrere possunt; sed omnes, in quovis casu, id omne restituere debent, post irritationem, ex quo facti sunt ditiores. *Art.* 1312.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE MATERIA VEL OBJECTO CONTRACTUS.

Materia aut objectum contractus est id de quo conveniunt contrahentes, nempe res tradenda vel quid faciendum aut non faciendum, *art.* 1126. Nomine rei non intelligitur tantum substantia aliqua, v. g., fundus terræ, domus, bos, equus, etc., sed etiam usus, commodum

et simplex possesssio sine proprietate et usu, ut in pignore.

Variæ requiruntur conditiones sive jure naturali, sive jure positivo, ut res aliqua objectum contractus esse possit, videlicet :

1° Ut res sit possibilis in se et relative ad contrahentem : nemo enim obligari potest ad impossibile. Qui tamen de re quam novit impossibilem cum altero ignorante contraheret, ad damnum resarciendum teneretur, non vi contractus, sed propter injuriam ipsi illatam. Si res ex parte tantum sit possibilis, valet contractus pro hac parte, quia utile non debet per inutile vitiari, nisi ex natura rei vel ex mente contrahentis materia dividi nequeat.

2° Ut existat vel saltem probabiliter exstitura speretur; alioquin non esset pretio æstimabilis. Hinc domus incendio consumpta non potest esse objectum venditionis nec alterius contractus : si pars ejus supersit, emptor habet facultatem aut contractum irritandi, aut retinendi partem, deducto pretio parti destructæ correspondenti. *Art.* 1601. Quod si alteruter e contrahentibus rem jam destructam esse sciret, damna inde alteri eventura reparare teneretur. *Art.* 1382.

Res certo vel probabiliter futura potest esse materia contractus nisi lex civilis obstet; nam spes illius apud omnes habetur ut pretio æstimabilis. Sic vendere licet fructus ex agro tali anno proventuros, lucrum ex tali negotiatione speratum, etc. Sed attendendum est, in casu speciali, an res ipsa vel tantum spes ejus sit materia contractus.

Quælibet stipulatio, extra matrimonii contractum, circa successionem personæ viventis, propter bonos mores, art. 1130 stricte prohibetur, nec vim ullam, etiam in foro conscientiæ, habere potest.

3° Ut sit determinata quoad speciem et saltem determinabilis quoad qualitatem et quantitatem; alioquin conferretur jus illusorium. Sed sufficit ut ex lege, consuetudine vel aliis adjunctis intentio contrahentis dignosci possit. Unde non valeret conventio de tradendo animali

in genere, valeret vero de tradendo equo vel bove in genere. Tunc ex Codicis art. 1022 et 1246, tradi deberet res quæ non esset pessima, nec daretur obligatio tradendi optimam, modo apta esset ad usum ad quem destinaretur, et non haberet defectus a lege prohibitos. *Art.* 1641.

4° Ut in commercio civili sit posita, quod patet ex terminis et ex *art.* 1128. Porro plurima extra commercium civile reponi possunt; — a) nempe *ex jure naturali*, vel quia sunt inutilia, ac proinde pretio non possunt æstimari; vel quia sunt communia et usu inexhausta, ut aer, lumen solis, aqua fluminum et maris; vel quia illicita, hinc de re turpi non contrahitur. — b) Item *ex jure positivo divino* aut *ecclesiastico* extra commercium ponuntur res spirituales aut spiritualibus annexæ. Res mere spirituales possunt esse objectum contractus gratuiti et etiam onerosi, si utrinque detur spirituale. Res autem temporales spiritualibus annexæ considerari debent relative ad annexionem, antecedenter, concomitanter, vel consequenter. Si res temporalis existat ante annexionem et habeat valorem proprium et independentem, hæc juste vendi potest, modo tamen non augeatur pretium propter rem sacram; si opus temporale sit rei sacræ concomitans, vendi non potest, quia ipsum nullius est valoris, si præcise sumatur; sic opus corporale ad sacramentorum administrationem necessarium. Si temporale sit consequens et spirituale præsupponat, non potest esse objectum contractus onerosi, probabilius ex jure divino, seu ex natura rei, et certissime ex jure ecclesiastico; sic, v. g., beneficium ecclesiasticum absque simonia vendi non potest, quia jus ipsius fructus percipiendi oritur ex ministerio spirituali, juxta axioma *beneficium propter officium*. — c) Tandem *ex jure civili* extra commercium posita sunt viæ publicæ, fontes, flumina, et jure etiam civili, templa. Res istæ ad dominium privatum pertinere non possunt quin naturam mutent. Cum his confundendæ non sunt merces simpliciter prohibitæ, ut tabacum : conventio de hujus generis mercibus, licet in foro conscientiæ culpanda, probabilius valet donec per sententiam judicis

irritetur. Sed quoad solvendum tributum, standum est eis quæ in Tractatu *de Restitutione* diximus.

5° Ut sit tradentis propria, quia nemo potest ad alium transferre jus quod non habet. Nullæ sunt ergo, jure naturali et positivo, conventiones de rebus hic et nunc alienis, præter quasdam exceptiones pro bonis mobilibus et pactis commercii, ut explicabimus agendo de venditione. *Art.* 1021, 1599, 2279 et 2280. Si agatur de rebus quas quis adhuc possidet, licet tertius jus ad eas jam habeat, conventio est quidem illicita, ut patet, imo et injusta, adeo ut eas tradens damnum inde primo creditori obveniens resarcire teneatur, non tamen invalida; nam contrahens realiter adhuc habet talis rei proprietatem, nec jus civile obstat, saltem in casibus ordinariis, quominus eam transmittat, manente tamen obligatione damnum compensandi.

Qui per hujusmodi contractus accipit res ad quas alter jus habebat, fraudem ignorans, ad nihil tenetur; fraudem cognoscens et ei participans, defectu tradentis tenetur resarcire damna quæ primus creditor patitur, siquidem ad injustitiam libere cooperatur.

6° Ut non sit aliunde debita, saltem ex justitia; nam tunc non conferretur jus quod est conventionis objectum. Unde nullus est contractus quo aliquis prætendit alteri conferre dominium rei ad quam iste jus habet *in re,* vel etiam jus *ad rem*; nihil enim pretio æstimabile illi confert : si quod ergo receperit pretium, illud restituere tenetur.

Diximus *saltem ex justitia;* si enim res ex alia virtute v. g., ex charitate, ex religione debeatur, contractus erit quidem ordinarie illicitus, sed tamen juxta communem sententiam, validus, quia tradens revera transmittit alteri jus pretio æstimabile.

7° Ut spectet ad contrahentes, id est, ut unus pro se stipuletur, et alter pro se promittat; nam sicut nemo potest alterum non consentientem ligare, ita nec pro illo non consentiente jus strictum acquirere. *Art.* 1119 *et* 1165. At fieri potest ut quis tamen pro tertio contrahat, sive

stipulando, id est, jus acquirendo in utilitatem tertiæ personæ; sive promittendo, id est, jus alteri concedendo in nomine tertiæ personæ.

In priori casu valet contractus ex parte promittentis; promittens enim resilire non potest quin veram faceret injuriam stipulanti, cujus interest ut per se alteri beneficiat. Sed valet conditionate, si nempe persona, in cujus gratiam jus acquisitum est a stipulante, acceptaverit. At stipulans potest, ut evidens est, obligationem prorsus remittere quamdiu tertia persona, in cujus gratiam facta est stipulatio, eam non cognovit, et acceptavit; non vero post acceptationem.

In posteriori casu, si quis absque mandato, rem aut factum tertiæ personæ promittat, obligationem ei non imponit, ut patet. An vero obligationem ipse contrahat, non ita constat. Ex art. 1120, tenetur stare contractui quoadusque hæc tertia persona illum cognoverit et approbaverit, tumque solum liber est. Si tantum spoponderit se effecturum (*s'est porté fort*) ut tertius hoc vel illud faciat, tertio recusante, promissarium tenetur indemnem reddere, nihil ultra debet. In conscientia præcipue standum est utriusque contrahentis intentioni, cui lex non videtur voluisse derogare : ubi vero circa intentionem contrahentium aliquod exsurgit dubium, dispositionibus Codicis inhærendum est.

Diximus generatim non valere stipulationem vel promissionem pro tertia persona; excipiuntur tamen varii casus : — a) quando fit ex speciali illius personæ mandato, quia mandans censetur ipse facere quot fit nomine ejus; — b) quoties nostra interest ut quod in favorem alterius stipulamur fiat, v. g., si id facere aut præstare teneremur. Item quod pro nobis stipulamur, pro hæredibus nostris et causam habentibus, ordinarie promissum censetur. *Cod. civ. art.* 1122. — c) Quando quod pro tertio stipulatur vel promittitur, est duntaxat conditio vel modus stipulationis cujus objectum nostra interest, v. g. : domum meam tibi vendo sub conditione quod pretium solvas Petro; vel : domum meam tibi dono, sed ea con-

ditione quod agrum tuum tribuas Paulo, conventio in utroque casu valet; sed ego solus exsecutionem illius premere possum donec tertius eam noverit et acceptaverit. *Art.* 1121. Vide *Pothier*, n. 57 et seq.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE MOTIVO PROPTER QUOD CONTRAHATUR.

Per motivum seu causam contractus intelligitur ratio propter quam contrahentes ad efficiendum contractum determinantur. Nemo init contractum, quin aliquo motivo ad illum impellatur : si motivum propter quod quis determinatur non existat, contractus dicitur sine causa et nullus est. *Art.* 1131.

Porro triplici modo causa deficere potest : vel simpliciter abest omnino ; — vel causa seu motivum contractus falso æstimatur existere, vel aliter existere quam revera se habet; — vel causa contractus est illicita, ac proinde pro nulla reputatur.

Prior casus vix reperiri potest nisi apud amentes; et tunc ex se nullus est contractus.

Secundus judicandus est juxta principia exponenda ubi de errore tractabimus.

Tertius item solvetur ubi de conditione turpi disseretur.

## ARTICULUS QUARTUS.

### DE CONSENSU AD CONTRAHENDUM REQUISITO.

Dicemus seorsim 1° de dotibus consensus ad contrahendum requisitis; 2° de vitiis quæ consensui nocere possunt.

#### § I. — De dotibus consensus ad contrahendum requisitis.

Certum est apud omnes aliquem requiri consensum ad contrahendum : nam, ex definitione, contractus est duo-

rum vel plurium conventio ; nulla autem fieri potest conventio absque consensu saltem externo. Ergo.

At non sufficit qualiscumque consensus, sed necesse est ut variis instruatur dotibus ; quæ utpote generales et valde utiles, hic summatim et per ordinem exponendæ sunt, licet quædam de his jam dixerimus in Tractatu *de Matrimonio* et aliibi.

Consensus ergo ad contrahendum requisitus debet esse 1° internus, 2° externus, 3° mutuus, 4° actualis, 5° plenus.

1° *Internus.* Omnes fatentur aliquem necessarium esse consensum et quidem interiorem ; nam *consensus* actum voluntatis supponit, et percipi non potest vere existens absque voluntatis adhæsione quæ est ipse consensus. Difficultas vero est an sufficiat voluntas exterius proferendi verba intentionem contrahendi clare exprimentia, dum illa proferens dicit interius : Non contraho, contractum inire nolo, sed fingo, decipere volo.

Plures affirmant hanc voluntatem ad validitatem contractus sufficere : Nam, inquiunt, qui vult causam, vult effectum : at consensus sic expressus est causa obligationis, siquidem ex solo consensu illo judicatur, non vero de consensu in voluntate abscondito. Aliunde, nisi principium istud admitteretur, omnes contractus essent dubii, quia de existentia consensus interni certo constare non potest.

Alii vero communius et longe probabilius contendunt necessarium esse consensum interiorem stricto sensu ad validitatem contractus. Contractus enim est conventio ; conventio autem existere non potest sine consensu voluntatum, id est sine interiori utriusque contrahentis adhæsione. In jure Romano contractus definiebatur : *Duorum vel plurium in idem placitum*, etc. Vox autem *placitum* internum manifeste designat consensum. Ergo antiquis legisperitis persuasum erat interiorem necessarium esse consensum. Insuper jus quod per contractum transmittitur, a voluntate pendet : ergo per solam voluntatem transmitti potest.

*Ad rationes prioris sententiæ sic responderi potest ;* — a)

Solus exterior consensus obligationem civilem facit, quia de illo tantum judicare possunt homines : at inde falso concluditur internum consensum ad validitatem contractus, pro foro conscientiæ, necessarium non esse. — b) Ex sententia nostra non sequitur omnes contractus dubios esse : libere enim contrahentes interius consentire solent, et hoc sufficit ad securitatem. Præterea, nemo credere tenetur ei qui affirmat se interius non consensisse, nisi veram esse suam assertionem clare manifestet, quod evidenter præstare non potest, quando exterius libere contraxit. Insuper qui reipsa exterius serio contraxisset, interius non consentiendo, alteri fecisset injuriam quam teneretur reparare consentiendo. Hæc igitur discussio nullius est momenti quoad praxim.

Hinc contrahentes obligationem sibi imponere vel acceptare, gravem aut levem, juxta gravitatem materiæ, voluisse censentur, quia hæc voluntas ad essentiam contractus pertinet. Si quod exsurgat dubium de existentia voluntatis se obligandi, expendendum est an contrahens nihilominus contraxisset, si novisset obligationem ex pacto orituram esse, an non. In priori casu judicandum est voluntatem se obligandi exstitisse et valere pactum; in posteriori vero aliter pronuntiandum foret.

Notandum est adhuc voluntatem se obligandi stare posse cum proposito contractum non adimplendi, et propositum istud validitati contractus non nocere.

2° *Externus.* Consensus dicitur externus quando signis sensibilibus ad extra manifestatur : talis autem ad validitatem contractus requiritur consensus, tum quia secus dominia forent incerta, tum quia nullus credit se obligare, quantumvis firma sit ejus voluntas, nisi eam exterius sufficienter exprimat. Necesse est ergo ut unus saltem conventionem exterius proponat. An autem pariter necesse sit ut alter exterius manifestet se consentire vel acceptare, non ita omnes admittunt. Sententia affirmans communiter tamen tenetur : si enim, uno proponente, alter nihil exterius manifestet, jus ipsius manebit dubium. Attamen in variis circumstantiis silentium est si-

gnum sufficiens acceptationis, v., g., si quis accepta re grata ab amico missa, eam nihil dicens retinet.

Varia sunt signa quibus sufficienter exprimi potest consensus; jure naturali qualiacumque sufficiunt, etiam simplices nutus, modo ex eis innotescat voluntatem assentire. At jus civile plura et diversa statuit pro diversis contractibus. — a) Sic aliquando sola requiruntur verba, ut in venditionibus, donationibus de manu ad manum, etc. — b) Aliquando scriptum necessario requiritur, ut in hypotheca. — c) In nonnullis contractibus traditio rei, de qua conventum est, necessaria est ut contractus sit in genere suo perfectus : sic mutuum, commodatum, pignus, depositum, non perficiuntur nisi traditione rei; ante traditionem existit tantum mutui, commodati, etc., promissio. Ubi autem lex positiva speciales non præscripsit formalitates, non requiruntur signa determinata : sola contrahentium voluntas obligationem producit. Si conventio juridice probari possit, valet in foro externo; secus, nulla est in foro externo; sed in utroquo casu conscientiam tenet obstrictam.

Multa numerantur signa quibus obligationis existentia juridice probari potest, scilicet scriptum authenticum, scriptum privatum inter partes (*sous seing privé*), depositio testium, perscriptio, debitoris confessio, juramentum. Admittuntur etiam scripta sine chirographo, gallice, ut melius intelligatur : « Les écrits sans signature : tels sont » les livres des marchands, les écrits domestiques, comme » les registres ou mémoires pour son propre usage. Il y a » encore des titres qu'on appelle *récognitifs* ou *confirma*» *tifs;* ce sont ceux par lesquels on reconnaît et l'on con» firme telle ou telle obligation, le titre qui la constitue. » Les copies des titres primordiaux ou récognitifs sont » aussi des moyens de preuves devant les tribunaux, mais » ne dispensent pas d'exhiber les titres mêmes, s'ils exis» tent. Il y a encore un moyen de preuve dont on peut » faire usage et qu'on appelle *la taille* : c'est un morceau » de bois fendu en deux; chacune des parties contrac» tantes conserve l'un des morceaux, et à chaque nouvelle

« fourniture, on fait une coche sur les deux morceaux en » même temps. Cette manière d'exprimer l'obligation est » en usage chez les boulangers. »

Depositio testium non admittitur nisi agatur de summa quæ 150 fr. non excedat. *Cod. civ. art.* 1341. Ubi tamen quoddam existit probationis initium per scripta, vel si constat creditorem testimonium scriptum habere non potuisse, ut sunt ordinarie viatores, qui bona secum asportata in diversoriis deponunt, probatio per testes admittitur.

Cæterum, cum hæc signa sint tantum media quibus existentia contractus in foro externo probari queat, de illis longius hic discurrere non expedit. Unusquisque legat, si velit, Codicem civilem ab art. 1315 ad 1369.

3° *Mutuus.* Consensus est mutuus quando ex dobus fit unus, quia in idem duo consentiunt. Porro, consensus debet esse mutuus; nemo enim per se jus suum amittit aut alienum acquirit nisi velit : necesse est ergo ut consensus ab uno datus ab altero sit acceptus, ac proinde ut sit mutuus.

Unde non sufficit ut consensus unius alteri modo qualicumque innotescat, sed debet ei intimari, id est manifestari ex intentione proponentis, et ab altero sic acceptari; alioquin non esset consensus in idem *placitum.* Quamdiu igitur consensus datus non fuit acceptatus, contractus non est firmatus, et consensus valide revocari potest, licet non semper sine peccato nec sine obligatione reparandi damna inde provenientia; et hoc verum est etiamsi agatur de remissione debiti. Licet enim aliquis possit sua sola voluntate amittere dominium rei suæ, non potest tamen facere quod res sua ad alium pertineat, nisi iste et ipse velit : regula est enim juris quod *invito beneficium non datur.* Quod, si proponens jus suum omnino abjiciat, inde tantum sequitur debitorem non posse deinceps inquietari, non vero jus novum acquisiisse, si non consenserit.

Disputatur an vicissim necesse sit consensum acceptantis proponenti intimari. Communiter negatur pro ca-

sibus ordinariis, quia statim ac intentio unius alteri fuit intimata, et ab eo exterius acceptata, utriusque consensus in idem placitum concurrit, quod videtur sufficiens ut vinculum obligationis existat.

Diximus *pro casibus ordinariis*, quia aliter contingere potest, sive ex dispositionibus legis, ut dicemus de donationibus, sive ex speciali voluntate contrahentium.

4° *Actualis*. Hic in memoriam revocanda sunt quæ in tractatu de *Sacramentis in genere* diximus de intentione actuali, virtuali, habituali et interpretativa. Eodem fere modo dicendum est consensum ex intentione virtuali datum sufficere, sed ad minus requiri; sufficit enim quia sic generaliter apprehendunt homines, et aliunde intentio actualis diu perseverans non est semper in potestate humana; ad minus tamen requiritur, quia intentio habitualis aut interpretativa non sufficiunt ad consensum. Item consensus mere præsumptus, qui revera defuit, non sufficit, quia consensus realiter existens requiritur.

Consensus ex sufficienti intentione datus, indefinite perseverat, nisi aliquo modo revocetur : quotidie enim ineuntur contractus inter absentes et post longum temporis spatium ab expresso consensu; ergo supponitur consensum pesseverare. Si autem consensus per aliquod tempus perseveret, non est ratio, ex rei natura, cur ad tale vel tale tempus limitetur. Ergo, etc.

5° *Plenus*. Communiter apprehendunt homines et docent theologi ad valide contrahendum, ex parte intellectus, eam requiri advertentiam quæ ad peccandum mortaliter necessaria est. Quod spectat ad voluntatem, distinguunt inter contractus onerosos et contractus gratuitos. Dicunt ad contractus onerosos eam pariter requiri et sufficere libertatem quæ requiritur et sufficit ad peccandum mortaliter : ad contractus vero gratuitos, qui a benevolentia procedere debent, et in quibus accipiens non dat æquivalens, requirunt consensum non tantum liberum, sed spontaneum, id est, qui procedat a voluntate sine ulla rationabili repugnantia. Hoc ex dicendis in sequenti § magis elucidabitur.

§ II. — De vitiis quæ consensui nocere possunt.

Quatuor numerantur vitia quæ plus minusve consensum lædere possunt, nempe error, dolus, vis seu metus, et læsio. De his in tot sectionibus dicendum est.

SECTIO PRIMA. — *De errore.*

I. NOTANDA CIRCA ERROREM IN GENERE. — Error generatim est æstimatio unius pro alio, seu judicium falsum de re aliqua. Distinguitur ab ignorantia, quæ cognitionis defectus tantummodo est. De utroque hic indistincte dicemus sub nomine erroris, quia in præsenti materia eisdem regulis subjiciuntur.

Error in genere est *substantialis* vel *accidentalis*. Dicitur substantialis quando substantiam contractus sive in genere, sive in specie, afficit : dicitur vero accidentalis quando in mera contractus accidentia cadit. Distinguitur insuper error incidens, seu concomitans, sine quo nihilominus contractus fuisset initus, et error antecedens, seu dans causam contractui, sine quo contractus initus non fuisset. Iterum error dans causam contractui potest *positive* contractum causare, vel *negative :* positive, si voluntatem ad contrahendum determinet; negative vero, si errore detecto, voluntas contrahere noluisset.

Error versari potest vel circa objecti naturam, v. g., si quis emat vitrum credens esse gemmam; vel circa naturam contractus, v. g., si quis domum intendat locare et alter emere credat; vel circa qualitates rei, ut si quis equum tardum emat, putans esse velocem; vel circa pretii quotitatem, in contractibus onerosis, ut si quis putat emere 1,000 fr. quod alter credit vendere 2,000 fr.; vel circa personam, ut si quis nummum aureum Petro dare ntendat et donet Paulo; vel denique circa motivum, quod triplex distingui potest, scilicet *impulsivum*, sine quo contractus fuisset initus, sed minus libenter; *determinans*, sine quo contractus initus non fuisset, v. g., falso credens

equum meum interiisse, alterum emo; et *finale*, quod est finis contractus, v. g., persuasum habens, sine reali fundamento, patrem meum 100 fr. legasse Petro, eos solvo.

II. De effectibus erroris circa contractum. — His prænotatis sequentia statuenda sunt principia :

1° Ab omnibus, tum doctis, tum indoctis, generaliter admittitur errorem substantialem omnino irritare contractum, talis quippe error consensum penitus destruit, id est, impedit quin contrahentes in idem consentiant.

2° Error mere accidentalis validitati contractus in genere non officit, nam non impedit quin contrahentes in idem consentiant. Sic *Cod. civ. art.* 1109 et 1110.

Dixi *in genere*, quia communiter excipiunt quando in contractu gratuito error accidentalis causam tamen *positive* dedit contractui. Tunc enim contractus ille non ex plena liberalitate procedit, ut par est, sed revera ex errore.

Secus, si error negative tantum daret causam contractui; tunc enim nullo modo influit in contrahentium voluntatem. Igitur ante omnia necesse est ut discernatur quando error est substantialis, et quando reputandus est accidentalis : ad hoc faciendum sequentes inservire possunt regulæ.

1° Illud habendum est ut substantiale, cui utraque vel alterutra pars suum stricte alligat consensum : hoc autem dignoscitur tum ex verbis, tum ex consuetudine, tum ex variis circumstantiis. Si vero hæc conditio manserit mere interna, applicanda sunt quæ supra diximus ubi de consensu ficto.

2° Illud censendum est substantiale, cujus defectus rem facit ad finem intentum inutilem : homines enim non contrahunt nisi ut inde varias percipiant utilitates.

3° Illud habendum est ut substantiale, cujus defectus tollit omne motivum rationabile agendi ; nam homines supponi non possunt agere sine rationabili motivo.

III. Inde solvuntur quidam casus particulares. — Hinc variæ prodierunt decisiones pro variis casibus, ut sequitur.

1° Error circa speciem contractus, circa naturam ob-

jecti, et, si notabilis sit, circa pretii quotitatem, omnem irritat contractum : patet ex dictis.

2° Error circa rei qualitates quemlibet irritat contractum, quando consensus non præbetur nisi sub expressa vel saltem sub implicita conditione quod res talis sit qualitatis ; tunc enim reipsa non adest consensus, si conditio non existat. Hinc qui jussu medici vinum Rhenarium petit, non consentit in vinum Campanum sibi exhibitum. Si, e contra, qualitas rei nec expresse, nec ex circumstantiis aut ex communi hominum æstimatione habetur ut conditio sine qua non, contractum saltem onerosum non irritat, siquidem, non obstante isto errore, remanet consensus in rem ipsam. Unde qui apud bibliopolam emit librum quem æstimat bonum, et postea deprehendit malum, nihilominus valide contraxit, quia præsentem librum absque restrictione voluit emere : sic pariter qui putat ducere uxorem pulchram, castam, nobilem, divitem, quæ revera talis non est, validum tamen init matrimonium.

Diximus *saltem onerosum*, quia cum, ex dictis, consensus in contractum gratuitum plenus esse debeat, si reipsa error circa qualitates accidentales consensum determinasset, contractus esset nullus aut daretur locus rescissioni : nec in eo casu donatarius, frustratus re sibi non debita, merito conqueri posset.

3° In contractibus onerosis error circa personam ordinarie, excepto matrimonio, non irritat contractum. Ratio est quia, ut plurimum, consideratio personæ, in hujusmodi contractibus, est indifferens. Quod equum præsentem a Petro vel a Paulo emas, quid refert? Attamen si, per exceptionem, consideratio personæ substantiam contractus afficeret, illum irritaret, v. g. : credis emere tabellam a celebri pictore, puta a *Raphaele* depictam, et erras; emptio est nulla, nisi consensus tuus reipsa ceciderit in objectum præsens a te hujusmodi rerum amatore æstimatum præcipue ob qualitates quas in eo apprehendis.

In contractibus vero gratuitis, cum respectus personæ

sit præcipua ratio determinans, in substantiam contractus redundat eumque irritat, ut patet. Si quandoque tamen hæc consideratio in mente donantis fuisset tantum accessoria, error validitati contractus non officeret, v. g.: das eleemosynam pauperi præsenti, quem falso credis esse Petrum, cum sit Jacobus vere pauper, cui etiam donasses sed non tam libenter, valet donatio.

4° Error circa motivum finale quemlibet irritat contractum; nam consensus a tali motivo substantialiter pendet, et motivo non existente, jam realiter non datur consensus. Eo sensu Codex civilis declarat, art. 1131, obligationem sine causa esse nullam. Error, e contra, circa motivum simpliciter impulsivum nullum irritat contractum, ut omnes fatentur, quia revera existit consensus. Error vero circa motivum determinans, quatenus a motivo finali distinguitur, onerosum non irritat contractum, quia consensus substantialiter existit et datur ratio rem de qua conventum est ex utraque parte tradendi. Irritaret vero contractus gratuitos, ob defectum *spontaneitatis*. Vide card. *Gousset* in art. 1110.

Quamvis contractus cum errore initus in variis casibus sit nullus, nemopropria auctoritate ab illo resilire potest: expresse enim declaratur in Codice civ., art. 1117, talem contractum esse tantum rescindibilem. Illius ergo rescissio coram judicibus petenda et ab eis obtinenda est. Attamen, si probationes sufficientes juridice subministrari non possint, et nullitas sit certa, non existit obligatio pro conscientia conventionem adimplendi. Imo non videmus cur deceptus, qui solus habet jus rescissionem prosequendi, onera litis ultro suscipere teneretur. Potest ergo, nullitate supposita certa, conventioni suæ non stare et exspectare quid altera pars facere voluerit. *A fortiori* contrahentes possent, tuta conscientia, ex mutuo consensu habere contractum sic initum ut non existentem.

SECTIO SECUNDA. — *De dolo.*

Dolus est calliditas, fallacia, aut quæcumque alia machinatio ad alterum in errorem conjiciendum adhibita, ut inducatur in contractum sibi damnosum.

Qui sint effectus doli circa contractum sequitur ex exponendis principiis.

1° Dolus considerari potest quatenus ex illo sequitur error, et tunc contractus ex dolo initus est nullus in omnibus casibus in quibus ex errore factus esset nullus. Ratio enim est eadem, scilicet defectus consensus.

In cæteris autem casibus, in quibus contractus ex errore initus est validus, valet pariter contractus ex dolo peractus, modo aliæ reperiantur conditiones ad valide contrahendum requisitæ; sufficiens enim præbetur consensus, et aliunde jus positivum hujusmodi contractum non irritat. Ergo.

2° Quatenus autem dolus insuper includat injuriam, dicendum est : — a) Quod si ex dolo sequatur aliquod damnum, deceptus jus habet petendi reparationem damni sibi injuste illati. — b) Quod si dolus *positive* dederit causam contractui, non tantum irritat contractum gratuitum, ut fit in casu simplicis erroris; sed etiam contractum onerosum rescindibilem facit, ad nutum partis læsæ, ad quod per se sufficiens non esset error solus; et hoc constat tum ex jure civili, *ex art.* nempe **1116** et **1117**, tum ex jure naturali; unusquisque enim jus naturale habet deliberandi, examinandi, varia pensandi motiva antequam contrahat: qui ergo dolo erga eum utitur ut consensum ejus obtineat, illi facit injuriam quam ex justitia tenetur etiam ante sententiam judicis reparare : eam autem convenienter reparare non potest, nisi plenam illi reddendo libertatem. Ergo talis contractus rescindibilis est ad nutum partis læsæ.

Ex eadem ratione patet decipientem non habere jus a contractu resiliendi.

Quando autem injuria aliter quam per rescissionem

reparari potest, deceptus habet tantum jus exigendi ut damnum quod passus est sibi resarciatur.

3° Si dolus a tertio inferatur, absque participatione contrahentis, contrahens non tenetur consentire rescissioni, nec damnum illatum reparare, nisi contractus infirmetur propter errorem ex dolo sequentem.

Decipiens autem, quicumque sit, semper tenetur in conscientia omnia compensare damna ex ipsius machinatione provenientia, siquidem omnia ei tribuenda sunt.

### Sectio tertia. — *De vi et metu.*

I. De vi et metu prænotanda. — 1° Vis est motio a principio extrinseco contra voluntatis inclinationem impressa. Metus est trepidatio mentis ob malum imminens. Duo igitur importat, nempe periculum mali et trepidationem mentis.

2° Multiplex distinguitur. Alius est gravis et alius levis : gravis est ille quo timetur malum grave et probabiliter imminens, v. g., mors, mutilatio, incarceratio, bonorum amissio; levis ille est quo timetur malum leve aut grave, sed improbabile.

3° Metus iterum potest esse gravis absolute vel respective : est gravis absolute, quando in quemcumque virum fortem cadere potest, ut metus mortis et incarcerationis diuturnæ; respective gravis ille dicitur quo movetur puer, mulier, aut vir meticulosus, et quo vir fortis et constans minime afficeretur. Sic metus quorumdum baculi ictuum potest esse gravis respectu puellæ, et levissimus respectu militis assuefacti bellis.

4° Metus oriri potest a principio intrinseco, vel a principio extrinseco. Oritur a principio intrinseco, quando procedit a causa intrinseca ei qui timore movetur, v. g., a morbo; est autem a principio extrinseco, quando excitatur a causa extrinseca ei qui timore percellitur.

Metus a principio extrinseco duplici modo incuti potest, videlicet a causa necessaria, v. g., naufragio, et a causa libera, id est, ab homine.

Metus a causa libera proveniens duplicem ob rationem incuti potest : ob rationem justam, cum ille per quem incutitur legitimam habet potestatem inferendi malum quod minatur, v. g., si judex minis reum cogat ad confitenda crimina de quibus fere est convictus, vel ad complices revelandos; incutitur autem ob rationem injustam, quando ille qui malum minatur, legitimam non habet potestatem illud infligendi, ut si latro in via mortem viatori minitet nisi crumenam ipsi tradat.

II. De vis et metus effectibus quæ certa sunt statuuntur. — *Certum est* 1° metum ex omni parte levem, id est ratione tum mali formidati, tum trepidationis mentis, contractum per se non irritare; consensum enim non destruit. Multi tamen notant quandoque fieri posse ut metus etiam levis det causam contractui : tunc reddit contractum saltem rescindibilem. In foro externo, ubi malum leve est, metus semper reputatur levis et nullam dat actionem adversus contractum.

*Certum est* 2° metum gravem prorsus dirimere contractum, si huc usque veniat ut rationis usum tollat, vel incapacem peccandi mortaliter reddat, cum tunc sufficiens consensus præberi nequeat.

*Certum est* 3° metum gravem a causa intrinseca, aut a causa extrinseca, sed necessaria, incussum, quo stante homo remanet sui compos, contractum non dirimere; non tollit enim libertatem, nec ullam infert injuriam ei qui propter hujusmodi metum ad contractum sese determinat.

*Certum est* 4° metum a causa libera et extrinseca, sed justa, incussum, non irritare contractum; non impedit enim quin verus præbeatur consensus, et qui propter hunc metum agit, conqueri non potest injuriam sibi inferri. Unde qui metu alicujus mali ducit puellam quam sub promissione matrimonii defloravit, valide contrahit.

III. De vi et metu circa contractum quæstiones dubiæ solvuntur. — *Quæritur* 1° an metus gravis a causa injusta incussus, sed ob finem a contractu diversum, contractum dirimat.

*R.* 1° Hunc metum juxta omnes semper contractus *gratuitos* irritare : talis quippe metus impedit quin consensus procedat ex perfecto voluntario ad actus liberalitatis requisito.

*R.* 2° Non dirimit contractum onerosum ; nam si illum dirimeret, vel propter defectum libertatis requisitæ, vel propter injustitiam : atqui neutrum dici potest ; non propter defectum libertatis, cum usus rationis non tollatur ; non propter injustitiam, siquidem metus, ut supponitur, in ordine ad contractum non fuit incussus : contrahens igitur proprio motu sese determinavit. Unde aliquis grave malum injuste tibi inferre paratus est ; equum tuum quem cupit, de quo tamen non loquitur, vendere illi proponis et de pretio æquivalenti convenitis ; valet contractus.

*R.* 3° Attamen contractus ille, licet validus in se, valde probabiliter est rescindibilis, saltem si metus ab altero contrahenti incutiatur ; qui enim metum injuste incutit, injuriam facit ; hanc injuriam reparare debet ; illam vero convenienter reparare non potest, nisi perfectam reddendo libertatem ei qui metu fuit determinatus. Ergo.

Dixi *si metus ab altero contrahenti incutiatur*, nam si metus a tertia persona fuerit incussus, et alter contrahens non fuerit particeps, metus ille mere accidentalis videtur, nec locus rescissioni datur, cum sit potius occasio quam causa contractus. Ex circumstantiis tamen judicandum est an contrahens fructum percepturus sit ex injustitia an non.

*R.* 4° Si contractus haberet pro objecto cessationem ab injusta vexatione, jure naturali esset nullus ; in contractibus enim onerosis aliquid pretio æstimabile ex utraque parte dari debet : atqui cessatio ab injusta vexatione non est pretio æstimabilis ex parte vexantis, qui certe hanc cessationem vendere non potest. Ergo quidquid accepisset, ex justitia reddere tenetur. Ita *Collet*, concl. 4 *de Metu ; Billuart*, ibid. *et communiter theologi.*

Hinc latro mortem ex ira viatori parat, nihil ab illo postulans ; viator, timore perculsus, summam pecuniæ

illi promittit ut ab ejus manibus sese eripiat, contractus est nullus. At si viator oppressus transeuntes advocaverit, et pecuniam illis promiserit ut ipsum a periculo liberarent, valet promissio; dant enim aliquid pretio æstimabile, nempe auxilium quod præbent. Ita *Puffendorf*, l. III, c. 6, § 2; *Pothier*, P. *Antoine*, *Collet*, etc.

*Quæritur* 2° an metus gravis, a causa injusta ad extorquendum consensum incussus, illum efficiat nullum tum jure civili, tum jure naturali.

*R.* 1° Quoad jus civile nulla subesse potest difficultas; expresse enim declaratur *Cod. civ. art.* 1111, 1112, 1113, violentiam contra unum contrahentem adhibitam, causam esse nullitatis, sive ab altero contrahente, sive ab alio incussus fuerit; sive malum quod timetur ipsi contrahenti immineat, sive ejus conjugi, descendentibus aut ascendentibus. Idem etiam statuitur a lege, etiamsi non personis, sed eorum tantum fortunæ malum immineat. Ad determinandum autem metus gradum, ratio habetur ætatis, sexus, conditionis personarum.

*R.* 2° Quoad jus naturale non conveniunt inter se doctores. Plures enim volunt omnes hujusmodi contractus esse jure naturali validos; nam verus non deest consensus, *voluntas coacta est voluntas:* sunt verba juris Romani. Ergo. Ita Grotius, l. II, c. 9. Juxta hunc auctorem, contractus ex gravi metu initus, est jure civili tantum rescindibilis. Alii autem contendunt hos contractus jure naturali esse irritos, quia injuste ad id cogeremur faciendum quod a libera electione nostra pendet. Ergo. *Puffendorf*, l. III, c. 6, § 11; *Barbeyrac*, ibid.; *Pothier*, n. 123, et plures alii. Omnes fatentur hujusmodi contractus esse jure naturali rescindibiles.

Unde illæ duæ opiniones reipsa in praxi non distinguuntur; qui enim per metum injuste incussum ad contrahendum sic fuit adductus, veram passus est injuriam, illiusque sufficientem reparationem stricte exigere potest : atqui sufficienter illa injuria non reparatur, nisi perfecta contrahendi reddatur libertas : porro si perfecta ei debeatur libertas a contractu resiliendi, ipse contra

justitiam non peccabit resiliendo. Ergo, re adhuc integra, promissioni suæ stare non tenetur. Si vero contractus per traditionem rei sit consummatus, illius rescissionem coram judicibus postulare potest.

Cum autem ille contractus jure naturali non sit invalidus, præter quosdam casus a nobis assignatos, sed tantum rescindibilis, sequitur eum solum rescissionem petere posse, qui propter metum contraxit, siquidem solus injuriam passus est : si ergo contractui stare velit, alter in foro externo resilire non potest, nec etiam in foro interno, sive particeps fuerit metus, sive non.

Cæterum, qui per metum injustum, sive gravem, sive levem, cujus auctor vel particeps fuit, aliquem in contractum adduxit, tenetur in conscientia et ante judicis sententiam totum resarcire damnum quod illi intulit, quisquis enim tenetur reparare injuriam cujus est auctor.

*Quæritur* 3° An metus reverentialis possit firmitati contractus officere.

*R.* Metus reverentialis, sic dictus ob reverentiam quibusdam personis, patri, v. g., vel matri debitam, per se contractum non reddit vitiosum, nec efficit quidem ut rescindi queat, *Cod. civ. art.* **1114**; secus, si cum verberibus aut aliis violentiæ signis jungeretur; fieret enim tunc metus gravis.

Ita quidem lex pro foro externo statuit. At in foro interno, si metus reverentialis multum moveat mentem, etiam absque verberibus et violentiæ actibus, reducitur ad metum gravem et ei applicanda sunt quæ diximus de metu gravi quoad conscientiam. Codex civilis hoc aliquatenus supponit articulo **1112** jam citato, dicendo rationem habendam esse ætatis, sexus et conditionis.

### Sectio quarta. — *De læsione.*

I. Quid læsio. — Læsio in eo consistit quod in contractibus onerosis æqualitas non servetur, sed plus accipiatur quam tradatur, sive id fiat ex errore, sive ex dolo.

Ut autem æqualitas servanda recte possit æstimari *observandum est* justum rerum pretium non consistere in aliquo puncto mathematice determinato, sed varios suscipere gradus ex prudentium hominum judicio æstimandos, habita scilicet ratione circumstantiarum, temporum, penuriæ vel abundantiæ rerum aut pecuniæ, emptorum et vendentium. Dum pretium inter hujusmodi gradus sistitur, læsio adesse non judicatur : hinc infimo pretio emere et summo vendere licet.

II. De læsionis effectibus circa contractum. — Ex jure naturali simplex læsio contractum non reddit nullum, siquidem verus præstatur consensus, nec rescindibilem, siquidem, ut supponitur, nulla fuit injuria, sed tantum defuit æqualitas, quæ absque rescissione restitui potest. Qui ergo plus accipit quam dedit, excessum restituere debet, et insuper, si læsio ex dolo proveniat, totum tenetur reparare damnum inde secutum : quod quidem verum est de quibusvis contractibus et personis, etiam de minoribus.

Ex jure civili in nonnullis contractibus, et erga quasdam personas, læsio est causa sufficiens cur rescissio peti ac obtineri valeat. *Cod. civ. art.* 1118.

Sic 1° læsio quartam excedens partem in partitione hæreditatis, communitatis conjugalis, aut societatis commercialis, nisi alter velit læso solvere supplementum suæ partis et damna compensare. *Art.* 887, 1476, 1872 *et* 891.

Sic 2° in venditione boni immobilis, quod alienari potest absque auctoritate judicis, læsio excedens septem partes ex duodecim dat locum recissioni in favorem solius venditoris, nisi emptor solvat supplementum justi pretii sub deductione decimæ partis pretii totalis. Pro nulla habetur renuntiatio facultati rescissionem petendi, etiamsi contractui fuerit inserta. Petitio autem fieri non potest post duos annos elapsos. *Art.* 1674, 1676, 1683 et 1684.

Rescissio nunquam conceditur propter læsionem in bonis mobilibus, et quidem merito; cum enim hæc bona multipliciter de manu ad manum transeant, valde inter-

est ut eorum venditiones sint firmæ et rescindi nequeant, ne plurimis turbationibus detur locus. In foro interno si æquitas naturalis læsa fuerit, reparanda erit. Idem dicendum est in variis conventionibus quas lex excipit, v. g., art. 889, 1706, 2052.

Sic 3° simplex læsio sufficit ut minores rescissionem obtinere possint. *Cod. civ. art.* 1305. Si sint emancipati, in actibus ad quos inhabiles sunt, æquiparantur minoribus non emancipatis; in aliis vero, majoribus. Facultas autem rescissionem ob læsionem petendi per decem existit annos, nisi aliter statuatur. *Art.* 1304. Variæ sunt exceptiones sub diversis titulis expressæ.

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE OBLIGATIONE CONTRACTUUM.

De obligationis notione et diversis speciebus. — Obligatio generatim est vinculum quo quis ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum adstringitur. Duplex est, imperfecta scilicet et perfecta. Obligatio imperfecta ea est quæ solo fundatur titulo charitatis, gratitudinis aut religionis, quæ proinde nullum supponit jus strictum : talis est obligatio dandi eleemosynam, gratum erga benefactorem se habendi. Obligatio perfecta ea est quæ titulo justitiæ commutativæ fundatur et strictum ac rigorosum inducit debitum. De hac posteriori in præsenti Tractatu dicturi sumus.

Multipliciter dividitur, nempe in naturalem, civilem et mixtam.

Obligatio naturalis ea est quæ conscientiam tenet obstrictam, et nullam in foro externo dat actionem : talis est obligatio justum solvendi debitum quod juridice probari nequit. Obligatio civilis ea est quæ in conscientia nulla est, et tamen, ob aliquam juris præsumptionem,

dat in foro externo actionem, v. g., si quis ex depositionibus falsis ad mulctam damnetur, et nulla ipsi suppetat via qua innocentiam suam probare valeat. Obligatio mixta est illa quæ in utroque foro pariter ligat. Hujus generis obligationem pariunt omnes contractus juxta leges initi, qui sufficienter probari possunt. Pariunt quidem obligationem pro foro interno, ut ex ipsius contractus definitione liquet; evidens est enim quod homines stare debeant justis quas inierunt inter se conventionibus. Pariunt similiter obligationem civilem, seu dant actionem in foro externo, ut ex Codicis decursu patet.

Obligatio mixta oriri potest vel a lege sola, vel a facto hominis. Oritur a lege sola, quando aliam non agnoscit causam, et absque nulla utriusque partis actione existit: talis est obligatio vendendi vicino medietatem muri ipsius fundum tangentis, *Cod. civ. art.* 661; obligatio tutelam in certis casibus sibi delatam acceptandi. *Cod. civ. art.* 402 *et seq.* Talis est etiam obligatio qua tenentur proprietarii mercium, quæ in tempestate salvæ factæ sunt, eos compensandi mercatores quorum merces ad navim exonerandam in mare projectæ sunt. *Cod. de Commerce, art.* 417.

Obligatio a facto hominis proveniens, oritur vel a facto utrique contrahenti communi, et conventionalis dicitur; vel oritur a facto quod uni contrahenti est proprium, et tunc obligatio sine conventione vocatur : talis est ea quæ ex quasi- contractibus, ad sensum jurisperitorum, ex delicto aut quasi-delicto provenit.

In triplici articulo dicemus, 1° de obligatione contractuum generatim sumpta; 2° de variis speciebus obligationis contractuum; 3° de cessatione obligationis contractuum.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE OBLIGATIONE CONTRACTUUM GENERATIM SUMPTA.

Ex quolibet contractu nascitur obligatio aliquid agendi vel omittendi ad illum implendum, et obligatio repa-

randi damnum per violationem conventionis illatum. Prior obligatio vocatur *directa*, et posterior *indirecta*.

### § I. — De obligatione contractuum directa.

Obligatio directa considerari potest vel relative ad contrahentes, vel relative ad objectum contractus, vel relative ad modum exsequendi.

I. De obligatione directa relative ad contrahentes. — Contractus astringit contrahentes et ipsos solos. 1° Astringit contrahentes, nam ex *art.* 1134, ex jurisperitis et theologis, contractus legaliter initi vim habent legis, respectu contrahentium in utroque foro. Unde revocari non possunt nisi ex mutuo consensu aut ex causis lege admissis, quibusdam exceptis casibus in quibus unius voluntas sufficit, ut in art. 1859, 1870, 2003 et 2007 exprimitur.

2° Astringit ipsos solos, id est, ex *art.* 1165 contractus vim non habet nisi inter contrahentes. Unde, nec prodesse, nec nocere possunt aliis quam contrahentibus aut iis qui locum illorum tenent, ut jam diximus ubi de materia contractuum, aliquos excipientes casus a lege statutos.

II. De obligatione directa relative ad objectum. — Ex contractu, si nondum fuerit exsecutione consummatus, sequitur obligatio aliquid dandi, vel aliquid faciendi aut non faciendi.

1° Si agatur de obligatione aliquid dandi, statim proprietas rei transfertur ipsa vi contractus; et in hoc lex nova derogavit juri veteri, in quo proprietas non acquirebatur nisi traditione. Ideo creditor dominium rei acquirit vi solius contractus, ac proinde periculum in se suscipit, etsi res tradita non fuerit, nisi debitor sit in mora culpabili eam tradendi. *Art.* 1138 *et* 1139. Debitor tenetur rem ipsam tempore et loco convenientibus tradere, et interim eam conservare tanquam *bonus pater familias*. Vox ista in decursu dicendornm explicabitur. *Art.* 1136 *et* 1137.

Hinc si quis de re eadem cum duobus successive contraxerit, prior anteponendus est. Excipiuntur res mobiles quæ, ante traditionem, secundo emptori bona fide ementi venduntur et traduntur. *Art.* 1141. In utroque casu reparanda sunt in conscientia damna quæ emptor frustratus patitur.

2° Si agatur de re facienda aut non facienda, obligatio adimplenda est, in conscientia, secundum intentionem contrahentium. Si non adimpleatur, lex non cogit contrahentem recusantem per bonorum occupationem, nec per corporales pœnas; sed imponit compensationem omnium damnorum ex violatione pacti obvenientium creditori. *Art.* 1142. Hoc æquitate naturali evidenter fundatur.

— a) Hinc si obligatio sit de re facienda, quam alter æque facere possit, creditor jus habet exigendi ut opus reipsa impensis debitoris præstetur, et nihilominus compensationem damni per moram illati obtinere potest. *Art.* 1143 *et* 1144.

— b) Hinc si obligatio sit de re non facienda, quæ tamen facta est, creditor exigere potest ut opus impensis debitoris destruatur, salvo semper jure compensationem damnorum obtinendi. *Iisdem articulis* 1143 *et* 1144.

Ordinarie requiritur sententia judicis, saltem pro foro externo, nisi urgeat necessitas : quo in casu creditor sibi consulat.

III. De obligatione directa quoad modum exsequendi. — Juxta *art.* 1135, contractus bona fide sunt implendi. His verbis, Codex civilis de lege tollit distinctionem olim in jure admissam inter contractum bonæ fidei, et contractum stricti juris, in quo obligatio ad stricta verba limitabatur : nunc autem omnes contractus sunt bonæ fidei, et ideo obligant non solum ad id quod in eis formaliter exprimitur, sed ad omnia consectaria quæ, attenta conventionis natura, postulant æquitas, lex aut usus. Studiose ergo inquirenda est contrahentium intentio, et si dubium exsurgat, quidquid sit de foro externo, amicabilis consulenda est transactio pro conscientia, nisi con-

trahens persuasum habeat se bono jure potiri; in eo casu obtenta judicis sententia, ea securus uti potest.

### § II. — De obligatione contractuum indirecta.

Ex jure naturali et ex jure nostro civili, *art.* 1136, 1142, 1145, etc., certum est dari obligationem compensandi damnum per violationem contractus illatum. Ut autem hæc obligatio rectius intelligatur, tria sunt expendenda nempe 1° quandonam dicendum est contractum aliquem esse ob inexsecutionem violatum; 2° qualis esse debeat contractus inexsecutio ut ex ea sequatur obligatio compensandi; 3° quænam sit quantitas compensationis faciendæ.

I. Quandonam contractus ob inexsecutionem violetur. —1° Si agatur de obligatione aliquid non faciendi, nulla est difficultas; statim enim contractus violatur, et obligatio reparandi incurritur, ac factum fuit quod erat omittendum.

2° Si agatur de obligatione aliquid dandi aut faciendi, tunc sine dubio violatur contractus et obligatio reparandi contrahitur quoties aperte contractus exsecutio denegatur. Qui enim sic agit jus alterius violat peccando graviter.

3° At non semper res ita patet, sed sæpe accidit ut debitor non positive sed negative, nempe exsecutionem differendo, contractum violat. In hoc casu, standum est æquitati naturali et dispositionibus legis, etiam pro foro interno. Quæstio igitur est quandonam debitor dicendus sit *in mora;* porro lex declarat debitorem constitui in mora, — a) ipso facto termini elapsi, quando terminus inter contrahentes fuit determinatus; nam tunc *dies interpellat pro homine*, ut ait jus romanum. Non tamen sufficit ex jure nostro terminum assignari, sed necesse est ut expresse stipuletur, quod, adveniente termino, debitor *in mora* constituatur, *art.* 1139. Item dicendum foret si tempore præfixo datum aut factum non esset, quod illo tantum tempore potest utiliter dari aut fieri, *art.* 1146. — b) Ex *art.* 1881, super commodatum, com-

modatarius est *in mora*, elapso tempore in quo res erat restituenda, et ideo ipsi perit, etiamsi casu fortuito perierit.— c) Denique quando debitor juridice vel alio modo interpellatus fuit, *art.* 1139. In his casibus debetur compensatio in conscientia, etiam ante sententiam judicis, si tamen inexsecutio contractus sit imputabilis, secundum quod dicetur infra.

II. Qualis esse debeat contractus inexsecutio ut ex ea sequatur obligatio reparandi. — *Notandum est* 1° obligationem adimplendam oriri posse, ut jam dictum est vel ex contractu communi et explicito, vel ex contractu tacito, id est, quasi-contractu, ad sensum theologorum, vel ex quasi contractu, ad sensum juristarum.

*Notandum est* 2° inexsecutionis causam esse posse vel casum fortuitum, vel culpam theologicam, vel culpam juridicam. Quid per illa verba intelligendum sit jam explicavimus in tract. *de Restitutione*.

*Notandum est* 3° ipsam culpam juridicam fieri posse latam, id est, quam communiter non admittit aliquis in propriis rebus; vel levem, quam non admittit bonus *paterfamilias*. His notatis,

1° Certum est non dari obligationem, saltem ordinarie, reparandi damnum ex casu fortuito proveniens; nam tale damnum nemini imputari potest, et ita statuitur in Codicis *art.* 1148. Merito excipitur,— a) si debitor casus fortuitos in se susceperit, *art.* 1302;— b) si admiserit culpam quæ casui fortuito causam dederit, *art.* 1807;—c) si fuerit in mora, nisi res pariter apud creditorem peritura fuisset, *art.* 1881, 1042 *et* 1302; — d) in commodato, si res æstimata fuerit, nisi contraria conventio fuerit inita. *Art.* 1883.

2° Non minus constat reparandum esse damnum ex culpa theologica proveniens, ut diximus in tractatu *de Restitutione*. Hoc applicandum est non solum damnis quæ prævisa sunt aut prævideri potuerunt tempore conventionis, sed etiam iis omnibus quæ directe et immediate proveniunt ex eo quod exsecutioni mandata non fuerit. *Art.* 1151.

3° Iterum non disputatur de obligatione reparandi ex

culpa juridica post sententiam judicis. Etenim in tract. *de Restit.* docuimus dari obligationem, post sententiam judicis reparandi damnum ex culpa juridica illatum, *a fortiori* id admittendum est in contractibus et quasi-contractibus.

An vero eadem existat obligatio pro foro conscientiæ ante sententiam judicis, non ita patet. Sed ad quæstionem solvendam videndum est a quonam contractu oriatur obligatio.

1° Si agatur de contractibus proprie dictis, communissime affirmant theologi, tum quia contrahens se obligat ad ea quæ de jure et consuetudine veniunt; in contractibus autem jus et consuetudo volunt ut tunc fiat damni reparatio; tum quia bonum publicum exigit ut contrahentes in omnibus contractibus certam adhibeant diligentiam, alioquin res suas aliis committere et pacta inire non auderent, quod valde noceret societati. Porro hunc finem gravis momenti non sufficienter obtinerent legislatores, si non vellent dari obligationem in conscientia reparandi damnum etiam ante judicis sententiam et ex culpa mere juridica. Ergo.

2° Si quæstionem nunc expendamus quoad quasi-contractus ad sensum theologorum, id est relative ad officia seu munera, qualia sunt judicis, advocati, medici, parochi, confessarii, jurisconsulti, famuli, opificis, etc., in quibus tacita censetur existere conventio inter eos qui hæc exercent et eos qui opus illorum requirunt, invenimus apud theologos opinionem communiter receptam ordinarie non dari obligationem, ante sententiam judicis, reparandi damnum ex culpa mere juridica secutum. Talis quippe obligatio non nascitur, inquiunt, ex jure naturali, quod culpam theologicam exquirit, ut in tractatu *de Restitutione* dictum est; neque ex jure civili, in quo nullæ exprimuntur hujusmodi leges præsertim in praxi receptæ; neque ex implicito qui intervenit contractu, cum homines non ita communiter apprehendant. Aliunde talis obligatio portabilis non esset, cum varia officia actus fere totius vitæ nostræ contineant : si enim

ex culpa mere juridica oriretur restituendi obligatio ratione officiorum, quis timoratus ea vellet accipere? Ergo.

Diximus *ex culpa mere juridica;* nam si cum illa sit culpa theologica, applicanda erunt principia quoad culpam theologicam, sive gravem, sive levem, in tractatu *de Restitutione* posita. Operæ igitur pretium est scire quandonam negligentia in officio erit culpa theologica. Porro talis æstimatur ubi deest cura quam viri prudentes ac diligentes in tali officio adhibere solent: qui enim publica aut privata suscipiunt officia, ad hanc adhibendam curam se obligare censentur.

Hinc — a) qui dotibus requisitis carens, munus aliquod suscipit, contrahit obligationem conscientiæ reparandi damna ex incapacitate ejus secutura.

Hinc — b) patet non eumdem diligentiæ gradum requiri pro omnibus officiis et eorum actibus, sed proportionatum tum gravitati officiorum, tum specialibus circumstantiis rerum, personarum et locorum. Sic ordinarie minus censetur obligatus qui operam gratuito præstat, magis vero qui salarium accipit sive ab auctoritate publica, sive a privatis; magis adhuc qui se peritissimum jactat, aut majus exigit salarium, aut in causa est cur peritissimus arceatur, etc.

3° Quoad quasi-contractus ad sensum jurisperitorum, id est qui oriuntur ex facto hominis voluntario, ut explicatur articulis 1371 et 1372, juxta plures æquiparandi sunt officiis de quibus modo locuti sumus, licet quidam dicant eos annumerandos esse contractibus. Si autem de munere vi solius legis suscepto agatur, v. g., de tutela obligatoria, æquum est non majorem illi imponere obligationem ea quam homines intendunt suscipere in suis officiis, nec credendum est legislatores aliud voluisse. Igitur in utroque casu obligatio reparandi damnum ex ignorantia vel negligentia secutum non est gravis, saltem ante sententiam judicis, nisi culpa theologica fuerit gravis.

Cæterum in genere quando agitur de rebus ex contractu

tradendis et interea servandis, aut de rerum alienarum gestione ex quasi-contractu vel ex officio, illam curam lex exigit quam *bonus paterfamilias* non omittit in rebus propriis. Ex his mensuratur culpa debitoris, cujus tamen obligatio moderari debet ratione circumstantiarum, ut si quis, urgente necessitate, v. g., in incendio rem alienam suscepit custodiendam, *art.* 1374. Qualem autem de facto debitor admiserit culpam ad judicem pertinet æstimare, cujus sententiæ ex utraque parte, tuta conscientia, standum est. Vid. *Carrière*, n. 173.

III. De quantitate compensationis ob inexsecutionem contractus debitæ. — Restat quæstio de quantitate compensationis debitæ ob contractus inexsecutionem. Distinguendi sunt contractus de aliqua re præstanda et contractus de solvenda pecuniæ summa.

1° Quoad priores, vel præcessit conventio partium compensationem determinans, vel non : si prius, conventioni standum est, ex art. 1152, nisi modificetur a judice, secundum art. 1231, et hæc dispositio servanda est in conscientia, quia fuit velut contractus aleatorius, nisi tamen creditor necessitate debitoris abusus fuerit ad immodicam compensationem stipulandam. Si posterius, compensandum est lucrum cessans et damnum emergens, ex naturali æquitate et ex art. 1149. Si ex parte debitoris nullus intercesserit dolus, ea duntaxat reparanda erunt damna quæ tempore contractus prævisa fuerunt aut prævideri potuerunt. *Art.* 1150. Si adfuerit dolus, compensanda erunt etiam damna non prævisa, quæ directe et immediate ex non exsecutione conventionis sequentur. *Art.* 1151.

2° In contractibus autem de solvenda pecuniæ summa lex non ita permittit ut contrahentes compensationem pro libitu determinent : art. 1153 statuit compensationem generatim excedere non posse taxam legalem, scilicet 5 pro 100, vel 6 in materia commercii, sed creditorem illam semper exigere posse absque ulla damni probatione. Generaliter licet taxam legis exigere et non ultra : forte in quibusdam casibus accipietur ultra damnum reale,

in aliis minus : sic quædam generalis fit compensatio, et inde magna sequitur mentium tranquillitas. Hæc regula est simplex, in praxi facilis, legi conformis, communi hominum persuasioni accommodata. Ergo.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE VARIIS SPECIEBUS OBLIGATIONUM.

In duplici paragrapho dicemus 1° de obligatione conditionali; 2° de aliis obligationibus.

#### § I. — De obligatione conditionali.

I. DE NATURA CONDITIONUM. — Obligatio conditionalis ea est quæ sub aliquo eventu futuro et incerto contrahitur, sive illius validitas ad hunc usque eventum suspendatur, sive per illum revocetur. *Cod. art.* 1168. Quod ut melius intelligatur, notandum est varias distingui conditiones : alias suspensivas et alias resolutorias, alias positivas et alias negativas, alias casuales, alias potestativas et alias mixtas, alias possibiles et alias impossibiles.

*Suspensiva* ea est quæ contractus obligationem impedit donec advenerit eventus exspectatus. *Resolutoria* ea est quæ obligationem jam existentem, adveniente eventu revocat vel resolvit. Unde posterior hæc conditio non facit proprie contractum conditionatum, siquidem vim ejus non suspendit, bene vero resolubilem.

Conditio est *positiva*, quando contrahitur ex hypothesi quod quidam eventus, qui tam non evenire quam evenire potest, revera eveniat, v. g., si uxorem ducas. Est *negativa*, cum contrahitur ex hypothesi quod eventus contingens non eveniat, v. g., uxorem non ducas.

Conditio *potestativa* ea est quæ a libera voluntate unius e contrahentibus omnino pendet, v. g., centum nummos tibi dabo si taceas. *Cod. civ. art.* 1170. Conditio *casualis* est ea quæ nullo modo a voluntate contrahentium pendet,

sed respectu eorum est fortuita, v. g., villam meam tibi promitto si Petrus ex uxore sua filium non habeat. *Cod. civ. art.* 1169. Conditio *mixta* illa est quæ simul pendet a voluntate tertii aut a casu fortuito et a voluntate unius e contrahentibus, v. g., legatarium meum te constituam si consobrinam meam duxeris, vel si palmam in tali concursu reportaveris. *Cod. civ. art.* 1171.

Conditio *possibilis* ea est quæ potest impleri, et quam neque leges neque mores prohibent : eo ipso intelligitur quid sit conditio impossibilis. Quando impossibilitas conditionis oritur ex ejus repugnantia cum lege aut bonis moribus, dicitur communius illicita vel turpis.

II. De efficacia conditionum. — 1° Conditio suspensiva obligationem suspendit usquedum impleatur conditio. Interea debitor rei manet dominus, fructus ejus percipit et de periculis tenetur. Cum tamen contrahentes non merum inierint propositum, sed vinculum sibi imponere voluerint, conditionis purificationem exspectare, nec quidquam ei opponere tenentur. *Art.* 1182. Conditione adveniente, consensus suspensus eo ipso transit in absolutum, et contractus fit perfectus. Ex hoc instanti res fructificat creditori, qui pericula ejus suscipit. Conditione deficiente, contractus censetur ab initio nullus.

2° Si conditio sit resolutoria, ea adveniente, contractus ita resolvitur ut res ad priorem dominum redeat in eodem statu ac si nunquam exstitisset obligatio. *Art.* 1183. Ea autem deficiente, contractus censetur ab initio perfectus et jam irrevocabilis. *Art.* 1183 *et* 1184.

3° Si conditio sit potestativa, distinguendum est. Si sit mere potestativa, id est, si a voluntate unica debitoris pendeat, contractus nullus est, cum nullum sit vinculum. *Art.* 1174. Si conditio non sit mere potestativa, sed adjunctum habeat aliquod factum, v. g., si intra annum iero Lutetiam, vel si conditio pendeat ab altero contrahente, vel tertio, valet contractus. *Art.* 1169. Item, si conditio sit tantum resolutoria, v. g., loco tibi domum ad decem annos, nisi prius in eam regredi voluero.

4° Conditiones impossibiles reddunt contractum nul-

lum, quia nemo ad impossibile valide se obligare potest. Id etiam patet ex *art.* 1172.

Excipiuntur tamen ex *art.* 900 donationes inter vivos aut per testamentum, in quibus conditiones impossibiles pro non adjectis reputantur, et validitati contractus non nocent. Hæc validitas sic a lege pro foro civili statuta admittenda est etiam in foro conscientiæ, saltem probabilius; lex enim statuendo dictas conditiones habendas esse pro non adjectis, merito supponit inductas esse ex errore vel ex inadvertentia. Si tamen constaret donatorem aut testatorem voluisse suam liberalem dispositionem ab expressa conditione pendere, donatio non valeret. Vid. *Gousset* in *art.* 900.

5° De conditione turpi gravis movetur quæstio. Ut solvatur, notandum est quod res possit esse turpis *substantialiter* vel *accidentaliter :* est turpis substantialiter, quando in se mala est et nullo fine bono cohonestari potest, v. g., homicidium, adulterium, etc.; est autem turpis accidentaliter, si bona sit in se, mala vero tantum ratione alicujus circumstantiæ ipsi extrinsecæ, ut opus servile die dominica factum.

Si res non sit substantialiter mala, sed accidentaliter, nulla est difficultas; nam vel opus nondum peractum est, et non valet contractus; cum enim non possit perfici absque peccato, unusquisque contrahentium jus habet ut conditio illicita tollatur, vel ut contractus solvatur.

At si opus peractum fuerit, generaliter docent theologi dari obligationem pretium pro illo stipulatum solvendi, quia cum substantia operis supponitur bona, digna est pretio. Unde, qui opus servile die dominica faciendum mandavit, qui vinum ad se inebriandum postulavit, qui gladium ad aliquem occidendum emit, justum quod promisit pretium solvere tenetur.

Si tamen pretium ob ipsam malam circumstantiam fuisset promissum, adeo ut hæc circumstantia directe fuisset intenta, v. g., infractio legis Ecclesiæ opus servile dominica fieri prohibentis, tunc materia seu conditio esset substantialiter mala et recideret in sequentem hypo-

thesim, an, scilicet, opere substantialiter malo, v. g., homicidio, adulterio, meretricio, jam impleto, stricta sit obligatio solvendi promissum.

Difficultas igitur est an valeat contractus de re vel actione substantialiter mala, sive res illa sit mera conditio, sive sit materia conventionis.

Ad solvendam hanc difficultatem considerandus est contractus vel ante conditionis purificationem, vel adimpleta conditione, vel denique soluto pretio.

— A) Ante conditionis purificationem, certum est conventionem jure naturali nullam esse : nulla quippe existere potest obligatio rem substantialiter turpem exsequendi aut eam exspectandi. Hinc si decem francos promiseris puellæ ut tecum fornicetur, nulla est promissio : neque tu solvere debes, neque, si jam solveris, puella, conditione non impleta, pecuniam retinere potest, sed eam tibi reddere debet.

Attamen, in hoc et aliis similibus casibus, ubi turpitudo ex utraque parte se tenet, judicat *Delvincourt*, t. II, p. 309, non dari locum repititioni pretii jam soluti : sed hoc intelligendum est de foro externo tantum, si opus turpe nondum sit patratum : nam si lex unum punire voluit, alteri favere non debuit dominium pretii illi transferendo.

— B) Conditione vero impleta, alter obligaturne rem promissam in se bonam solvere? Circa illud punctum gravissima inter theologos movetur controversia.

Plurimi contendunt nullam esse obligationem solvendi, hisque præcipue nituntur rationibus : — a) quia turpes vel illicitæ actiones nullo pretio sunt dignæ, sed potius, æternis suppliciis; — b) quia actus in principio nullus, lapsu temporis fieri non potuit validus, absque novo voluntatis concursu, qui deest; — c) quia obligatio ad peccandum inducens valida esse non potest : porro talis esset obligatio de qua hic agitur. Sic enim qui malam promisit actionem ratiocinari poterit : Nullam adhuc habeo jus ad pretium promissum; mala actione peracta, jus habebo : oportet igitur ut illam statim impleam. Ergo.

Ita *Comitolus* in tota quæst. 5, l. III, Quæst. moralium. Sic sentire videtur *Collet* in Cont. *Tournely*, de Rest., 3ª part., cap. 1, art. 4. Plures alii citantur apud *Billuart* et *S. Ligorium*; ita etiam *Carrière*, *Lyonnet*.

Altera communior opinio tenet quod fuit promissum solvendum esse, et sequentibus fundatur motivis : — a) qui puellam sub spe matrimonii seduxit, illam ducere tenetur, ex dictis in Tractatu *de Rest.* : attamen conditio erat substantialiter turpis; — b) vel actio est pretio æstimabilis ratione laboris, periculi aut infamiæ, ut quidam volunt, vel non : si prius, actione completa, debetur pretium ex justitia; si posterius, debetur ex fidelitate; — c) opere completo, promissum denegari non potest quin fiat injuria ei qui illud peregit : in tantum enim injuria non fieret, in quantum solutio esset mala : at solutio non est mala, siquidem non fit tanquam malæ actionis pretium, sed ex fidelitate in promissis, quod valde honestum est. Si timendum sit ne talis obligatio incitet ad malum, nonne magis timendum est ne audaciores fiant seductores, si sciant se promissis a se factis non tenendos esse? Qui longiorem de illa quæstione legere voluerit discussionem, adeat Sylvium, quæst. 32, art. 7; card. *de Lugo; Billuart*, t. XIII, ubi de contract. sub conditione.

Fatendum est tamen hanc ultimam opinionem non strictis principiis fundatam videri. Non enim ex parte opus præstantis aliud potest invocari præter damnum probabiliter ex opere secuturum et ex parte pretium promittentis obligatio fidelitatis; at ex ipso contractu non videtur aliqua oriri stricta obligatio. Paritas quam hujus opinionis defensores afferunt ex obligatione illius qui puellam seduxit sub spe matrimonii non multum confert, cum obligatio allegata ex aliis causis præcipue oriatur ut jam observavimus in tract. *de Restit.* Quidquid sit de hujusmodi contractibus ex jure naturali, certum est illos jure positivo esse nullos, saltem pro foro externo, ex *art.* 1131, et nullam dari coram tribunalibus actionem : porro dubitari non potest hanc nullitatem etiam valere pro foro interno, quia modo absoluto pronuntiatur et propter moti-

vum boni publici. Inde ex dispositione legis soluta videtur ista quæstio in praxi. Fidelitati tamen et æquitati naturali magis consentaneum erit, si promittens quod promisit, solvat, imo aliquando stricte tenetur si nempe alterum ad crimen induxerit dolo, metu, vel mediis iniquis.

— C) Si non tantum adimpleta fuerit conditio, sed et pretium solutum, et sic conventio consummata, ad quid tenetur qui pretium accepit? Juxta priorem sententiam restituere teneretur; sed, soluto pretio, alia principia invocari possunt; etenim, ex lege civili nulla datur actio ad repetendum pretium sic solutum; insuper, qui promissum solvit vel obligationi fidelitatis satisfacere sibi proponit, vel simpliciter dare, et sic solvendo nullum jus sibi retinuit; ergo accipiens sine injustitia retinere potest. Vid. card. *Gousset* in *art.* 1133.

III. De adimpletione conditionum. — 1° *Quoad tempus.* Vel agitur de conditionibus positivis, vel de negativis, vel de potestativis.

Si de conditionibus positivis agatur, adimpletæ censentur quando casus expressus revera evenit, et tunc obligatio ab illo eventu pendens perfecta est. Si autem conventio inita fuerit sub conditione quod talis eventus tempore præfixo eveniret, et eo tempore non evenerit, conditio reputatur deficiens, et contractus est nullus; quando tempus non est præfixum, conditio deficere non judicatur nisi constet casum evenire non posse, *Cod. civ. art.* 1176, v. g.: decem francorum millia mihi promisisti si navis tua hoc anno ab India venerit: non venit hoc anno, ad nihil teneris. Si simpliciter dixisses: Decem millia francorum promitto si navis mea ab India veniat, conditio adimpleta non reputabitur nisi aut navis venerit, aut constet eam periisse. *Art.* 1176.

Si de conditionibus negativis agatur, vel tempus est præfixum, vel non; si tempus sit præfixum, conditio censetur adimpleta cum dicto tempore res non evenerit; pariter adimpleta judicatur si ante hoc tempus pateat rem non eventuram esse. Si vero tempus non sit præfixum,

conditio non erit impleta quin constet rem evenire non posse, v. g. : summam pecuniæ mihi promisisti ad damnum meum compensandum, si pater meus ex bello non redeat; conditio impleta non censebitur quin de mei patris morte constet, et, e contra, statim atque certa erit mors, conditio adimpleta reputabitur. *Cod. civ. art.* 1177.

Conditio potestativa adimpleta judicatur, quando qui sub illa se obligavit eam evenire impedivit. *Cod. civ. art.* 1178; v. g., decem francos alicui promittis si per decem dies tali hora e somno te excitat; singulis diebus ea præcise hora te excitare tentat; sed pluries non potuit quia janua erat clausa; conditio ex parte ejus est adimpleta, et decem francos illi debes. Secus si a tertio vel casu fortuito fuisset impeditus.

2° *Quoad modum.* Conditiones eo sensu adimpleri debent quo probabile est contrahentes eas impleri voluisse. *Cod. civ. art.* 1175. Itaque diligenter attendendum est quam intentionem partes inter contrahendum verisimiliter habuerint.

*Hinc*, si quis a debitore stipulatus esset ut pecuniæ summam Petro minori non emancipato daret, conditio non esset impleta, si debitor hanc summam dedisset ipsi Petro qui eam dissipasset; quia verisimile est intentionem stipulantis fuisse hanc summam non Petro, sed tutori ejus solvendam esse. Item si conditio magis videatur onus impositum, vel modus conventionis quam vera conditio, statim valida est conventio; contrahens quippe non judicatur consensum suum in illo casu suspendisse, v. g. : Anna quinquaginta dat francos juniori clerico ut vestem nigri coloris sibi emat; interea vestis ejusdem coloris et qualitatis ab altera persona ipsi datur, non ideo tenetur clericus quinquaginta francos restituere, si aliunde merito judicare possit quod Anna hanc summam principaliter illi dare voluerit; secus eam retinere non posset.

Adimpletio conditionis dividi non potest : nam contrahens censetur noluisse se obligare nisi ex hypothesi quod ex integro adimpleretur conditio. Ita *Pothier*, n. 215;

Theol. Cen. et *Delvincourt*. Unde, v. g., si Titius villam suam promiserit Petro ea conditione ut mille francos prius Joanni solveret, villam suam tradere non tenebitur, quin summa ex integro fuerit soluta.

3° *Quoad personas.* Conditio impleri non potest ab hæredibus ejus cui per testamentum fuerat imposita, quia legatum, cum sit in gratiam solius legatarii, corruit, si ante ipsius mortem conditio nondum fuerit impleta. *Art.* 1040. Imposita vero in contractibus, ab hæredibus impleri potest, quia contrahens non pro se tantum, sed et pro hæredibus contrahere censetur. *Art.* 1122.

Aliter tamen esset si unius contrahentium interesset, ut conditio ab ipsomet altero impleretur; v. g., si quis insigni pictori tabellam demandasset, ipsius maxime interesset ut tabella ab ipsomet pictore et non ab hæredibus ejus conficeretur.

Similiter conditio per testamentum imposita, impleri non potest erga hæredes ejus in cujus gratiam apposita est, quia conditio favorabilis habetur ut legatum ipsi factum et ad hæredes non transit; secus esset in contractibus, quia non solum pro nobis, sed pro causam a nobis habentibus stipulari possumus, ex eodem art. 1122.

### § II. — De aliis obligationibus.

Septem sunt aliæ obligationis species quas velut transeundo solummodo indigitaturi sumus : eas jam proprio nomine expressimus.

I. De diversis obligationibus intrinsece consideratis. — 1ª *est obligatio ad terminum.* Terminus est tempus præfixum quo obligatio impleri debet; unde ipsa obligatio non suspenditur, sed sola ejus exsecutio ad tempus fixum differtur, ita ut ante hoc tempus premi non possit : itaque terminus multum a conditione suspensiva discrepat, siquidem conditio ipsam vim obligationis suspendit. Insuper si debitor ante conditionis suspensivæ impletionem solvisset, daretur locus repetitioni; si vero ageretur de termino, quamvis solutio exigi non potuisset, exceptis

quibusdam casibus, ex art. 1188, nullus tamen datur locus repetitioni : in priori enim casu obligatio nondum existit, in posteriori autem vere perfecta est. Vide *Cod. civ. art.* 1185 *et seq.* Terminus censetur statutus in gratiam solius debitoris, nisi aliter expressum fuerit, aut constet ex circumstantiis, *art.* 1187, vel conventio sit in materia commercii. *Cod. de com. art.* 146. Si obligatio sit in diem incertum, v. g., cum navis ex India redierit, resolvitur in conditionalem et leges ejus sequitur.

2ª *est obligatio alternativa*, qua quis sic ad plura danda aut facienda tenetur, ut si unum faciat, a cæteris fiat liber, *Cod. art.* 1189; v. g., censum annuum tibi solvam in pecunia vel in frumento. Si electio creditori expresse non fuerit concessa, ad debitorem pertinet. Quando una ex rebus alternative promissis perit aut exstinguitur, non ideo cessat obligatio; si una tantum remaneat, eam debitor solvere tenetur, nec sufficeret pretium rei perditæ offerre. Creditor tenetur pariter eam acceptare, nec alterius pretium exigere posset, etiamsi ex culpa debitoris periisset. At si electionem vi contractus haberet, rem superstitem aut pretium alterius culpa debitoris perditæ exigere posset : si utraque res culpa debitoris periisset, pretium alterutrius, ad libitum, obtinendi jus haberet. *Cod. civ. art.* 1194. Si vero utraque sine culpa debitoris perierit, obligatio exstincta est. *Cod. civ. art.* 1195.

3ª *est obligatio indeterminata.* Ea est autem cujus objectum non est absolute determinatum, licet aliquo modo tamen determinatum esse debeat, saltem quoad speciem et quantitatem, ut supra diximus, *p.* 246.

4ª *est obligatio in solidum.* Sic dicitur quando, ex titulo conventionis vel obligationis, unusquisque inter plures creditores rem aliquam integram exigere potest, vel quando eadem res integra ab unoquoque ex pluribus debitoribus exigi potest, ita ut solutio facta uni creditorum in priori casu, vel ab uno debitorum in casu posteriori, obligationem finiat : igitur duplici sub respectu obligatio in solidum considerari potest, scilicet respectu creditorum et respectu debitorum. Speciales sunt regulæ

pro utraque solidaritate in *Cod. civ. art.* 1197 et sequent.

5ª *obligatio est divisibilis aut indivisibilis.* Hæc distinctio nullius esset momenti, si obligatio inter creditorem et debitorem remaneret ; nam inter utrumque, quamdiu vivunt, obligatio est indivisibilis. Sed, cum, ipsis mortuis, eorum jura et debita dividantur inter hæredes, maxime interest ut obligatio divisibilis ab indivisibili distinguatur.

Obligatio divisibilis ea est cujus objectum est res quæ in sua solutione vel traditione, aut factum quod in sua exsecutione dividi potest, sive ex natura sua, ut dolium vini ; sive ex fictione intellectus, v. g., jus in equum ; sive ex speciali conventione. *Cod. civ. art.* 1217.

Præcipuus illius effectus in eo consistit, quod, mortuo creditore, hæredes ejus non possint eam nisi pro sua parte exigere, vel, mortuo debitore, hæredes ipsius non teneantur hanc implere obligationem nisi justa ordinem quo in hæreditatem veniunt. *Cod. civ. art.* 1220 *et seq.*

Obligatio autem indivisibilis ita appellatur, quia habet pro objecto rem quæ in sua traditione, vel factum quod in sua exsecutione dividi non potest, v. g., jus transeundi per alterius agrum, obligatio domum ædificandi. Hæc obligatio primo intuitu eadem esse videtur ac obligatio in solidum ; ab illa tamen multum differt, ac præsertim in eo quod obligatio in solidum inter hæredes creditoris vel debitoris dividatur, et obligatio indivisibilis ad singulos hæredes integra transeat, semperque indivisibilis maneat. *Cod. civ. art.* 1224, v. g. : sculptor statuam promiserat Thomæ, singuli hæredes Thomæ exigere possunt a sculptore ut promissam tribuat statuam.

6ª est obligatio cum clausa pœnali, et ea intelligitur qua debitor ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum se astringit, ex hypothesi quod conventioni suæ desit, v. g. : si pretium equi tui intra tres menses non solvam, triginta francos adjiciam. Hæc obligatio est duntaxat accessoria : unde si obligatio principalis sit nulla, nulla erit clausa pœnalis ; si obligatio principalis exstin-

guatur, altera pariter exstinguitur. *Cod. civ. art.* 1226 *et seq.*

Omnes illæ diversæ obligationis species ita conscientiam obstrictam tenent, ut quicumque eas violant, ad restitutionem et ad damnum quod sequitur reparandum teneantur; evidenter enim dant alteri jus strictum, cujus transgressio onus restituendi inducere debet.

II. De obligationibus intrinsece per juramentum firmatis. — Distingui potest *obligatio firmata per juramentum.* Sed hic multiplex exsurgit quæstio prout juramentum accedit ad contractum validum, vel invalidum aut rescindibilem. Sed plura sunt notanda, antequam ad solutionem singularum veniamus.

1° Juramento promissorio, de quo hic agitur, duplex asseritur veritas sub attestatione supremi Dei nominis: una de præsenti, scilicet sinceritas in promittendo, et altera de futuro, nempe fidelitas in exsequendo.

Ex juramento valido gravis oritur obligatio adimplendi quod promissum est, quoties potest præstari absque peccato et alterius detrimento : hoc enim exigit honor Deo debitus, cujus supremum nomen fuit interpositum. At si res præstari non possit, vel quia non est licita vel quia in detrimentum alterius vergeret, juramentum non est validum.

Ingens autem datur discrimen inter obligationem juramenti et obligationem contractus. Prima est obligatio religionis; erga Deum solummodo obligat et vetat ne tremendum ejus nomen dehonestetur; afficit et obstringit immediate jurantem, et mediate bona ejus; unde ad hæredes non transmittitur. Altera est justitiæ; dat alteri jus strictum, jus proprietatis, ideoque ad hæredes transit integra.

Hinc obligatio juramenti potest subsistere independenter ab obligatione contractus, et tunc, non propter jus alterius, sed propter Dei honorem servanda est. Sed cum hæc obligatio sit vinculum religiosum, potestati spirituali subordinatur, et ab ea relaxari potest aut solvi, si adsit sufficiens causa.

2° Si juramentum accedat ad contractum validum, duplex existit obligatio, una religionis et altera justitiæ : si ergo hujusmodi obligatio non impleatur, duplex erit peccatum speciei diversæ. Sed juramentum omnino pendet ab ipso contractu , quem jurans intendit firmare , et ideo cessante obligatione contractus, cessat et obligatio juramenti.

3° Si juramentum accedat ad contractum invalidum, ipsum non potest confirmare, eo sensu quod ex nullo illum validum faciat; est enim actus contractui extrinsecus et naturam ejus mutare non potest. Sed ad majorem rei elucidationem videndum est undenam oriatur nullitas contractus.

Si nullitas contractus sit ex jure naturali, non est difficultas; nam sive contractus nullus fuerit ob defectum honestatis in objecto, sive ob defectum consensus, juramentum ei appositum erit pariter nullum, ac proinde sine effectu ; in priori casu , quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis; in posteriori , quia deest pariter consensus, et jurantis intentio non potest extendi ultra intentionem contrahentis.

Si contractus sit nullus ex jure positivo, sed ea nullitate quæ est *a priori* et sententiam judicis antecedit, non potest ex juramento consolidari. Lex enim, cum sit irritans, non tantum voluntati cujusvis contrahentis, sed et voluntati jurantis impedimentum opponit; alioquin via lata et facilis omnibus pateret ad eludendum quascumque voluerint leges etiam irritantes. Nec probabile videtur quod aliquam inducat obligationem religionis : quia nemo potest per juramentum obligari ad illud quod lex prohibuit tanquam bono publico contrarium.

4° Si demum contractus per juramentum confirmatus non sit validus neque nullus, sed rescindibilis, distinguunt theologi; an scilicet rescindiblis sit ex dispositione legis, vel ex facto alterius contrahentis. In priori casu dubitatur an contractus fiat per juramentum absolutus, et a jurante contrahatur obligatio justitiæ illum exsequendi. Cum enim ille contractus non sit nullus

nec a lege prohibitus, sed tantum ad nutum unius saltem e contrahentibus resolubilis, transibit in absolutum, si tantum alter ille contrahens in cujus gratiam lex fertur suo beneficio renuntiare possit. Sed in hoc ipso jacet dubium, an scilicet possit illud beneficium valide rejici, et stante lege, per juramentum illud impedimentum revocari quo tollitur firmitas contractus. Negat *D. Carrière* n° 227, et asserit hodie apud nos juramentum nullam vim conferre contractui coram lege.

At communiter admittunt theologi in hoc casu juramentum valere posse independenter a contractu et obligationem religionis inducere, quia, ut dictum est, valet et obligat, quoties serio et libere emissum est et potest teneri absque peccato vel alterius detrimento.

In posteriori casu, nempe si rescindibilitas contractus oriatur ex delicto alterius contrahentis, certum est nullam obligationem justitiæ contrahi a jurante : qui enim injuriam intulit nullum jus ex contractu acquisivit, et consequenter jurans non potest erga eum aliqua obligatione teneri.

Sed communius admittitur, sicut in superiori casu, ex juramento contrahi veram et gravem obligationem religionis. Non potest quidem injuriam inferens uti licite, neque etiam juste, juramento alterius ut aliquid accipiat : at qui injuriam passus est, erga injustum agressorem non tenetur ex juramento, sed erga Deum cui sese obstrinxit : non potest igitur promissionem frangere, quin gravem injuriam Deo inferat.

Hinc qui furi mortem minitanti summam pecuniæ promisit, et promissionem juramento confirmavit, eam solvere tenetur, quia, licet promissio non sit tantum rescindibilis, sed omnino nulla, potest tamen impleri sine peccato, et ideo debet, propter honorem Dei. Sed cum hæc obligatio sit ex religione, non vero ex justitia, affirmat S. Thomas, 2 2, q. 89, art. 7, ad 3, et, post illum, omnes fere theologi, pecuniam, si jam soluta fuerit, absque peccato repeti posse; quia ex una parte fur pecuniam accipiens nullum jus in eam acquisivit, et aliunde jurans,

pecuniam solvendo, juramento satisfecit. Quia tamen verba juramenti simplicissime et cum effectu accipienda sunt, et hujusmodi solutione videretur juramentum potius eludi quam impleri, ideo saltem prudentius erit ad dispensationem juramenti recurrere.

5° *Quæritur* ergo quandonam petere liceat dispensationem juramenti.

*R.* Non licet, si juramentum sit in confirmationem contractus validi. Ratio est quia obligatio juramenti non potest relaxari sine detrimento tertii cujus interest ut jus suum sit juramento firmatum. — Omnes fatentur licitum esse dispensationem petere si contractus fuerit nullus vel rescindibilis ex delicto alterius; tunc enim nullius jus violatur, et jurans e contra ab injustitia liberatur. — Idem dicendum est saltem in praxi, si contractus ex dispositione legis sit rescindibilis, quia de jure alterius non satis constat.

At si quis per secundum juramentum promisisset se prioris juramenti relaxationem nunquam petiturum esse, dicendum vel illud juramentum invalidum esse, quia potestatis spiritualis quodammodo limitativum esset, ipsique injuriosum ex parte juramentum extorquentis, vel causam simpliciter exponendam esse superiori spirituali ut, si dispensationem licet non petitam concesserit, ea jurans tuta conscientia uti possit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### QUOMODO CESSAT OBLIGATIO CONTRACTUUM.

Obligatio contractuum cessat statim atque solvitur vinculum quo una persona erga alteram tenebatur ad aliquid dandum, faciendum aut non faciendum. Vinculum autem istud diversis modis solvi potest, videlicet, solutione vel traditione rei, novatione, remissione debiti, compensatione, confusione, destructione vel perditione rei debitæ, nullitate aut rescissione conventionis et præscriptione.

De præscriptione sufficienter disseruimus in Tractatu *de Restitutione*. Quid vero per nullitates et rescissiones intelligendum sit, et quinam sint eorum effectus, jam supra explicavimus. Nonnullas tantum et brevissimas daturi sumus notiones circa alios exstinguendi obligationes modos

1° Per solutionem intelligitur præstatio cujuslibet rei debitæ, et etiam exsecutio facti promissi aut alias debiti. Si vis intelligere a quo, cui, quando, ubi et quomodo solutio fieri debeat, lege *Cod. civ. art.* 1235 *et seq.*

2° Novationis nomine intelligitur substitutio novi debiti debito veteri quod sic extinguitur. Triplici modo fieri potest : — a) inter easdem personas, v. g., decem vini dolia singulis annis tibi dare promisi; nunc convenio tecum ut vinum tibi dare amplius non tenear, sed mille francos; obligatio dandi vinum eo ipso est penitus exstincta; — b) interventu novi debitoris, qui substitutus in locum prioris, ipsum, creditore consentiente, ab obligatione liberat; — c) interventu novi creditoris, cui debitor jam obligatur, et hinc liberatur erga priorem. Novatio non præsumitur, sed necesse est ut novandi animus ex instrumento clare sequatur, *art.* 1273. Novus debitor substitui potest absque interventu prioris debitoris, sed non posset absque interventu creditoris, ad quem solum pertinet priorem debitorem liberare.

3° In his omnibus quæ ad bonum publicum non spectant unusquisque de jure suo cedere potest, modo ad contrahendum inhabilis non declaretur. Unde, si quis debitori suo ex plena libertate condonationem fecerit, ad nihil amplius debitor tenebitur. *Cod. civ. art.* 1282 *et seq.*

4° Compensatio est ficta et reciproca solutio quæ locum habet, quando personæ fiunt erga se invicem debitrices. Duplex distinguitur compensatio, una proprie dicta, et altera improprie dicta. Compensatio proprie dicta existit, cum creditor fit ipse debitor erga suum debitorem in eodem genere et eadem quantitate, v. g. : centum nummos pro vino tibi debeo, et pro centum nummis pannum tibi vendo. Compensatio improprie dicta est rei vel debiti re-

cuperatio facta a creditore, v. g. : viginti francos mihi debes et eos non solvis, viginti apud te subripio.

Certum est utramque compensationem obligationem exstinguere, imo et licitam esse si requisitæ serventur conditiones, ut in Tractatu *de Restitutione* vidimus, p. 152.

Pro compensatione proprie dicta seu legali, vide *Cod. civ. art.* 1289 *et seq.*

5° Confusio dicitur, cum obligatio debitoris et jus creditoris in eadem persona coadunantur, v. g., si creditor fiat hæres sui debitoris, vel debitor sui creditoris, vel si eadem persona fiat hæres creditoris simul et debitoris : manifestum est confusionem exstinguere obligationem : nemo quippe debitor esse potest erga seipsum. *Cod. civ. art.* 1300.

6° Destructio aut perditio rei non eximit debitorem ab obligatione solvendi, si agatur de debito rei incertæ et indeterminatæ, v. g., de dandis decem modiis tritici, vel equo in genere, quia genus non perit; nisi res indeterminata esset pars quantitatis determinatæ, quæ tota periisset. Si autem agatur de debito rei determinatæ, destructio aut perditio ejus absque culpa debitoris, eum ab obligatione liberat, quia materia contractus sublata, ipse tollitur contractus. *Cod. civ. art.* 1302.

Jam diximus supra cum qua cura debitor rem conservare teneatur, et ex qua culpa, pro varietate contractuum, res ipsi pereat.

*Quæritur* quid debitor facere debeat, si in clade communi, v. g., in incendio, rem suam et rem alienam simul salvare nequeat; et ad quid teneatur, si rem suam, relicta aliena, salvam fecerit.

*R.* 1° Si contractus sit in gratiam solius creditoris, rem ejus pretiosiorem conservare tenetur debitor cum dispendio rei suæ vilioris; sed valorem rei suæ repetere potest; nam illius jacturam patitur præcise quia rem alterius conservat : ergo justum est ut hæc jactura ipsi compensetur. Contra vero rem suam pretiosiorem imo et æque pretiosam cum periculo rei alienæ servare poterit, quia ipsius conditio melior esse debet. Imo, rem suam

minus pretiosam poterit servare in conscientia, si prævideat justam a domino rei alienæ non sibi dandam esse compensationem, quia, in eo casu, nulla est ratio cur gratis subire teneatur damnum ut rem alterius conservet.

*R.* 2° Si contractus sit in gratiam solius debitoris, ut in commodato, rem suam pretiosiorem conservare poterit, relicta re aliena viliori, sed damnum creditoris compensare tenebitur : tunc enim conditio creditoris debet esse melior : atqui non esset melior, sed deterior, si valor rei ejus ipsi non compensaretur. Ergo.

Propter eamdem rationem, debitor rem creditoris æque pretiosam cum propriæ rei detrimento servare tenetur, et ita fert art. 1882 Codicis civilis, ubi de commodatario. Stando juri naturali, hæc decisio apud doctores valde controvertitur.

*R.* 3° Si contractus sit in favorem utriusque contrahentis, debitor tenetur rem alienam pretiosiorem cum periculo rei propriæ vilioris conservare; rem vero suam pretiosiorem rei alienæ viliori præferre potest, nulla in utroque casu facta compensatione. Hæc decisio rejicitur tamen a multis, dicentibus debitorem rem propriam detrimento rei alienæ pretiosioris conservare posse, si res ista sibi videatur notabilis pretii, quia sufferre non tenetur extraordinarias expensas ad conservandam rem alienam. Si autem res utraque sit æque pretiosa, debitor, *a fortiori*, poterit suam alteri præferre; nam in pari conditione nemo tenetur rem alienam pluris quam suam facere. Ergo. Ita *Billuart*, t. II, de Jure et Justitia, et plures alii.

# PARS SECUNDA.

## DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

Non de omnibus et singulis contractibus in specie tractaturi sumus, sed de præcipuis tantum qui frequentius in praxi occurrunt. Itaque, hanc secundam partem in quatuor capita dividemus : in primo tractabimus de contractibus gratuitis, id est, de promissione, de donatione sive inter vivos sive per testamentum, de commodato, de mandato et de deposito; — in secundo de contractibus onerosis, scilicet, de venditione, de locatione, de contractibus aleatoriis; — in tertio, de mutuo et de contractibus mutuo affinibus, nempe de mutuo, de usura, de censu et de cambio; — in quarto tandem de contractibus accessoriis, videlicet de fidejussione, de pignore et de hypotheca.

## CAPUT PRIMUM.

### DE CONTRACTIBUS GRATUITIS, ID EST, DE PROMISSIONE, DE DONATIONE, DE COMMODATO, DE MANDATO, DE DEPOSITO.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE PROMISSIONE.

I. Quid sit contractus promissionis — Promissio est

contractus quo quis gratuito et libere obligat alteri suam fidem de re aliqua possibili et licita præstanda.

Dicimus *gratuito*, quia hic non agitur de promissione onerosa; promissio enim onerosa ad eos revocatur contractus quorum est promissio.

Dicimus *libere*, id est, cum plena cognitione et perfecto voluntatis consensu, ut explicavimus de contractibus gratuitis, in capite primo; alias, esset nulla vel rescindibilis.

Dicimus *quo fidem suam alteri obligat de re præstanda.* Unde promissio differt a donatione in qua res donatur et præstatur. Differt etiam a simplici proposito, quo quis fidem suam alteri non obligat, sed actualem suam voluntatem manifestat.

Dicimus *de re possibili et licita;* nemo enim potest valide se obligare ad faciendum aut præstandum aliquid impossibile vel illicitum, ut explicavimus agendo de objecto contractuum in genere.

II. De obligatione ex promissione proveniente. — 1° Promissio vera et serio facta obligat saltem ex fidelitate; virtus enim sinceritatis et veritatis exigit ut facta verbis sint conformia, siquidem non minus mendax et impostor apud omnes habetur qui non implet quod promisit, quam qui aliud dicit et aliud sentit. Ergo. Hæc autem obligatio non est sub gravi; violatio namque hujus obligationis non differt a mendacio : porro mendacium non est per se, et secluso damno ac scandalo, grave peccatum : ergo.

2° Promissio serio facta, cum intentione se stricte obligandi, et ex altera parte sic acceptata, obligat jure naturali et ex justitia; ad hoc enim sufficit ut promittens jus ad rem transferre potuerit et voluerit : atqui hæc duo certa sunt : — a) potuit, cum rei supponatur dominus; — b) voluit, cum serio ex intentione se obligandi fidem suam alteri dederit. Ergo.

Dicimus *cum intentione se stricte obligandi*, quia contractus, præsertim gratuiti, non obligant ultra intentionem contrahentis,

Dicimus *sic acceptata*, quia in omni contractu necessaria est acceptatio, ut explicavimus ubi de consensu. Sed in gratuitis præcipue vim habet regula juris : *Qui tacet, consentire videtur*, nisi obstet expressa dispositio, ut fert art. 932 pro donationibus.

Dicimus *jure naturali ;* leges enim nostræ de promissionibus gratuitis silent, sed eas non infirmant ; supponunt, e contra, valere omnes conventiones quæ nec bonis moribus, nec ordini publico, nec legibus adversantur : porro nulli ex iis adversatur promissio. Nec obstat *art.* 893, quo statuitur duos tantum esse modos gratuito disponendi, nempe donationem inter vivos et testamentum ; hic enim non disponitur, sed promittitur ; promissio igitur non est contra legem, sed præter legem.

Hæc autem obligatio de genere suo est sub gravi, sicut aliæ obligationes ex justitia ; sed theologi arbitrantur communius majorem requiri materiam ad peccatum mortale in violatione promissionis gratuitæ, quam in furto aut in damno illato, quia jus ex promissione acquisitum, licet verum, minus perfectum censetur quam si ex contractu oneroso acquisitum fuisset, et ita apprehendere videntur homines ; minorem enim injuriam sibi illatam ordinarie judicarent si quatuor nummi ex promissione debiti non solverentur, quam si unicus nummus per furtum apud ipsos subriperetur. Ergo.

Hinc, præter obligationem dandi objectum promissum, promissor tenetur reparare damnum promissario emergens occasione promissionis non impletæ, etiamsi promissio fuerit ficta, quia fuit hujus damni causa efficax et injusta. Sed non videtur teneri de lucro quod promissarius ex ipsa re promissa, aut ea mediante acquisiisset, ita *Carrière*, n. 271. Tantam enim obligationem sibi imponere voluisse non censetur promittens. Ubi realiter defuit consensus interior, non valet promissio in se, nec adest obligatio in conscientia rem promissam tradendi ; sed reparanda est injuria et compensanda sunt damna.

*Quæritur* utrum promissiones, prout ordinarie fiunt inter homines, obligent ex justitia,

*R.* 1° Sæpius promissiones, prout fiunt inter homines, non obligant ex justitia, nec etiam ex fidelitate ; nam sæpe promittentes fidem suam stricte obligare non intendunt, et quando dicunt *promitto*, *polliceor*, nihil aliud exprimere volunt, nisi actuale suum propositum et bonam voluntatem erga alios, non vero obligationem proprie dictam sibi imponere cogitant. Ergo.

*R.* 2° Sæpe promissiones „prout fiunt inter homines, obligant ex fidelitate, et non ex justitia; nam sæpe promittentes nolunt ex justitia se obligare : si ab illis quæreretur an, ex hypothesi quod promissionem non tenerent, ut fures vel boni alicujus injusti detentores haberi vellent, negative incunctanter responderent. Ita pariter ordinarie sentiunt ii in quorum gratiam hujusmodi promissiones factæ sunt. Ergo.

*R.* 3° Aliquando tamen promissiones ex justitia obligant, *ut supra probavimus*, quando scilicet promittens jus verum transferre intendit, et promissarius jus se acquirere credit. Talis autem censetur esse promissio : — a) si juramento confirmetur ; — b) si fiat coram testibus ad hoc vocatis, vel coram notario ; — c) si detur chirographum aut aliud instituatur instrumentum ;—d) si ex circumstantiis ita videatur stricta, ut contra justitiam peccare censeatur promittens illam non adimplendo. Hæc promissio, juxta omnes, est onus reale, ac proinde transit ad hæredes.

Si promittens non attenderit ad naturam obligationis quam sibi imponebat, tunc promissio non censetur obligare ex justitia et sub gravi, sed ex fidelitate tantum et sub levi ; cum enim tota promissionis obligatio a voluntate et spontaneitate procedat, debet esse omnino libera : porro non est omnino libera, quando perfecta non fuit advertentia. Ergo.

Pariter in dubio an promittens ex justitia voluerit se obligare, videtur quod tuto judicare possit se ex justitia non teneri ; nemo enim tenetur ex justitia ad onus grave, præsertim a plena liberalitate procedens, nisi sufficienter existentiam illius cognoscat : at in dubio promittens non

videtur sufficienter cognoscere existentiam obligationis quam libere sibi imposuisset. Ergo. Ita *Billuart*, qui hanc opinionem tradit ut communem.

III. De cessatione obligationis ex promissione provenientis. — Obligatio promissionis validæ diversis modis cessare potest : scilicet, — a) quando promissarius jus suum remittit, tunc enim obligationem promittentis tollit; — b) si res fiat illicita aut impossibilis, *ut patet ;* — c) si fiat noxia vel inutilis promissario, quia de essentia est promissionis gratuitæ ut ei sit grata in cujus fit gratiam; — d) si finis illius principalis penitus cesset; nam promissor non intendit se obligare, nisi ex hypothesi quod finis quem intendebat, vel motivum quo movebatur subsisteret : unde si dotem puellæ propter illius egestatem promisit, illam postea concedere non tenetur, si puella dives facta fuerit; — e) si tanta evenerit rerum aut circumstantiarum mutatio, ut prudenter judicetur quod promittens in tali casu se obligare noluisset; cum enim tota vis promissionis a voluntate promittentis pendeat, non obligat in iis casibus in quibus noluisse se obligare merito judicatur, et id verum est etiam in casu quo promissio juramento esset confirmata : nam juramentum apponitur tantum ad confirmandum obligationis existentiam; ergo si obligatio tollatur, tollitur simul juramentum.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE DONATIONE ET TESTAMENTO.

Donationis et testamenti definitiones. — Nemo de bonis suis titulo gratuito disponere potest, nisi per donationem inter vivos, et per testamentum in formis determinatis, ait lex, art. 893.

Donatio inter vivos est contractus quo quis actualiter et irrevocabiliter dominium rei suæ alteri acceptanti transfert. *Cod. civ. art.* 894.

Testamentum vero est actus revocabilis quo quis statuit omnia bona sua, aut quamdam bonorum suorum partem alteri, post mortem suam tantummodo, transmittendam esse. *Art.* 895.

Definitiones illas ex Codice civili depromptas diversis in locis postea explicaturi sumus.

Hic etiam communiter memorant auctores donationem quæ dicitur *causa mortis*, et definitur : Dispositio qua quis, ex mera liberalitate, alteri acceptanti transfert actualiter dominium rei suæ, sub conditione quod eam repetere possit, et si moriatur absque revocatione, res sit acceptantis. *Toullier*, t. V, n. 5.

Unde hæc dispositio quasi medium tenet inter donationem inter vivos et testamentum, et ex utroque aliquatenus participat.

An et quomodo adhiberi possit, patebit ex dicendis.

Nonnullæ sunt regulæ cunctis donationibus sive inter vivos, sive per testamenta communes ; aliæ donationibus inter vivos sunt speciales ; aliæ vero speciales testamentis ; aliæ donationibus cum onere, seu substitutionibus ; aliæ partionibus ab ascendentibus inter descendentes ; aliæ denique donationibus inter sponsos.

His præmissis, dicemus 1° de regulis donationibus inter vivos et testamentis communibus ; 2° de regulis donationibus inter vivos specialibus ; 3° de regulis specialibus testamentis ; 4° de quibusdam aliis peculiaribus donationibus.

### § I. — De regulis donationibus inter vivos et testamentis communibus.

Aliæ spectant ad capacitatem donandi et accipiendi ; aliæ ad partem bonorum quæ dari potest ; aliæ ad formalitates in dando et accipiendo servandas juxta legem civilem ; unde triplex erit sectio.

SECTIO PRIMA. — *De capacitate donandi et accipiendi, seu de his qui ad donandum et accipiendum sunt habiles.*

Hæc personarum habilitas sub duplici respectu considerari potest, scilicet quoad jus naturale, et quoad jus positivum.

*Punctum primum.*—De habilitate ad donandum vel accipiendum ex jure naturali spectata.

Hic expenditur quæstio ex jure naturali, tum quoad facultatem disponendi inter vivos, tum quoad facultatem disponendi per testamentum; hinc duplex propositio.

PROPOSITIO PRIMA.

*Omnes qui usum rationis habent, valide possunt jure naturali donare inter vivos et acceptare.*

*Prob.* 1° Omnes qui usum rationis habent, valide possunt donare et acceptare inter vivos; quisquis enim alicujus rei est dominus, eam pro libitu gratis donare potest absque cujusvis injuria. Ergo.

2° Antequam leges positivæ conderentur, homines procul dubio bona sua poterant sibi invicem titulo gratuito valide transmittere : attamen id non potuissent, si hæc facultas non esset naturalis, sed a legibus positivis oriretur. Ergo.

3° Si hæc facultas a legibus positivis ortum duceret, ea uti non possemus nisi inquantum lex eam nobis concederet. Unde cum jus novum de donationibus rerum mobilium quæ fiunt de manu ad manum non loquatur, donationes illæ habendæ forent ut nullæ : porro illud admitti non potest; hujusmodi enim donationes ut legitimæ ab omnibus admittuntur, modo fiant inter personas jure positivo non prohibitas. Ita expresse sentit *Delvincourt*, t. I, p. 715.

Denique lex civilis, art. 1123, eos omnes contrahere

posse declarat qui a lege inhabiles non constituuntur, nec distinguit inter contractus onerosos et contractus gratuitos. Imo art. 902 sic se habet : « Toutes personnes » peuvent disposer ou recevoir', soit par donation entre » vifs, soit par testament, excepté celles que la loi en » déclare incapables. » Ergo legislatores supponunt hanc facultatem a legibus non venire, bene vero juris esse naturalis.

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Omnes pariter jure naturali possunt de bonis suis per testamentum valide disponere.*

*Prob.* 1° *ex ipsa lege civili.* Art. 902 modo citato, quicumque a lege non impeditus, disponere potest per testamentum; ergo a lege hanc non tenet facultatem.

*Prob.* 2° *Ex Scriptura sacra.* Gen, xv, 3 : *Additque Abraham : Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus muus* (Eliezer) *hæres meus erit.* Unde sic : Abraham nullis tunc saltem valde probabiliter, regebatur legibus positivis : atqui tamen intendebat servum suum instituere bonorum suorum hæredem, sicque de bonis suis per actum testamentarium disposuisset : ergo persuasum habebat talem facultatem a legibus positivis non exoriri.

*Prob.* 3° *ratione.*— a) Jus per testamentum disponendi procedit ex ipso jure proprietarii, quod imperfectum esset, si non posset homo actu ultimæ voluntatis bona sua tribuere cui libere disposuit. — Adde quod sæpe in utilitatem propriam disponit testator de bonis suis, vel in reparationem injustitiæ. Unde, apud omnes gentes dispositiones ultimæ voluntatis tanquam sacræ habentur, et omnes leges omnium populorum jus testandi præexistere supponunt.

— b) Si homines non haberent ex natura jus per testamentum disponendi, nec ipsi patres ad filios bona sua transmittere possent; si autem possunt, ideo et valide possunt testari et aliquando sibi eligere et adoptare pro filio tanquam hæredem quem voluerint.

— c) Si hominibus jus naturale testandi non competeret multa inde nascerentur incommoda, tum circa bona, tum erga homines. Nedum enim aliquis bona sua augeret, nesciens cui congregaret, ea e contra dissiparet, et appropinquante morte consumeret in detrimentum boni communis et animæ suæ. Inde etiam nascerentur inter homines jurgia multa propter occupationem hujusmodi bonorum, quæ ex jure naturæ ad primum occupantem pertinerent; vel si gubernia ea sibi statuta lege reservarent tanquam vacantia, mox bona privata, uti volunt cujusque nominis societatis hostes, variis guberniis cederent, quod a nemine sano admitti potest.

Hanc propositionem substantialiter admittit et fusius defendit Lessius, lib. III, cap. 19, dub. 3. Idem docent vel supponere videntur Sylvius, *Layman*, *Collet* et *Billuart*, ubi de Testamentis.

*Dices*: Qui de bonis suis per testamentum disponit, eorum usque ad mortem retinet dominium: at illorum dominium post mortem transferre jam non potest: ergo dominium hujusmodi bonorum vi legis solummodo transfertur. Ita multi juristæ et in primis *Delvincourt*, t. I, p. 700 et 716.

*R. Nego consequentiam;* nam donatio sub conditione suspensiva facta non valet donec impleatur conditio, sed ipsamet conditionis impletione, sine novo actu voluntatis, fit valida: atqui dispositio per testamentum nihil aliud est quam donatio sub conditione mortis. Ante mortem igitur nondum est valida, sed adveniente morte, fit valida et dominium vi actus voluntatis præcedentis transit ad legatarium statim atque donator moriendo illud amittit. Ergo.

Hinc sequitur quascumque dispositiones, legibus positivis non clare prohibitas, esse validas; facultate enim naturali valide ac licite uti possumus, dum illius usus lege positiva non restringitur, et omnis restrictio clare exprimi debet; nam *odia restringi convenit;* est regula juris 15.

*Nota.* Etsi facultas testandi non admitteretur tanquam

lege naturali fundata, saltem constat, ex *Cod. civ., art.* 902, capacitatem donandi, sive inter vivos, sive per testamentum, pertinere ad omnes qui lege non declarantur inhabiles. Hæc igitur facultas est generalis, et nemo ea privari potest, nisi manifesta legis dispositione. Unde nobis investigandum est quinam ad donandum aut accipiendum declarentur inhabiles, et quænam solemnitates seu formalitates requirantur.

*Punctum secundum.* — De capacitate donandi et accipiendi ex jure civili spectata.

I. De inhabilitate ad donandum. — Ex jure civili potestas donandi restringitur juxta sequentes regulas :

1° Minores et mulieres sub potestate viri constitutæ, generatim ad donandum sunt inhabiles; non possunt enim in sui detrimentum contrahere, *ut vidimus;* per donationes autem in sui detrimentum contraherent. Ergo.

Diximus *generatim;* nonnulli enim sunt casus in quibus donare possunt. — a) Sic minores per contractum matrimonii dare possunt, accedente consensu eorum qui matrimonio consentire debent. *Cod. civ. art.* 1095. Sed, post matrimonium contractum, alias donationes facere nequeunt, donec ad majoritatem pervenerint. Ut autem cognoscatur quorum consensus ad matrimonium sit requisitus, lege *Cod. civ., art.* 148 et seq.

— b) Sic minores qui ad annum decimum sextum completum pervenerunt, donare possunt per testamentum, sed dimidiam tantum partem bonorum quæ dare possent, si majores essent. *Cod. civ., art.* 904.

— c) Sic mulieres conjugatæ dare possunt inter vivos cum expresso maritorum suorum consensu, vel cum auctoritate tribunalis justitiæ primæ instantiæ. *Cod. art.* 217, 219 *et* 905. Pariter semper donare possunt per testamentum, sine mariti consensu, et absque judicis approbatione. *Eodem art.* 905.

2° Item inhabiles ad donandum declarantur qui legaliter aut judicialiter sunt interdicti; pariter qui subji-

ciuntur concilio judiciario, ut explicatum est in speciali articulo. Similiter ex jure positivo valide donare non potest qui sanæ mentis non est, scilicet non sui compos. *Cod. civ. art.* 901. Hinc donationes illæ, quæ dicuntur *ob irato*, vel aliæ hujusmodi, non solum irritæ sunt si rationis usus omnino fuerit perturbatus, sed in foro externo impugnari possunt, si manifesta exhibeantur signa iræ, odii, dementiæ, etc., juxta *Delvincourt*, t. I, p. 712, *Paillet*, *Rogron*, etc., in *art.* 901. Sententia semel obtenta, valebit irritatio etiam pro foro conscientiæ. Ante sententiam, distinguendum est : vel adfuit vis aut dolus ex parte donatarii aut in ejus gratiam, vel non ; in priori casu irrita est dispositio, ex dictis ubi de consensu ad actus gratuitos ; in posteriori casu, valere videtur dispositio.

3° Ex *art.* 444 *Cod. com.* inhabiles ad donandum declarantur qui bona cesserunt, intra decem qui declarationem decoctionis præcesserunt.

4° Moniales quoad communitatem suam et singula ejus membra, quibus simul sumptis donare non possunt ultra quartam bonorum suorum partem, nisi donatio non excedat decem millia francorum aut sit in favorem hæredis directæ donatricis vel testatricis. Sic statuit lex 24 maii 1825, *art.* 5, sed valet tantum pro foro externo.

II. De inhabilitate ad accipiendum. — Duplex distinguitur hujusmodi inhabilitas : alia est absoluta, et alia relativa.

1° Inhabilitas absoluta ea est quæ efficit ut quis a nemine acceptare possit. — a) Sic inhabilis est ille qui nondum erat conceptus tempore quo facta est acceptatio, si donatio sit inter vivos, vel tempore quo vita donator decessit, si de donatione per testamentum agatur. Ratio est, quia necesse est ut donatarius sit dominii capax tempore quo donatio suum habet effectum et proprietas transmittitur. Similiter inhabilis est qui, licet eo tempore conceptus, non tamen postea natus est vitalis : itaque, si mortuus aut moriens nascatur, donatio erit nulla, et bona ad hæredes testatoris redibunt. *Cod. civ. art.* 906.

A dispositione præcedenti excipitur casus in quo dona-

tio habet pro objecto bona ventura quæ liberis ex tali matrimonio nascituris dari possunt. *Art.* 1082.

Hinc nulla est, in foro civili, dispositio facta in gratiam pii instituti fundandi, nisi agatur de capella erigenda, aut donatio fiat directe alicui personæ cum onere tale fundandi pium institutum, v. g., *un établissement de sœurs dans une paroisse*. Vide *Vuillefroy*, p. 119.

—b) Sic uxores sine maritu consensu vel judicis pacis auctoritate nihil accipere possunt.

Vi novæ legis diei 14 julii 1819, extranei non sunt inhabiles ad donandum neque ad accipiendum.

2° Inhabilitas relativa est illa vi cujus aliquis nihil a quibusdam personis accipere potest, quamvis ab aliis accipere valeat. — a) Sic tutor nihil etiam per testamentum accipere potest a pupillo donec ad majoritatem pervenerit, et cunctas tutelæ rationes illi reddiderit. Excipitur casus in quo tutor unus ex ascendentibus pupilli esset : tunc supponitur donationem fieri propter consanguinitatem, non vero propter metum aut aliud particulare motivum illicitum. *Art.* 907.

— b) Sic spurii nihil a patre aut matre accipere valent ultra quantitatem quam vi successionis obtinere possunt. *Cod.civ., art.* 908.

Variam autem portionem accipere possunt vi successionis, pro variis casibus qui sic in novo Codice exprimuntur : « Si le père ou la mère a laissé des descendants » légitimes, ce droit est d'un tiers de la portion héréditaire que l'enfant naturel aurait eue, s'il eût été légitime : il est de la moitié, lorsque les père ou mère ne » laissent pas de descendants, mais bien des ascendants, » ou des frères ou sœurs : il est des trois quarts, lorsque » les père ou mère ne laissent ni descendants ni ascendants, ni frères ni sœurs. » *Art.* 767. « L'enfant naturel a droit à la totalité des biens, lorsque ses père ou » mère ne laissent pas de parents au degré successible. » *Art.* 758. « La loi ne leur accorde de droits sur les biens » de leur père ou mère décédés, que lorsqu'ils ont été » légalement reconnus. Elle ne leur accorde aucun droit

» sur les biens des parents de leur père ou mère. » *Art.* 756.

Spurii igitur non legaliter recogniti nullum habent jus ad quamlibet portionem hæreditatis patris aut matris.

Intentio legislatorum videtur fuisse hanc prohibitionem, ad servandos bonos mores valde utilem, obligare etiam in foro conscientiæ, ita ut donationes ei oppositæ radicaliter sint nullæ.

Gradus consanguinitatis ad succedendum requisitus, est duodecimus, juxta computationem civilem, ex articulo 758; sextus, juxta computationem canonicam.

Infantes adulterini et incestuosi nihil omnino a patre nec a matre accipere possunt præter alimenta. *Cod. civ. art.* 762.

Incestuosi ei dicuntur qui nati sunt ex commercio inter personas consanguineas aut affines in gradu a lege prohibito, id est, inter ascendentes et descendentes, sive consanguineos, sive affines in linea recta; in linea vero collaterali, inter fratrem et sororem, sive legitimos, sive naturales seu spurios, consanguineos vel affines; similiter inter amitam et nepotem, avunculum et neptem in consanguinitate. *Cod. civ art.* 162 *et* 163.

—c) Sic medici, chirurgi, pharmacopolæ et divini cultus ministri, qui operam alicui personæ in ultimo morbo præbuerunt, nihil ab ea titulo gratuito accipere possunt, nec per se nec per alios, vi donationis inter vivos aut per testamentum in illo morbo conditum, nisi forte donatoris sint hæredes directi, aut collaterales intra quartum gradum, et ille nullos habeat hæredes directos. *Cod. civ. art.* 909. Hoc in casu accipere possunt titulo universali, v. g., tertiam, quartam partem, et, a fortiori, titulo particulari.

Sola confessio pro ministro catholico incapacitatem accipiendi constituit.

Diximus *titulo gratuito;* nam hi omnes aliquid determinatum accipere possunt titulo remunerationis, modo hæc remuneratio sit proportionata et facultatibus remunerantis et curis ac obsequiis illi a remunerato præstitis. *Eodem articulo.*

Diximus *sive per se, sive per alios;* dispositio enim, durante ultimo morbo, in gratiam medici, chirurgi, etc., facta, expresse declaratur nulla, sive sub contractus onerosi specie sit occultata, sive videatur facta erga alias personas quæ dicuntur interpositæ. Pater, mater, conjux, liberi et alii hominis inhabilis descendentes reputantur in jure personæ interpositæ. *Art.* 911. Nulla igitur admittitur probatio contra hanc interpositionem. Contra vero interpositio aliarum personarum in foro externo probari debet; sed in foro interno, si vere existat, conscientiam tenet obstrictam. Regulas statuemus agendo de substitutione.

—d) Sic xenodochia, pauperes alicujus communitatis, seminaria, monasteria virginum approbata, aliaque publicæ utilitatis instituta, nec donationes, nec legata accipere possunt, si trecentos francos excedant, quin prius expressa imperatoris approbatio fuerit obtenta. *Art.* 810. Hæc autem approbatio nunquam obtineri potest pro instituto vel pro quacumque communitate, cujus existentia non fuit prius per decretum approbata. Si donatio trecentos francos non excedat, approbatio præfecti sufficit. (*Ordonnance du* 2 *avril* 1817 *et loi du* 24 *mai* 1825.) Illa tamen legis dispositio vel est simpliciter forma ad essentiam donationis non pertinens, vel saltem non extenditur ad donationes quæ quotidie fiunt de manu ad manum; sic enim in praxi tenetur et omnes apprehendunt. Communitates non legaliter approbatæ, ut tales nihil acceptare possunt modo legali, bene vero earum membra, quatenus sunt personæ privatæ, ut cæteri cives, et non aliter.

Contra vero aliæ personæ quæ inhabiles declarantur, nihil accipere possunt ultra id quod lex permittit : lex enim illa est determinativa proprietatis, ac proinde stricte obligat. Ita generaliter theologi, et *Delvincourt*, in decisione manuscripta.

Prohiberi tamen non videntur modicæ illæ dispositiones quæ communiter inter timoratos fieri solent ad fovendam amicitiam, ad gratitudinem testificandam, ad

beneficia obtinenda, etc.; hujusmodi namque donationes stricte non reputantur gratuitæ, nec legibus oppositæ.

SECTIO SECUNDA. — *De parte bonorum quæ dari potest.*

Ex jure civili non semper omnia bona donari possunt, aut si aliquando ultra partem quæ dari potest disposuerit donator, hæc donatio reductionem patietur.

*Punctum primum.* — De reservatione.

I. QUID SIT RESERVATIO. — Si lex non obstaret, unusquisque omnia bona sua secundum beneplacitum libere donare posset; sed variis in casibus lex positiva certos posuit limites quos absque injustitia prætergredi non licet, nam dispositiones directe tunc contra mentem legislatoris essent. Pars autem cujus donationem lex prohibet olim dicebatur *legitima :* nunc vocatur *reservatio*, id est, portio hæredibus vi legis necessario reservata.

II. DE IIS QUI AD PORTIONEM RESERVATAM JUS HABENT. — Lex nullam exigit reservationem in gratiam fratrum aut sororum, nec proinde in gratiam aliorum in linea collaterali consanguineorum : unde qui nec ascendentes nec descendentes habet, omnia bona sua, sive inter vivos, sive per testamentum donare potest. *Cod. civ. art.* 916. Peccaret tamen etiam graviter, si naturales hæredes suos præsertim propinquiores sic frustraret, nisi rationabili duceretur motivo; id quædam naturalis æquitas omnibus dictare videtur. Motivum istud judicio viri prudentis ex diversis circumstantiis pensandum est : at, etiamsi nullo rationabili motivo duceretur, contra justitiam tamen commutativam non peccaret, ac proinde legatarii restituere non tenerentur, nisi forte ex charitate ad vitandum scandalum.

III. DE QUANTITATE RESERVATIONIS. — Aliqua autem existit reservatio in favorem ascendentium et descendentium, et hæc pro diversis casibus variatur,

1° Qui ascendentes in utraque linea habet, dimidiam tantum partem bonorum suorum donare potest; tres vero ex quatuor partibus (*les trois quarts*), si ascendentes in alterutra duntaxat linea habeat. *Art.* 915.

2° Qui unicum et immediatum habet descendentem, id est filium aut filiam, dimidiam partem bonorum suorum dare potest; tertiam partem si duos, et quartam si tres aut plures habeat. Inter liberos reputantur nepotes, sed pro stipite tantum ex quo descendunt : hinc qui unicum habet filium et ex illo decem nepotes, nihilominus dimidiam bonorum suorum partem dare potest. *Cod. civ. art.* 913 *et* 914.

3° Qui ascendentes aut descendentes habet, uni ex illis eam dare potest bonorum suorum portionem de qua erga extraneos disponere posset, et hic nihilominus pro sua qualitate hæredis in successionem veniet, modo hoc statuerit donator. *Cod. civ. art.* 919. Sic pater qui tres, quinque aut decem habet liberos, quartam omnium bonorum suorum partem uni ex illis, extra ipsius partem, donare potest. At gravis requiritur ratio ut pater licite hujusmodi donationem facere possit, propter odia et dissidia quæ communiter inde oriuntur in familiis.

Si pater aut mater uni ex liberis suis bonum aliquod vendidit sub conditione census vitalis (*rente viagère*), vel usumfructum sibi reservando, venditio hæc pura donatio reputatur, ac proinde si excedat portionem quæ legitime dari poterat, reducitur, et pars excedens ad massam hæreditatis refertur. *Art.* 918.

IV. Quomodo computatur reservatio. — Ut reservatio recte noscatur, coadunantur omnia bona tempore mortis donatoris existentia, quibus adjiciuntur bona ab eo per actus inter vivos donata, secundum eorum statum momento donationis et valorem quem habebant tempore mortis donatoris, quibuscumque oneribus deductis. *Cod. civ. art.* 922.

*Punctum secundum.* — De donationum reductione.

Cum donator alteri transmittere nequeat dominium bonorum suorum quæ hæredibus ipsius a lege reservantur, certum est legatarium excessum acceptare non posse, nec acceptum retinere, quando moraliter certus est partem reservatam lædi. Non ideo donatio est nulla, sed post mortem donatoris reductibilis est ad portionem quæ dari poterat. *Art.* 820.

I. In quorum gratiam et quo ordine fiat reductio. — Soli hæredes et ab iis causam habentes, ut, v. g., creditores, reductionem donationis inter vivos exigere possunt; nam in favorem hæredum hæc reservatio fuit instituta. *Cod. civ. art.* 921. Aliud est in donationibus per testamentum, ut infra ostendemus.

Si plures sint donationes inter vivos, reductio, post exhausta omnia legata, fit incipiendo a novissima, et sic ascendendo usque ad primam, si opus fuerit, donec reservatio debita obtineatur. Ratio est, quia ultimæ donationes impediunt ne reservatio maneat integra; donationes enim quæ fiunt, dum reservatio manet integra, sunt validæ; quæ vero reservationem lædunt, jam validæ esse non possunt : ergo ab ultimis reductio incipi debet. *Cod. civ. art.* 923.

Quamvis donationes inter vivos reservationem non lædant tempore quo fiunt, non tamen sunt validæ, nisi sub conditione resolutoria; si enim ante mortem donatoris bona reservata quacumque via pereant, donationes antea peractæ reductioni subjicientur. *Cod. civ. art.* 922, et *Delvincourt*, t. I, p. 742.

Si autem plures existant donationes per testamentum, et portionem quæ dari poterat excedant, omnes æqualiter sunt reductibiles, id est, ab omnibus pro singulorum quantite detrahitur, et quidem merito; nam donationes per testamentum non sunt validæ nisi in ipso mortis instanti : ergo omnes eodem instanti perficiuntur, vel omnes simul reservationem lædunt : ergo omnes reduci de-

bent. Si tamen testator aliquam ex illis privilegiatam esse voluisset, et expresse id declarasset, hæc non reducerctur nisi ex hypothesi quod cæteræ ad reservationem constituendam non sufficerent. *Cod. civ. art.* 926 *et* 927.

Donationes inter vivos nunquam reduncuntur, quin prius omnes donationes per testamentum exhaustæ fuerint, idque ex rationibus expositis sequitur. *Art.* 923.

II. De effectibus reductionis. — Bona quæ per reductionem hæredibus defuncti adscribuntur, ad ipsos redeunt ab omni et quolibet onera libera, in cujuscumque manu tunc existant. *Art.* 929. Attamen mobilia non repetuntur apud alienos, nec ipsa immobilia, quando, discussis omnibus bonis donatarii, invenitur unde æquivalens solvatur. Similiter fructus illorum bonorum a die obitus defuncti ad hæredes pertinent, etiamsi possessor in bona fide exstitisset; nam art. 928 non distinguit, sicque in eo casu derogat articulo 549 quo statuitur fructus rei alienæ ad possessorem bonæ fidei pertinere. Si tamen hæredes intra primum annum ab obitu defuncti reductionem non postulassent, a die petitionis tantum fructus repetere possent, *art.* 928, nec præcedentes possessor reddere teneretur, si in bona fide fuisset.

Justam exigere posset compensationem pro impensis necessariis in re conservanda factis; item et pro impensis utilibus, secundum valorem inde adjectum rei a tempore donationis, non vero pro impensis ordinariis, nec pro voluptuariis, nisi eas, absque detrimento rei, auferre possit: quo in casu poterit vel adjectum auferre, vel compensationem exigere. *Cod. civ. art.* 861, 862.

Sectio tertia. — *De solemnitatibus a lege præscriptis juxta quas donationes fieri debent.*

Ex art. 893 superius relato, omnes donationes inter vivos et per testamentum in formis determinatis fieri debent. At formæ istæ, seu solemnitates, a lege præscriptæ, sunt ne ita essentialiter requisitæ ut donatio quæ illis vel aliqua ex illis caret, eo ipso sit nulla, etiam pro con-

scientiæ foro et ante judicis sententiam? Manifestum est illam quæstionem maximi esse momenti et frequenter occurrere in praxi.

Plurima autem sunt certa et ab omnibus theologis et legisperitis admissa.

1° Certum est donationes istas nullam vim habere in foro civili; semper enim judices eas pronuntiant irritas, quando aliqua carent formalitate a lege sub pœna nullitatis præscripta, atque jubent ut donatarius rem acceptam remittat illiusque fructus restituat, nisi fuerit in bona fide : quo in casu fructus facit suos, ex art. 549 et 550.

2° Certum est donationem in foro interno esse nullam, si donator plena libertate non gaudeat; cum sit enim gratuita, ex spontaneitate procedere debet, et perfectam requirit libertatem.

3° Si donator jure positivo declararetur inhabilis, donatio saltem rescindibilis esset, prout diximus ubi de minoribus et interdictis tractavimus.

4° Certum est quamcumque donationem esse nullam, si donatarius ad accipiendum jure sit inhabilis : *patet ex supradictis.*

5° Certum est denique apud omnes donationem esse nullam, si habeat pro objecto eam bonorum portionem quam leges dare non permittunt, *ut vidimus in sectione præcedenti.*

*His prænotatis*, quæstio igitur ad hoc reducitur, an videlicet donatio libera inter personas jure habiles facta, portionem bonorum a lege permissam non excedens, sit in foro conscientiæ valida, quando aliqua ei deest formalitas a lege præscripta.

Vel donatio est inter vivos vel per testamentum. De utraque seorsim agemus. Postea examinabimus an et quomodo fieri ac valere possint quædam donationes speciales absque formis consuetis, videlicet donationes manuales, indirectæ, accessoriæ, remuneratoriæ et onerosæ.

*Punctum primum.* — De donationibus inter vivos.

Triplex potissimum distingui potest opinio. Prima, quæ communior videtur, tenet donationes formis legalibus destitutas omnino validas esse pro foro conscientiæ. Secunda pronuntiat eas invalidas esse in foro conscientiæ etiam ante judicis sententiam. Tertia docet eas esse validas, sed rescindibiles saltem per judicis sententiam.

PROPOSITIO.

*Donatio inter vivos certo libera, inter personas ad donandum et accipiendum habiles, partem bonorum quæ dari potest non excedens, in foro conscientiæ valida est, saltem ante sententiam judicis, licet formis a lege præscriptis sit destituta.*

*Prob.* Donatio de qua hic agitur procul dubio valida esset jure naturali : non potest ergo fieri nulla nisi auctoritate legis, ut omnes fatentur, et non habenda est ut auctoritate legis irrita, nisi lex irritationem clare exprimat, etiam quoad forum internum ; *odia* enim *restringi convenit.* At lex civilis irritationem prædictæ donationis non clare exprimit quoad forum internum. Citantur enim art. Codicis 931 et 948, in quibus dicitur : « Tous actes » portant donation entre vifs seront passés... sous peine » de nullité. Tout acte de donation d'effets mobiliers ne » sera valable que pour les effets dont un état estimatif, » signé du donateur et du donataire, ou de ceux qui ac- » ceptent pour lui, sera annexé à la minute de la dona- » tion. »

Porro illi Codicis articuli pronuntiant quidem nullitatem actus, id est, instrumenti quo probatur donatio, non vero infirmant in foro interno ipsam donationem. Ergo non sufficienter clara est illa dispositio legis ut donatio, aliunde jure naturali valida infirmetur. Diximus *saltem ante sententiam judicis*, quia plures contendunt talem do-

nationem per sententiam judicis irritari posse, ut infra dicemus agendo de testamentis.

Certum tamen nobis videtur ipsum donatorem hanc rescissionem invocare non posse, si revera donare voluit, licet actus seu instrumentum aliqua formalitate legali careat; nam donatarius verum acquisiit jus strictum naturale, quod lex civilis, ut videtur, non intendit ab ipso auferre.

Si vero ageretur de re notabili, præsertim immobili, nundum tradita et instrumento non adhuc facto, quid sentiendum esset de donatore qui propositum revocaret et rem tradere nollet? Donator ille contra fidelitatem peccaret et damnum inde obventurum donatario illuso reparare teneretur. Sed violaretne justitiam commutativam non tradendo rem quæ fuit objectum conventionis? Non liquet. Dici quippe potest eum non intendisse dominium rei suæ transmittere nisi per scriptum authenticum. Forsan igitur non esset adigendus sub denegatione absolutionis ad rem tradendam.

*Punctum secundum.* — De testamentis.

Major est adhuc concertatio, inter theologos ac juristas, circa validitatem testamenti formis a lege præscriptis destituti.

Triplex distingui potest opinio eodem modo quo diximus de validitate donationis inter vivos. At non pauci, tenentes validas esse donationes formis a lege præscriptis destitutas, volunt tamen nulla esse testamenta pro foro interno, etiam ante sententiam judicis.

Unde licet in præcedenti propositione pro validitate donationum opinati simus, satius ducimus pro testamentis variarum opinionum momenta fideliter referre.

I. Prima sententia. — Juxta primam sententiam ita valet testamentum in foro conscientiæ, ut non possit ordinarie hæres naturalis annulationem petere.

Hæc sententia sic probatur : Omnes jure naturali per testamentum valide donare possunt; saltem lex civilis

hanc facultatem generalem omnibus agnoscit in art. Cod. 902 : « Toutes personnes peuvent disposer et re-» cevoir soit par donation entre vifs, soit par testament, » excepté celles que la loi en déclare incapables. » Donationes igitur solemnitatibus a lege prescriptis destitutæ, pro foro interno sunt validæ, quando lex positiva expresse eas non irritat : porro lex positiva non videtur irritare, pro foro interno, donationes testamentarias quibus desunt formalitates a lege præscriptæ.

Nam 1° duo tantum allegari possunt Codicis articuli, nempe 893 : « On ne pourra disposer de ses biens, à titre » gratuit, que par donation entre vifs ou par testament, » dans les formes ci-après établies; » et art. 1001, qui sic se habet : « Les formalités auxquelles les divers tes-» taments sont assujettis par les dispositions de la pré-» sente section et de la précédente, doivent être observées » à peine de nullité : » atqui duo illi articuli expresse non irritant, pro foro interno etiam ante sententiam judicis, donationes testamentarias quibus requisitæ desunt formalitates. Non prior : communis est enim donationibus inter vivos et donationibus per testamentum; porro non irritat donationes inter vivos requisitis formalitatibus destitutas; probavimus enim has donationes inter personas jure habiles, portionem bonorum a lege permissam non excedentes, et ex spontaneitate procedentes, in foro interno esse validas, imo et licitas, donec per sententiam juridicam rescissæ fuerint : ergo similiter et donationes per testamentum. Sensus itaque prædicti articuli est actus donationum præscriptis solemnitatibus destitutos, nullam vim in foro externo seu coram judicibus habituros esse.

Nihil autem clare denotat articulum 1001 latiorem habere sensum, et ad obligationes naturales extendendum esse.

2° Nedum lex positiva clare exprimat donationes de quibus agitur pro forro interno esse nullas, supponit, e contra, eas esse validas; si enim hæredes defuncti donationes testamentarias voluntarie confirmaverint, ratas

habuerint aut exsecutioni mandaverint, defectum formalitatum opponere non possunt. *Art.* 1340. Attamen ex articulo 1235, omnis solutio indebita repeti potest, sed, ex eodem articulo, solutio obligationis naturalis non reputatur indebita. Ergo supponitur ex testamento formis destituto nasci obligationem naturalem.

3° Ex scopo legis idem patet; ideo enim quædam statutæ sunt formalitates pro testamentis, ut apud judices certissime constare possit testatorem hanc aut illam dispositionem reipsa et libere fecisse, proindeque ut omnis fraus aut alia quælibet machinatio injusta sedulo præcaveatur : at in casu nostro, prout illum exposuimus, nulla existit fraus neque machinatio injusta, sed omnino libere testatus est defunctus. Ergo male infertur legislatorem prædictas dispositiones radicaliter annullare voluisse.

II. Secunda sententia. — Juxta secundam sententiam sic nullum est testamentum etiam ante sententiam judicis ut non possit hæres institutus illo uti tuta conscientia.

Hæc secunda sententia sequentibus argumentis nititur.

1° Nullitates in genere a lege civili latæ ad forum externum limitari non debent, nisi adsit aliqua causa : morale enim est, ut leges quibus reguntur homines conscientiam obligent : porro nulla est causa cur prædictæ nullitates ad forum externum limitarentur; eodem enim modo pronuntiantur ac cæteræ nullitates, v. g., circa personarum capacitatem, aut portionem reservatam, quæ juxta omnes in foro interno obligationem pariunt.

2° Si lex solum instrumentum irritaret, valeret tamen ipsa dispositio, quoties de illius existentia certo constaret; imo ex *art.* 1318, ipsum instrumentum, licet defectu formæ invalidum, tanquam demonstratio conventionis allegari potest : in testamentis e contra, de voluntate defuncti nulla admittitur demonstratio, nequidem hæredis naturalis confessio, si instrumentum sit irritum.

3° Ex motivo legis idem demonstratur. Lex quæ formalitates testamentorum præscribit, non in fraude, sed in periculo fraudis fundatur : atqui lex in periculo

fraudis fundata semper obligat, etiam in casu in quo nulla fraus existit. — Altero motivo lex ista nititur, scilicet, motivo boni publici : statuta enim fuit tum ad tuendam testatoris libertatem ne a viris improbis decipiatur, et ipsius liberalitas injuste captetur; tum consequenter ad providendum familiarum securitati : porro leges quæ motivo boni publici nituntur obligant pro fore interno. Nec obstat quod hæredes repetere non possint quod semel solverunt in exsecutionem hujusmodi testamenti; non ideo reputantur ex justitia solvisse, sed forsan honoris causa, vel cujusdam naturalis æquitatis : quæ autem, honoris causa soluta sunt, non *sine causa* soluta esse reputantur, nec ideo repeti possunt.

Isti sunt, juxta *Carrière*, præcipui auctores qui hanc sententiam tradunt et tuentur, nempe sub jure Romano *Covarruvias, Vasquez, de Lugo, Haunoldus, Salmanticenses, Antoine, Henno, Schmalzgrueber, Gerdil, Alasia,* etc.; sub jure gallico veteri, *Habert, Coll. Andeg.* et *Carnot., Collet, Juenin, Richard, Labrunie;* sub jure novo *Logerot, D. Receveur, Vernier, Toullier,* etc.

III. Tertia sententia. — Tertia sententia inter utramque priorem intermedia est; in eo consistit quod in illa opinionum conflictatione, possit hæres institutus testamento, et hæres naturalis similiter uti beneficio legis, tuta conscientia.

Rationes hujus sententiæ sunt sequentes : 1° eo modo leges obligant quo accipiuntur : atqui mos ubique invaluit ut legatarii tranquille possideant quod vi testamenti aliqua formalitate destituti obtinent, et nihilominus hæredes *ab intestato* nullitatem hujusmodi testamenti tuta conscientia coram judicibus expostulent, eaque obtenta, hæreditatem legitime adeant. 2° Sola hæc sententia rationi est consentanea, durius enim esset legatarios testamento renuntiare teneri etiam ante sententiam judicis, aut hæredes *ab intestato* nullitatem testamenti formis destituti petere non posse : præsens autem sententia ab utroque rigoris excessu temperat. 3° Legislatores voluerunt simul favere libertati privatorum et se-

curitati familiarum providere, ut patet ex discussione legis circa donationes inter vivos et per testamenta; porro utrumque sufficienter obtinetur, et nihil nimis grave præcipitur, si prædictæ dispositiones sint validæ ante sententiam judicis, dirimantur vero per sententiam judicis sicut contractus a minoribus initi : ergo. Ita *Soto*, *Bannes*, *Layman*, *Sanchez*, *Cabassut*, *Ferraris*, *Billuart*, S. Ligorius, et multi alii, inter quos eruditus auctor Tractatus de Contractibus Tolosæ impressi.

Verum si ad illud attendatur, quod inter utriusque prioris opinionis defensores nemo sit qui suam sententiam rigide teneat, quin potius multum alteri concedat, vix ullus invenietur qui plus minusve in hanc tertiam non recidat.

Ideo huic sententiæ libenter assentimur pro praxi, et in hoc a doctrina in prioribus hujusce Tractatus editionibus contenta non multum recedimus; nam olim dixeramus non monendum esse qui rescissionem testamenti formis carentis expetere in bona fide paratus esset et prævideretur monitioni non cessurus, *præsertim cum non desint doctores et theologiæ professores qui teneant illum, tuta conscientia, sic agere posse, quia facultate a lege sibi concessa utitur.*

Re de novo sedulo perpensa, arbitramur — a) testamentum inter personas habiles, portionem bonorum a lege permissam non excedens et libere conditum, creare jus naturale vi cujus legatarii bona sibi data tuto postulare, accipere et retinere possunt; — b) in tanta animorum conflictatione, hæredes *ab intestato* communiter non inquietandos esse si, beneficio legis utentes, rescissionem testamenti expostulent; — c) testamento per sententiam judicis rescisso, legatarios teneri etiam in foro interno bona accepta reddere, et via compensationis nullo modo uti posse : imo eos, certissime scientes testamentum esse nullum in foro externo, rem acceptam reddere teneri ad minus ex charitate, quando expresse postulatur, etiam ante judicis sententiam, quia, cum eorum condemnatio futura sit certa, in causa esse non debent cur pars ad-

versa sumptus et incommoda litis sustineat. Affirmare tamen non auderemus eum, qui etiam in hoc casu sententiam judicis exspectare vellet, contra justitiam peccaturum esse.

Excipiuntur tamen communiter apud auctores casus qui sequuntur: — a) Si ageretur de testamentis ob pias causas, quæ a jure canonico valide declarantur non pendere a formis civilibus, sive ea sibi reservaverit Ecclesia tanquam causas spirituales ad forum suum spectantes; sive id fierit ex concessione principum vel consuetudine. Jam dudum piæ illæ dispositiones ab aliis non distinguuntur et communi lege reguntur; imo, sæpe accidit ut judices illas facilius infirment. Quidquid sit nondum apud fideles receptum est ut possint hujusmodi dispositiones, solis formalitatibus destitutæ, tuta conscientia prætermitti. Si vero ex adjunctis potius censeri debeant remedia salutis quam dispositiones gratuitæ, tunc, ut patet, sub regulis donationum cadere non possunt. — b) Si probabilis existeret ratio judicandi dispositiones habere pro objecto restitutionem faciendam aut debita solvenda. — c) Si ageretur de dispositione remuneratoria, facultatibus defuncti et servitiis præstitis proportionata. — d) Si hæres, per quamdam machinationem, effecisset ut testamentum aliqua formalitate requisita careret; item, si hæres testatori moribundo promisisset se testamentum, etiamsi nullum foret, fideliter exsecuturum esse, promissioni suæ procul dubio stare deberet ex fidelitate et probabiliter ex justitia, ob petitionem defuncti cui assensit.

*Punctum tertium.* — De quibusdam donationibus quæ nullis subjiciuntur formalitatibus.

1° Prima est donatio de manu ad manum. Hæc donatio semper esse debet inter personas habiles, nec partem disponibilem excedere; alioquin esset nulla aut reductibilis. Necesse est insuper ut fiat per traditionem rei, sine qua nec intelligi potest: porro donatio de manu ad manum triplici modo fieri potest:

— A) Si fiat absolute et sine ulla restrictione, valida est in utroque foro. Valet quippe in foro externo, ex art. 2279 sic se habente : *En fait de meubles, la possession vaut titre.* Sic sentiunt jurisperiti et judicant curiæ imperiales. Ergo *a fortiori* valet in foro interno.

Nomine bonorum mobilium intelliguntur tituli originales privati et omnia chirographa quæ sola traditione transferri possunt.

Si vero tales essent tituli ut sola traditione transferri non possent, ut sunt generatim scripta authentica, donatio non valeret in foro externo, et causam habentes a donatore rescissionem, ex dictis, ordinarie tuta conscientia petere possent.

Colligitur donationem a moribundo factam, cum traditione et intentione dominium hic et nunc transferendi, esse validam, quia reipsa fit inter vivos.

— B) Si donatio fiat cum restrictione distinguendum est; si non obstante restrictione, donatio sit irrevocabilis, v. g., si fiat ab ægroto cum sola conditione quod res sibi restituatur si convalescat, communiter habetur ut valida, adhuc in utroque foro, quia dominium transferretur sub clausula resolutoria : morte adveniente, jam non datur resolutioni locus.

Verum si donator sibi reservet facultatem donationem revocandi quando voluerit, major est difficultas. Plures arbitrantur talem donationem esse nullam, quia lex non admittit dispositiones *causa mortis*, nisi in forma testamenti. Sic auctor Tractatus de Justitia et Jure, Ambiani anno 1827 impressi. *Toullier*, t. V, p. 275, negat eam in foro externo valere. Affirmat *Guilhon*, t. I, p. 365, et auctor Tractatus de Contractibus Tolosæ impressi. Nos vero pariter contendimus eam esse validam, præsertim in foro conscientiæ, quia ex lege nulla sufficiens depromitur ratio quæ probet non tam valere donationes manuales causa mortis quam simpliciter inter vivos. Porro donatio inter vivos sic facta valeret. Ergo.

— C) Si donatio fiat interventu tertiæ personæ, id est, si res in manu tertii deponeretur cum onere eam, post

mortem deponentis, personæ designatæ tradendi, vel pauperibus erogandi, aut in pias causas impendendi, iterum valet donatio in utroque foro; nam, quoad forum internum adest capacitas in donante, habilitas in accipiente ut supponitur, et rei traditio, quæ reputanda est titulus, saltem ante sententiam judicis. D. *Guilhon*, t. I, p. 371, idem expresse docet etiam pro foro externo, et n. 457 sic absolvit: « Sur les dons manuels, la cour de cassation » vient de rendre un arrêt remarquable. Par cet arrêt, » elle a décidé 1° que la tradition suffit pour la validité » des dons manuels; 2° qu'un billet à ordre peut être re- » mis avec un endossement en blanc; 3° que cette remise » peut être faite par un tiers, après la mort du dona- » teur. » *Sirey* an. 1816, p. 122.

2° Donatio indirecta illa est quæ occultatur sub specie contractus onerosi, v. g., venditionis, census vitalitii, etc. Ex jurisprudentia nunc recepta constat hujusmodi donationem validam esse in foro externo, proindeque in foro interno, modo fiat a capaci in gratiam habilis et intra limites bonorum non reservatorum, v. g.: Petrus villam suam centum millia fr. mihi vendidit: statim exonerationem (*décharge*) mihi tradit, pretio non accepto cum intentione pretium condonandi; valet contractus etiam in foro externo, supposita utrinque habilitate et reservatione servata.

3° Donatio accessoria illa est quæ ex conventione cum tertio inita sequitur, v. g.: domum meam vendo Petro ea conditione ut centum nummos donet Paulo. Communiter docent autores et Curia suprema judicavit hujusmodi donationes, licet formis præscriptis destitutas, valere, quia non sunt præcise isti donationis actus quos lex civilis attingit.

4° Donatio remuneratoria illa est quæ fit ob beneficium acceptum vel officium præstitum. Si hæc donatio sit tantum compensatio vel merces juris stricti, regulis donationum proprie dictarum non subjicitur, ut patet. Si autem ex mera gratitudine fiat, licet quædam sit difficultas, generaliter tamen docetur eam esse validam, sive inter

vivos, sive causa mortis, modo fiat inter habiles et partem disponibilem non excedat, etsi formis a lege præscriptis destituatur. Nam ista dispositio non habetur ut donatio proprie dicta, sed ut quasi-solutio naturalis debiti, quod agnoscere debet lex moralis et revera agnoscit lex civilis, art. 1235.

5° Donatio onerosa locum habet quando accipienti donator quoddam annectit onus, sive in gratiam sui, sive in gratiam tertii. In priori casu, valet donatio, etsi formis præscriptis sit destituta, quia est potius quædam solutio vel commutatio quam donatio; si tamen multum superet onus, datur locus reductioni. In posteriori casu vera existit donatio in gratiam tertii : regulæ igitur pro donationibus statutæ huic dispositioni applicantur.

### § II. — De regulis donationibus inter vivos specialibus.

Regulæ illæ spectant ad formam donationis, vel ad acceptationem ejus, vel ad illius revocationem : itaque triplex hujus paragraphi erit sectio.

#### Sectio prima. — *De forma donationis.*

Quæ statuta sunt a lege circa formam donationum respiciunt vel actum ipsum donationis, vel bona data, vel onera imposita.

1° *Quoad actum* omnes actus donationis coram notariis in forma contractuum ordinaria fieri debent sub pœna nullitatis. *Cod. civ. art.* 931. Dicit *Codex civ.* coram notariis; at ex consuetudine et tribunalium praxi receptum est ut valeat actus si fiat coram duobus notariis simpliciter vel unico notario et duobus testibus. Hæc praxis confirmata est per legem 21 *junii* 1843. Exigitur ergo sub pœna nullitatis ut prima actus perscriptio dicta *minute* maneat apud notarium, ne possit destrui actus authenticus donationis, si forsam in manus donatoris deveniret.

Actus donationis bonorum mobilium est nullus si in-

dex hujusmodi bonorum æstimatorius non fuerit annexus primæ donationis perscriptioni (*à la minute de la donation*). *Cod. civ. art.* 948.

Si donatio habeat pro objecto bona quæ hypotheca gravari possint, necesse est ut actus donationis et acceptationis in codice hypothecarum transcribatur (*aux bureaux des hypothèques dans l'arrondissement desquels les biens sont situés*), alioquin defectus transcriptionis opponi posset. Sed hæc formalitas non exigitur, nisi ut omnes quorum interest cognoscere possint ad quem bona immobilia pertineant. Unde rescissio hujusmodi donationis expostulari non potest ab ipso donatore sub prætextu quod transcriptio fuerit omissa. *Cod. civ. art.* 941.

2° *Quoad bona donata.* Donatio quæ habet pro objecto bona futura, est prorsus nulla; nam hæc bona ad donatorem nondum pertinent : porro nemo potest donare bona ad ipsum non pertinentia. Si donatio simul habeat pro objecto bona præsentia et bona futura, sub respectu bonorum futurorum erit nulla, *Cod. civ. art.* 943; valida autem sub respectu bonorum præsentium.

3° *Quoad onera imposita*, si statuatur in actu quod donatarius alia solvere teneatur debita, præter ea quæ tunc sunt certa donatio erit nulla. *Cod. civ. art.* 945. Ratio est quia liberum esset donatori æquivalenter donationem revocare, onera multiplicando.

### Sectio secunda. — *De acceptatione donationis.*

Donatio est contractus, ac proinde donatarii sicut et donatoris exigit concursum; donatio enim non potest esse valida, quin donatarius jus in rem donatam acquirat : at jus strictum in rem acquirere non potest sine acceptatione. Unde statuitur in Codice, art. 932, donationem non ligare donatorem, priusquam acceptata fuerit.

Plura autem a lege requiruntur ad validitatem acceptationis.

1° *Quoad actum*, requiritur ut acceptatio fiat expressis

verbis, *art.* 932, et consignatur ordinarie in eodem actu ac ipsa donatio. Acceptari tamen potest donatio per actum posteriorem : dummodo donator adhuc vivat, et posterior ille actus sit ipse in forma prioris et donatori notificetur; quamdiu enim acceptatio non fuit notificata non stricte obligatur donator et donationem revocare potest.

2° *A quibusnam acceptatio fieri debeat.* — a) Si donatarius sit major, donationem per se immediate acceptare potest, vel per procuratorem ad hoc specialiter actu coram notario institutum. *Cod. civ. art.* 933.

— b) Surdus-mutus per seipsum acceptare potest, si scribere valeat; si autem scribere nesciat, curator pro illo acceptabit. *Cod. civ. art.* 936.

— c) Mulier sub potestate viri constituta, nullam acceptare potest donationem sine mariti consensu, aut, marito non consentiente, absque judicis auctoritate; mariti enim non parvi interest ut sciat a quo et qualem donationem uxor accipiat. *Cod. civ. art.* 934.

— d) Donatio facta interdicto vel minori non emancipato, a tutore cum approbatione concilii familiæ acceptari debet. *Art.* 935 et 463. Minor emancipatus donationem per seipsum cum sui curatoris assistentia potest acceptare. *Eod. art.*

Pater et mater minoris, sive emancipati, sive non emancipati, aut alii ejus ascendentes, licet nec tutores illius sint nec curatores, etiam patre et matre viventibus, possunt pro illo donationem acceptare. *Cod. civ. art.* 935.

An autem acceptatio facta ab uxore, ab interdicto vel a minore, absque consensu mariti, etc., habenda sit tanquam ab incapaci facta, an vero tanquam formalitatibus a lege præscriptis destituta, non omnino constat. Putamus ea in foro conscientiæ habendam esse ut validam donec per sententiam judicis rescindatur.

— e) Donationes communitatibus, v. g., xenodochiis, ecclesiis, seminariis, etc., factas acceptare possunt earumdem communitatum administratores, postquam facultatem acceptandi ab Imperatore per decretum vel a præ-

fecto obtinuerunt. *Cod. civ. art.* 937. At si superior communitatis aliquid ei donaret, v. g., episcopus suæ diœcesi, in decreto designaretur alia persona quæ nomine instituti (*établissement*) acceptaret, quia eadem persona non potest dare et acceptare. Hæc intelliguntur de formalitatibus in foro civili requisitis.

3° *Quinam sint effectus acceptationis.* Donatio legitime acceptata eo ipso est perfecta, et dominium rei ad donatarium etiam ante traditionem transfert. *Cod. civ. art.* 938. Attamen si bona data sint mobilia et non tradita, atque alteri donentur aut vendantur ac tradantur, tunc ad posteriorem, modo non sit malæ fidei, vi legis positivæ pertinent; idque propter bonum publicum fuit statutum, ne possessiones in bona fide obtentæ turbarentur. *Cod. civ. art.* 1141.

### Sectio tertia. — *De revocatione donationis.*

Quamvis donatio inter vivos ex natura sua sit irrevocabilis et proprietatem pro semper donatario hic et nunc transferat, in nonnullis tamen casibus revocari potest, nempe :

1° Si donator expresse stipulatus fuerit bona ad se reditura esse, ex hypothesi quod donatarius solus, aut donatarius et descendentes ejus ante ipsum decederent; hæc enim stipulatio est conditio resolutoria, vi cujus contractus licet validus dissolvitur : sed requiritur ut expressis verbis et in solius donatoris gratiam existat. *Cod. civ. art.* 951.

Per hanc donationis revocationem seu resolutionem bona donata, quomodcumque a donatario aut ejus ascendentibus alienata fuerint, ad donatorem redeunt ab omni hypotheca et a quolibet onere libera, excepta tamen hypotheca pro dote assecuranda; dummodo eodem matrimonii contractu hæc bona donentur quo hypotheca gravantur. *Cod. civ. art.* 952.

2° Si donatarius non impleat conditiones sub quibus facta fuerat donatio, tunc revocari potest, et bona ad do-

natorem, sine ulla exceptione, redeunt ab omni onere libera. *Art.* 954. Excipiuntur tamen conditiones impossibiles vel legibus aut bonis moribus contrariæ, quæ impleri non debent, et a lege tanquam non oppositæ reputantur. *Art.* 900.

3° Donatio revocari potest ob donatarii ingratitudinem, scilicet : — a) si mortem donatori inferre tentaverit ; — b) si vim exercuerit, delicta erga eum commiserit, aut graves injurias ipsi intulerit ; — c) si alimenta ei necessaria recusaverit. *Cod. civ. art.* 955. Hæc revocatio nunquam pleno jure, sed sola judicis auctoritate fieri potest ; fructus autem rei, seu *interesse*, a die quo petita est revocatio debentur. Hæc vero revocationis petitio fieri debet intra primum annum ex quo donator delictum aut ingratitudinem donatarii cognovit, aut cognoscere potuit. *Art.* 956 *et* 957. Illa donationis revocatio nocere non potest eis qui bona donata sive per donationem, sive per alium contractum obtinuerunt antequam revocationis petitio in indice hypothecarum inscriberetur. *Art.* 958. Unde donator recursum ad donatarium habet ut pretium bonorum alienatorum, vel compensationem oneribus iisdem impositis æquivalentem obtineat. Nemo prævidere potest donationem ob ingratitudinem esse revocandam, quia delictum non præsumitur : ergo convenit hanc revocationem non nocere eis qui jus in prædicta bona acquisierunt antequam revocationis petitio inscriberetur.

Donationes in gratiam alicujus matrimonii factæ, ob ingratitudinem revocari non possunt ; non solum enim in gratiam sponsorum factæ reputantur, sed in gratiam infantium qui ex illo matrimonio forte nascentur vel nati sunt. *Cod. civ. art.* 959. Igitur convenit illas revocari non posse.

4° Quæcumque donatio ipso jure et absque judicis sententia revocatur, si proles donatori nascatur, aut si proles illegitima per subsequens matrimonium legitimetur : nam donator non præsumitur dare voluisse, nisi sub conditione tacita quod legitimam non haberet prolem et,

etiamsi revocationi huic renuntiasset, nihilominus illa in favorem prolis, ipso jure, locum haberet. Imo donatio ista sic revocatur ut nunquam reviviscere queat, neque per mortem prolis, neque per actum confirmatorium, sed per novam tantum donationem. *Cod. civ. art.* 960, 963 *et* 965.

Quando donatio sic ob prolem supervenientem revocatur, bona a donatario aut causam ejus habentibus alienata, ad donatorem redeunt libera ab omni onere et hypotheca. *Art.* 963. Acquisitores bonorum hujusmodi revocationem prævidere potuerunt, illiusque probabilitatis valorem æstimare debuerunt : ergo non decipiuntur. Insuper recursum habent contra venditorem, qui eos reddere tenebitur indemnes, nisi forte debitis suis sit impar. Eadem ratio locum habet in casibus numeris 1° et 2° expositis.

### § III. — De regulis specialibus testamentis.

De formis testamentorum et eorum revocatione hic acturi sumus.

#### Sectio prima. — *De formis testamentorum.*

I. De formis omnibus testamentis communibus. — Ex dictis, omnes jure naturali bona sua alteri per testamentum sub qualibet voluerint forma transferre possunt; sed lex positiva semper majorem requisiit solemnitatem ad testamentum quam ad alios contractus, quia illusio et deceptio facilius in hujusmodi contractibus existere possent quam in contractibus inter vivos. Præterea, qui inter vivos contraxit, facultatem habet contra dispositionem reclamandi, si velit; defunctus vero, si fuerit deceptus, contra testamentum reclamare non potest : lex igitur merito majores requirit solemnitates ad constituendum testamentum.

Plura generaliter statuuntur ad validitatem testamentorum. 1° Duo vel plures eodem actu testamentum suum

conficere non possunt sive erga extraneos sive erga se invicem. *Ex art.* 968, actus ille prorsus esset nullus. Cum enim ex natura sua testamentum possit semper revocari, nec irrevocabile fiat nisi per mortem testatoris, necesse est ut unusquisque pro seipso tantum et proprio nomine in actu testamentario disponat.

2° Omnia testamenta sine ullo scripto facta, sub pœna nullitatis jam fuerant stricte prohibita edicto anni 1735. Nunc pariter in novo Codice sub eadem pœna prohibentur : nam in art. 1001 statuitur quod formalitates quibus diversa subjiciuntur testamenta, sub pœna nullitatis observari debeant, et in art. 893 declaratur neminem de bonis suis titulo gratuito disponere posse, nisi per donationem inter vivos aut per testamentum in formis a lege præscriptis : at inter formas pro diversis testamentis præscriptas nulla fit mentio de testamento absque scripto; imo oratores qui motiva hujus legis publice discusserunt, et præsertim D. *Jaubert*, dicunt quod in materia testamentorum omnia stricte sint accipienda : nulla igitur admitti potest dispositio testamentaria absque scripto. Sed, præmissa doctrina quam superius exposuimus, præsens conclusio non excludit donationes sine scripto, si traditio locum habeat.

3° In omnibus et singulis testamentis dispositio fieri potest sub titulo hæredis vel legatarii, aut sub qualibet de nominatione quæ sufficienter voluntatem testatoris manifestet. *Cod. civ. art.* 967.

Legatum autem potest esse vel universale vel titulo universali, vel titulo particulari. Est *universale*, quando testator uni aut pluribus conjunctim personis omnia bona sua donat : est *titulo universali*, quando certam totius hæreditatis partem, v. g., dimidiam, tertiam, quartam, tota mobilia alicui legat; est vero *titulo particulari*, quando testator aliquam dat partem bonorum suorum in se determinatam, v. g., suam bibliothecam, decem fr. millia, etc.

4° In omni testamento, testator potest instituere simul unum aut plures ejusdem testamenti exsecutores, et illud

uni ex illis vel alteri personæ tutius committet, ne ab hæredibus suis post ipsius mortem destruatur. *Art.* 1025.

II. De diversis testamentorum speciebus. — Triplex distinguitur testamentum, scilicet olographum, solemne et mysticum. Unumquodque suas habet regulas in Codice civili descriptas, ab art. 967 usque ad art. 980.

1° Testamentum *olographum*, sic dictum a duobus verbis græcis, ὅλος, *entier*, γράφω, *j'écris*, est illud quod propria manu testatoris integrum fuit scriptum cum indicatione anni, mensis, diei, ac nominis ejus appositione in forma chirographi. Hæc omnia sub pœna nullitatis necessaria sunt: nullas requirit alias speciales formalitates. *Art.* 970.

Tria igitur omnino requiruntur, ad validitatem testamenti olographi, nempe — A) quod sit integre propria manu testatoris exaratum; unde unica vox manu aliena in corpore testamenti scripta illud prorsus nullum efficeret. Ita *Delvincourt*, t. I, p. 777, et *Toullier*, t. V, p. 329. Interpositiones seu scripturæ inter lineas sunt validæ, si manu testatoris fuerint scriptæ, etsi non approbatæ.

Lituræ (*les ratures*) annullant dispositiones deletas, si testamentum in possessione testatoris existens, et illius sigillo obsignatum reperiatur : secus supponi posset illas alterius esse opus, et tribunalia haberent facultatem pronuntiandi dispositiones deletas non annullari. Ita *Delvincourt*, t. I, p. 777.

— B) Indicatio anni, mensis, diei ideo requiritur ut de statu mentis testatoris judicari possit, si opus sit, vel inter duo testamenta ultimum cognosci.

Hæc indicatio totis litteris tutius exaratur, valeret tamen signis arithmeticis. Non requiritur ut apponatur in loco determinato, ponitur tamen post dispositiones, et ante chirographum. Si post chirographum poneretur, non ideo testamentum esset nullum, ut statutum est a curia suprema. Vid. Rogron, in *art.* 970.

— C) Testamentum signari debet proprio nomine testatoris; ad validitatem sufficeret, si hoc nomine communiter cognoscatur testator, etsi vero nomini superadditum fuerit, ut sæpe accidit.

Chirographum nominis poni debet ultimo loco, et quæcumque dispositiones superadditæ quæ sub illo chirographo non continentur non essent validæ, nisi de novo chirographum apponatur.

Qui testamentum olographum fecit, curare debet pro prudentia sua ut testamentum suum in loco tuto reponatur, ne ab hæredibus, post ipsius mortem destruatur. Si tamen aliquod testamentum fuisset deletum et de suppressione constaret, a judice admitteretur demonstratio et testamenti exsecutio sequeretur.

*Ad validitatem testamenti* non requiritur ut papyro signato (*papier marqué*) conficiatur; at si ad justitiam deferatur, mulcta pecuniæ erit solvenda. Valebit autem in quocumque loco fuerit conditum, sive in regno, sive in terra aliena, et etiam ubi tale testamentum non est in usu. *Art.* 999. Semper tamen necesse est ut dispositio clare sub conditione mortis facta videatur; alioquin reputaretur donatio inter vivos, et testamentum nullum. Ita *Paillet*.

*De authenticitate testamenti* si dubium exsurgat et hæredes defuncti negent testamentum ab ipso testatore fuisse scriptum, hanc assertionem probare non tenebuntur, inquit *Delvincourt*, t. I, p. 778, sed legatarius probare debebit illud esse genuinum opus defuncti; nam hæredes vi legis defuncto succedunt : extraneus igitur ostendere debet titulum quo eos jure legitimo privabit. Hæc autem probatio non semper est facilis : fieri debet per *expertos* qui illud scriptum cum aliis ejusdem hominis scriptis authenticis comparant et scripturæ identitatem attestantur, *Code de procédure civile*, *art.* 2000; per testes etiam obtineri potest. *Eodem Codice*, *articulis* 195 et 211.

*Antequam exsecutioni* mandari queat omne testamentum olographum, præsentari debet judici in tribunali primæ instantiæ præsidi, qui illud, post examen sufficiens, apud talem aut talem notarium custodiri jubebit. *Cod. civ. art.* 1007. Si legatarius sit universalis, tunc præses illum per sententiam mittet in possessionem bo-

norum sic legatorum ; secus vero legatum ab hæredibus postulabit. *Art.* 1006 et 1008.

*Quomodo conficiendum sit testamentum.* Sæpe fideles a parochis vel a confessariis petunt quomodo testamentum facere possint aut debeant. Propterea interest ut sacerdotes ministerium sacrum exercentes apprime noscant quidquid ad testamentum, præsertim olographum, pertinet, tum ut sit licitum, tum ut sit validum, sive pro foro externo, sive pro foro interno, ut in re tanti momenti rogantibus consilium non denegent, et rectum habeant.

Sic inter Christianos testamentum olographum institui potest :

AU NOM DE LA TRÈS-SAINTE TRINITÉ,

PÈRE FILS ET SAINT-ESPRIT.

*Je, soussigné, Louis Pierre N. propriétaire, demeurant à.... déclare que le présent écrit est mon testament, que je veux être fidèlement et ponctuellement exécuté après ma mort : je charge pour cet effet N. et N. d'y veiller exactement et d'en prendre soin comme pour eux-mêmes.*

*Lorsqu'il plaira à Dieu de me retirer de ce monde, je le prie par les mérites de son Fils adorable, par l'intercession de la très-sainte Vierge, des anges et des saints, d'oublier mes péchés et de recevoir mon âme dans le sein de sa miséricorde.*

*Je veux que mon corps soit enterré à..... qu'on fasse célébrer pour le repos de mon âme.... messes.... services....*

*Je donne.... à....*

*Fait à.... le....*

« Si le testateur voulait établir quelqu'un son légataire » universel, après le préambule convenable, il peut se » contenter de mettre ce peu de mots :

» *J'institue N. mon légataire universel ;* ou bien : *Je* » *donne à N. tout ce qui m'appartiendra au moment de ma* » *mort.*

» S'il y avait des héritiers nécessaires, et qu'il voulût » donner à quelqu'un ce dont il peut disposer en sa fa- » veur, il peut en toute sûreté se servir de cette for- » mule :

» *Je donne à N. tout ce que les lois, au moment de ma* » *mort, me permettront de lui donner.* »

2° Testamentum *solemne*, seu per actum publicum, est illud quod per duos notarios in præsentia duorum testium, aut per unum notarium in præsentia quatuor testium, suscipitur. *Art.* 971. Juvat hic ipsamet Codicis verba referre :

*Art.* 972. « Si le testament est reçu par deux no- » taires, il leur est dicté par le testateur, et il doit être » écrit par l'un des notaires, tel qu'il est dicté. S'il n'y a » qu'un notaire, il doit également être dicté par le testa- » teur, et écrit par le notaire. Dans l'un et l'autre cas, il » doit en être donné lecture au testateur, en présence » des témoins.

» Il est fait du tout mention expresse.

*Art.* 973. Ce testament doit être signé par le testa- » teur; s'il déclare qu'il ne sait ou ne peut signer, il sera » fait dans l'acte mention expresse de sa déclaration, ainsi » que de la cause qui l'empêche de signer. »

*Art.* 974. « Le testament devra être signé par les té- » moins, et néanmoins dans les campagnes il suffira » qu'un des deux témoins signe, si le testament est reçu » par deux notaires. Deux des quatre témoins signent, » s'il est reçu par un notaire. »

*Art.* 975. « Ne pourront être pris pour témoins de tes- » tament par acte public, ni les légataires à quelque titre » qu'ils le soient, ni leurs parents ou alliés jusqu'au qua- » trième degré inclusivement, ni les clercs des notaires » par lesquels les actes seront reçus. »

*Notandum est* quartum gradum consanguinitatis et affinitatis, in stylo Codicis, eumdem esse ac secundum in jure canonico, vel primum ad tertium. Testes debent insuper esse masculini sexus et ætate majores. *Cod. civ. art.* 37 *et* 980.

3° Testamentum *mysticum* seu secretum ab eis adhibetur qui scribere non possunt, et volunt tamen dispositiones suas manere occultas; aut, si scribere possint, timent ne testamentum suum olographum non diligenter custodiatur vel ne aliqua circa illius authenticitatem postea oriatur controversia : per tale testamentum hæc præcavent incommoda. Multæ requiruntur solemnitates ut hujusmodi testamentum valeat; cum non sit frequens in praxi, hic non discutiemus regulas quibus subjicitur. Unusquisque eas in Codice civili, ab articulo 976 usque ad art. 980, legere potest.

Cum facile inveniri possint casus in quibus impossibile esset unum ex tribus testamentis modo expositis facere, et cum aliunde lex in materia testamentorum omnes stricte prohibeat formas quas non determinavit, alias instituit testamentorum species pro militibus, navigantibus, morbo contagioso laborantibus, et eis qui apud extraneos quiescunt. Regulæ pro diversis illis testamentis in Codice reperiuntur, ab art. 981 usque ad art. 1001.

### Sectio secunda. — *De revocatione testamentorum.*

1° Omnia testamenta, sub quacumque forma sint facta, semper a testatore revocari possunt. *Art.* 895. Illa dispositio evidens habet fundamentum in rerum natura; quæcumque enim donatio testamentaria non nisi morte testatoris perficitur : testator igitur dominium boni sui usque ad mortem retinet : ergo dispositionem suam semper revocare potest.

Duplici modo autem hoc facere potest, expresse videlicet et tacite. Expresse quidem, per novum testamentum validum aut per actum coram notario quo mutatio voluntatis suæ exprimitur. Si novum condiderit testamentum, de priori nihil dicens, prius eo ipso erit nullum pro dispositionibus quibus posterius erit oppositum, non vero pro aliis. *Cod. civ. art.* 1035 *et* 1036. Testamentum posterius nullum defectu formalitatum, prius non revocat, quia juridice non constat testatorem suam

voluntatem mutavisse : secus, si nullum esset ob incapacitatem vel renuntiationem legatarii. Vide *Toullier*, t. V, n. 630 et seq.

Tacite vero testamentum suum revocat, si bona legata, aut aliquam eorum partem alteri transmittat, sive per donationem, sive per venditionem, sive per commutationem, etiamsi alienatio hæc esset nulla; nam semper manifestum esset mutationis voluntatis signum. Sed revocatio locum habet tantum pro bonis quæ testator alienavit aut alienare tentavit, non vero pro aliis remanentibus. *Cod. civ. art.* 1038.

2° Hæredes revocationem testamenti varias ob causas petere et obtinere possunt: — a) nempe si legatarius conditiones per testamentum ipsi impositas non impleat; — b) si testatorem occiderit, aut vitam illi auferre tentaverit; — c) si erga eum sævitias exercuerit, vel alicujus delicti, aut gravis injuriæ reum se constituerit; — d) si memoriam ejus conviciatus fuerit. Verum in hoc postremo casu petitio rescissionis fieri debet intra primum a die convicii annum. *Cod. civ. art.* 1047.

Actio autem ad petendam revocationem in casu inexecutionis conditionum, vel ad petendam nullitatem non præscribitur nisi post triginta annos.

3° Si legatarius ante testatorem moriatur, vel priusquam impleatur conditio sub qua dispositio fuit expressa, testamentum erit caducum. *Art.* 1038 *et* 1040. Etenim legatarius nullum habet jus ante mortem testatoris : si ergo prior moriatur, jus ad hæredes suos non transmittet. Item si res legata ante mortem testatoris, vel etiam post mortem ejus sine culpa hæredis perierit. *Art.* 1042.

### § IV. — De aliis quibusdam donationibus præter testamentum et donationem inter vivos.

Hujus paragraphi triplex erit sectio: prima erit de donationibus cum onere transmittendi; secunda de partitionibus ad ascendentibus inter descendentes; tertia de donationibus inter sponsos.

SECTIO PRIMA. — *De donationibus cum onere transmittendi et de substitutionibus.*

I. QUID SIT PROPRIE SUBSTITUTIO. — Substitutio proprie dicta seu fideicommissio est donatio qua quis primario ad accipiendum vocatur, set cum onere bonum acceptum servandi et postea alteri personæ transmittendi. Qui onus transmittendi imponit dicitur *fidei committens*, qui bonum cum onere accipit dicitur *fiduciarius vel gravatus*, donatarius cui ultimo restituendum est dicitur *vocatus*.

Ex definitione duo importat substitutio fideicommissaria, nempe bonorum successivam transmissionem, et strictam transmittendi obligationem.

*Hinc* non est propria substitutio si per testamentum secundus instituatur legatarius ex hypothesi quod prior legatum accipere nolit aut non possit, quia in hoc casu bona uni non dantur ut postea alteri tradantur. Item si usufructus uni et alteri proprietas donetur, non adest substitutio; uterque enim rei sibi legatæ fit dominus. Pariter, valde differt a substitutione donatio sub conditione resolutaria, v. g. : do villam meam Petro sub conditione quod eam nepoti meo, si sacerdos ordinetur, transferat : dominium enim hic et nunc transfertur Petro, qui statim potest disponere, pro libitu suo, de villa mea, sed semper sub eadem conditione resolutoria, ut supra diximus.

II. DE VARIIS SUBSTITUTIONUM SPECIEBUS. — Ut distinguantur a licitis substitutiones a lege prohibitæ, præcipue attendendum est ad temporis intervallum quo bonum acceptum et postea transmittendum servari potest.

1° Si donatarius bona sibi data statim alteri remittere debeat, licita et valida est substitutio, modo persona cui bona remittenda sunt ad accipiendum sit habilis tum absolute, tum respectu donatoris; tales enim substitutiones non prohibentur, imo *art.* 898 *Cod. civ.* approbantur aut licitæ supponuntur. Præterea, quædam substitutiones ideo prohibentur, quia circulatio bonorum impeditur : at

bonorum circulatio ibi non impeditur. Cæterum vix hujusmodi donationes dici possunt substitutiones, verus enim et unicus legatarius ille est cui statim bona transmittenda sunt; alter vero non tam legatarius dicendus est quam ad legatorum exsecutionem præpositus.

2° Si non statim sed post aliquod temporis intervallum, v. g., decem aut viginti annos bonum acceptum sit alteri transmittendum, non prohibetur substitutio juxta communem sententiam, dummodo facultas servandi non extendatur usque ad mortem donatarii gravati. Tempus quidem lex non determinavit, sed communiter æstimant jurisperiti, attentis motivis legis, tempus requisitum ad strictam prohibitionem intelligendum esse de tota donatarii vita. Sic ea de re *D. Gousset*, post *Merlin*, Toullier, Paillet, etc. « En interpretant le Code par lui-même, par » les conférences tenues au conseil d'Etat, par les motifs de » la prohibition des substitutions, et enfin par l'ancienne » jurisprudence, on voit que c'est de la charge de rendre » à la mort de l'institué que le Code a voulu parler dans » l'art. 896. » Sic etiam *Carrière*, n. 341.

3° At si substitutiones fiant modo quasi hæreditario, ita ut onus transmittendi non imponatur nisi pro tempore mortem donatarii gravati subsecuturo, stricte prohibentur, et ideo sunt nullæ pleno jure et ante judicis sententiam. Hujus autem irritationis talis est effectus, ut non tantum irrita sit substitutio, sed etiam donatio; intentio enim donatoris non fuit donatario absolute transferendi; unde, irrita substitutione, ipsa donatio debet irritari.

III. De substitutionum legitimitate. — Substitutiones antiquissimi sunt juris; in jure romano frequentabantur; olim habebantur in magno favore, inquit *Carrière*, n. 339, in plerisque provinciis, ut pote splendorem familiarum foventes; sed in novo rerum ordine, jam ab anno 1792, sunt reprobatæ tanquam bonorum culturæ et circulationi nocivæ, multorum litium origo, etc.; addi potest insuper, ob easdem rationes præcise propter quas olim admittebantur. Hinc ortum est dubium apud plures

an ista prohibitio pro foro conscientiæ stricte obliget, quia non tam ex motivo boni publici ipsis lata videtur quam ad fovendum opinionibus democraticis. Quidquid sit de motivo legis, cum tamen ordo novus successionum prævaluerit, nobis injusta videretur quæcumque dispositio contraria; præter quod, ut recte observat auctor citatus, non satis res aperta est ut sub injustitiæ prætextu infirmari possit dispositio legis.

IV. Exceptiones. — Sapientissime ergo prædictæ legi appositæ sunt sequentes exceptiones :— 1° pater et mater omnia bona quorum liberam habent dispositionem, uni vel pluribus ex infantibus suis dare possunt, sive per donationem inter vivos, sive per testamentum, cum onere ea conservandi et liberis ex ipsis natis vel nascituris in primo gradu transmittendi. *Cod. civ., art.* 1048, vel usque ad secundum inclusive. *Loi du* 17 *mai* 1826.

2° Imo bona, de quibus ex art. 913, 915 et 916 disponere licet, donari poterunt a quocumque etiam non consanguineo nec affini, in toto vel in parte, per actus inter vivos aut per testamentum, cum onere ea conservandi ac reddendi uni aut pluribus liberis donatarii, natis vel nascituris, usque ad secundum gradum inclusive. *Loi du* 17 *mai* 1826. Sic gravis inducta est modificatio art. 1048 et 1049 Cod. civ.

Requirebatur in utroque casu ut substitutio fieret in gratiam omnium infantium natorum vel nascturorum, sine ulla exceptione sexus aut ætatis, *Cod. civ., art.* 1050: at, ex lege diei 17 maii 1826, dispositio nunc potest fieri in gratiam unius aut plurium, cum aliorum exclusione. Si unus ex illis ante testatorem moreretur et relinqueret descendentes, hi eam substitutionis partem obtinerent quam defunctus habuisset, si vixisset, siquidem eum repræsentant. *Cod. civ., art.* 1050.

Aliæ regulæ quæ ad hujusmodi substitutiones spectant, legi possunt in Codice civili, art. 1052 et seq.

SECTIO SECUNDA. — *De partitionibus ab ascendentibus inter descendentes.*

Qui hæredes in linea collaterali tantum habet, bona sua illis pro nutu distribuere potest, sive per donationem inter vivos, sive per testamentum; nam de omnibus bonis suis disponere posset erga extraneos: ergo *a fortiori* ea hæredibus distribuere potest in forma consueta.

Pater et mater vel alii ascendentes bona sua suis descendentibus similiter dividere possunt per donationem inter vivos aut per testamentum, sub conditionibus, solemnitatibus et regulis pro donationibus et testamentis ordinariis statutis. Unde si hæc partitio fiat per actum inter vivos, non nisi bona præsentia pro objecto habere poterit. *Art.* 1075.

Si donator moriens quædam relinquat bona quæ in donatione, seu in partitione, non fuerint comprehensa, ea inter omnes hæredes secundum legitimas succedendi regulas dividentur. *Art.* 1077.

Requiritur autem sub pœna nullitatis ut partitio ab ascendentibus, vel a patre aut a matre facta, sit in favorem omnium descendentium, sine ulla exceptione, etiam in favorem nepotum, inquantum stipitem ex quo proveniunt repræsentant. *Art.* 1078.

Hæc partitio erit rescindibilis, si unus ex descendentibus plus accipiat quam lex permittit, et in omni casu si unus ultra quartam partem sibi debitam frustretur (*s'il y a lésion de plus d'un quart*). *Art.* 1079.

Si partitio haberet pro objecto prædium quod inter descendentes commode dividi non posset, uni valide assignari posset, cum onere pecuniæ summam aliis solvendi. Ita *Toullier*, t. V, p. 721.

SECTIO TERTIA. — *De donationibus inter sponsos.*

Ad favendum matrimonio, donationes inter sponsos vel sponsis ab extraneis factæ, regulis tam strictis quam

aliæ donationes non subjiciuntur. Ex his regulis aliæ spectant donationes sponsis ab extraneis factas; aliæ donationes quas sponsi sibi invicem facere possunt, et sunt generales aut speciales. De his aut illis nunc dicendum est.

I. De donationibus sponsis ab extraneis factis. — Donationes quæ per matrimonii contractum ab aliis personis fiunt sponsis, in his præsertim punctis ab aliis donationibus discrepant.

1° Revocari non possunt ob defectum acceptationis, nec ob ingratitudinem. *Art.* 959 et 1087. Cum enim fiant propter matrimonium, non solum in favorem sponsorum, sed in favorem etiam liberorum factæ censentur: non convenit ergo eas ob defectum acceptationis vel ob ingratitudinem sponsi aut sponsæ revocari posse. At si matrimonium postea non existat, donatio erit nulla. *Art.* 1088.

2° Hæc donatio bona præsentia et futura comprehendere potest, tum in favorem sponsorum, tum in favorem liberorum ex ipsorum matrimonio provenientium, sive natorum, sive nasciturorum. *Cod. civ., art.* 1082 et 1084.

3° In donatione ordinaria inter vivos, si donator facultatem de aliquo objecto in ea contento disponendi sibi reservaverit, et antequam de illo disposuerit moriatur, ad ipsius hæredes illud pertinet. *Art.* 946. E contra, in donatione per matrimonii contractum, si hujusmodi objectum sibi reservaverit, atque de illo non disposuerit, illud objectum in donatione contentum censebitur, sicque valet hujusmodi donatio sub conditione a sola donatoris voluntate dependente. *Art.* 1086.

II. De regulis generalibus quibus subjiciuntur donationes quæ inter sponsos fieri possunt. — 1° Donationes istæ revocari non possunt ob prolem supervenientem, *art.* 191; nulla enim esset ratio cur propter prolem supervenientem revocarentur, cum sponsi teneantur simul prolem nutrire et educare, et cum utriusque bona ad ipsam prolem pertinere debeant.

2° De diversa bonorum suorum portione erga se invicem disponere possunt sponsi pro diversis casibus in quibus constituuntur, — a) nempe si conjux donator neque

descendentes neque ascendentes habeat, omnia bona sua alteri conjugi donare potest; — b) si ascendentes tantum habeat, eam partem conjugi suo dare potest quam extraneo dare posset, et insuper usumfructum alterius portionis quam lex ascendentibus ejus assignat, *art.* 1094; — c) si descendentes habeat, in quocumque sint numero, dimidiam partem bonorum suorum eo sensu conjugi suo dare poterit, scilicet, quartæ partis proprietatem, et alterius quartæ partis usumfructum, vel dimidiæ partis solummodo usumfructum, *eodem art.* 1084; — d) si descendentes ex matrimonio præcedenti habeat, et secundum matrimonium ineat, novo conjugi dare potest tantum partem filii aut filiæ minus accipientis, ac in nullo casu ultra quartam bonorum suorum partem. *Art.* 1078. Unde aliquando minus dare potest suo conjugi quam alteri personæ; nam, v. g., si unicum habeat filium, dimidiam omnium bonorum suorum partem extraneo et quartam duntaxat conjugi suo dare potest.

3° Omnes donationes inter sponsos simulatæ, v. g., sub forma venditionis occultæ, vel per personas interpositas factæ, sunt nullæ juxta plures : secundum alios vero sunt tantum reductibiles. Donationes indirectæ, v. g., si quis successioni vel legato renuntiaret in gratiam conjugis, non essent nullæ, nisi inquantum portionem, quæ dari potest, excederent. *Cod. civ. art.* 1099; *Delvincourt*, t. I, p. 863, not. 10. Reputantur autem personæ interpositæ descendentes sponsi donatarii ex præcedenti matrimonio nati, et propinqui quorum est tempore donationis hæres præsumptus. *Cod. civ. art.* 1099 et 1100. Pro foro interno eodem modo ratiocinandum est ac de substitutionibus simulatis.

III. De regulis specialibus quibus subjiciuntur donationes quæ fiunt inter sponsos per matrimonii contractum. — Quam libet voluerunt donationem sibi invicem facere possunt sponsi per matrimonii contractum, sub regulis in præsenti paragrapho jam expressis. *Art.* 1091. Unde non requiritur acceptatio sub pœna nullitatis.

Attamen, si hæc donatio habeat pro objecto bona fu-

tura, aut simul bona præsentia et futura, revocatur per mortem sponsi donatarii, quando mortem donatoris antecedit, ac proinde bona ista ad liberos ex matrimonio illo natos non transeunt. *Art.* 1093. Donatio ab extraneis facta sponsis, non revocatur per donatarii mortem, *ut supra vidimus*, quia in gratiam liberorum ex illo matrimonio descendentium facta reputatur : at si per donatarii mortem revocaretur, liberi in perpetuum ea privarentur, siquidem bona tunc ad extraneum donatorem et ab eo causam habentes redirent : porro hæc ratio non existit, quando bona ad sponsum donatorem redeunt, cum liberi sint illius hæredes necessarii, et aliunde magis convenit patrem, quamdiu vixerit, bonorum suorum esse dominum.

Si donatio bona præsentia tantum contineat, non revocatur per mortem donatarii, nisi hæc conditio clare fuerit expressa ; statim enim donatarius acquisiit dominium, et illud ad descendentes suos vi successionis transfert. *Art.* 1082.

IV. De regulis specialibus quibus subjiciuntur donationes quæ inter sponsos durante matrimonio fieri possunt. — Omnia bona quæ sponsi per matrimonii contractum sibi dare potuissent, eadem durante matrimonio pariter sibi dare possunt. *Art.* 1049. At hujusmodi donationes, etiam inter vivos, quamvis bona præsentia tantum contineant, semper ad voluntatem donatoris revocari possunt : ad talem revocationem uxor non indiget consensu mariti, nec judicis auctoritate. Verum illæ donationes non revocantur per prolem supervenientem : ratio patet. *Art.* 1096.

Donationes istæ inter sponsos fieri non possunt durante matrimonio, per unum et eumdem actum. *Art.* 197.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE ALIIS CONTRACTIBUS GRATUITIS.

Tres sunt alii contractus de quibus in illo articulo nobis agendum est, commodatum videlicet, mandatum et depositum ; unde triplex paragraphus.

## § I. — De commodato.

I. Quid commodatum. — Commodatum est *contractus quo res ad solum usum pro aliquo tempore alicui gratis conceditur cum onere eamdem in natura restituendi Cod. civ. art.* 1872.

Ex illa definitione, commodatum differt : — a) a locatione in qua usus etiam conceditur, sed non gratis ; — b) a deposito in quo usus non conceditur ; — c) a *precario* quo res non creditur pro aliquo tempore, sed ad nutum concedentis revocabilis manet ; — d) a mutuo, ut infra melius intelligetur.

Res quæcumque utiles, in commercio civili existentes, objectum commodati esse possunt', modo usu non consumantur. *Art.* 1878.

Quamvis proprietas rei ad commodantem semper pertineat, contractus ille tamen essentialiter est gratuitus, *art.* 1876 ; si quod enim statueretur pretium solvendum, jam non esset commodatum, sed locatio.

II. De obligationibus commodatarii. — 1° Tenetur rem tanquam bonus paterfamilias conservare, illamque adhibere ad usum ad quem ex natura sua vel ex conventione destinata est ; si aliter fecerit, cuncta damna inde provenientia reparare tenebitur. *Cod. civ. art.* 1880.

2° Cum ille contractus sit in gratiam solius accipientis, major adhibenda est diligentia in re conservanda proindeque ex culpa levissima res debitori seu commodatario perit vel decrescit ; imo pluribus in casibus ex casu fortuito ipsi perit, — a) nempe si ad alium usum illam adhibuerit, vel si in mora culpabili eam reddendi existat ; — b) si in clade communi eam cum rei propriæ detrimento conservare potuisset et non servaverit ; — c) si speciali conventione casus fortuitos in se susceperit ; — d) si res antequam ipsi traderetur fuerit æstimata ; nam tunc tacita quædam conventio de periculo suscipiendo existere censetur. *Art.* 1881 *et seq.*

Seclusis casibus præfatis, si res vi commodati decrescat

aut pereat absque ulla culpa commodatarii, domino perit aut decrescit, juxta axioma : *Res perit domino. Art.* 1884.

3° Commodatarius rem tempore præfixo reddere debet, aut si tempus non fuerit præfixum, eam remittere tenetur statim atque ad usum propter quem fuit tradita inserviit. *Art.* 1888. Fieri tamen potest ut ante tempus determinatum reddi debeat, scilicet, — a) si solius commodatarii intuitu fuisset data, et ipse moriatur, *art.* 1879; — b) si commodans ex casu improviso re sua statim indigeat. *Art.* 1889.

4° Nulla est ratio propter quam commodatarius rem sibi retinere possit, ne quidem quia commodans ipsius est debitor. *Art.* 1885.

5° Si plures rem eamdem in commodatum accepissent, omnes diversis supradictis obligationibus tenerentur in solidum. *Art.* 1887.

6° Denique commodatarius repetere non potest impensas quas fecit ut re sibi commodata uteretur, v. g., pabulum quod equo dare debuit. *Art.* 1886.

III. De obligationibus commodantis. — 1° Commodans tenetur rem non repetere ante tempus præfixum, vel ante tempus necessarium ut ea commodatarius uti valeat. *Cod. civ. art.* 1888.

2° Restituere debet omnes expensas extraordinarias necessarias et urgentes quas in re conservanda commodatarius fecit. *Art.* 1890.

3° Si res quædam habeat vitia nociva, et ea commodans non declaraverit, cuncta damna inde commodatario exsurgentia resarcire tenebitur. *Art.* 1891. Omnes illæ obligationes in jure naturali sunt fundatæ.

### § II. — De mandato et negotiorum gestione.

1° De mandato et mandatarii mandantisque obligationibus. — Mandatum, gallice *procuration, mandat*, est *contractus solo consensu constans, quo negotium aliquod ab uno alteri committitur, et ab altero suscipitur gratuito gerendum. Cod. civ. art.* 1984.

De natura est, non tamen de essentia mandati, ut sit gratuitum; stricte aliquid stipulari et promitti potest; sed tunc quænam est locatio et conductio operis. *Art.* 1986. Sed ubi nullum fuit stipulatum, mandatarius nihil pro labore suo sibi adscribere potest, et si quid sibi adscripsisset, restituere teneretur.

2° Præcipuæ mandatarii obligationes sunt : — a) ut limites mandati non excedat, v. g., pluris quam sibi præscriptum est emendo vel minoris vendendo ; — b) ut rem vel negotium cum debita diligentia gerat ; — c) de omnibus damnis ex culpa sua sequentibus tenetur, *art.* 1992 ; — d) alterum sibi substituere potest, sed de facto ejus tenetur, *art.* 1994 ; — e) mandanti reddere debet quidquid vi mandati percepit, etiamsi id mandanti debitum non fuisset. *Art.* 1993. Retinere vero posset quod sibi personaliter et sine ullo mandantis detrimento donatum fuisset.

3° Mandans autem tenetur refundere mandatario omnes impensas quas propter mandatum fecit, omniaque resarcire damna quæ occasione mandati passus est, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit. *Art.* 1999.

*Observandum est* personas ad contrahendum jure inhabile, ut mulieres conjugatas et minores, valide tamen ex mandato contrahere posse; sunt namque velut instrumenta, et mandans ipse per eas contrahit. *Art.* 1990.

Alia scitu valde utilia circa mandatum legenda sunt ni Cod. civ.; nos ea, brevitatis necessariæ causa, prætermittimus.

II. De negotiorum gestione. — Ad mandatum referri potest *negotiorum gestio*, sive actus quo quis absentis negotium utiliter gerendum suscipit, sine mandato, sed ex ejus commissione rationabiliter præsumpta. *Art.* 1371.

Gestor negotii, uti mandatarius, rem administrare debet tanquam bonus paterfamilias, et resarcire tenetur damna ex dolo suo vel ex culpabili negligentia illata, quia adest quasi contractus cum absente, qui tenetur ipse conventiones factas servare, gestoris impensas et damna ex gestione secuta compensare.

Gestor etiam jus habet, juxta plerosque theologos, ad mercedem congruentem; jus illud ex circumstantiis determinandum est.

Codex civilis de negotiorum gestione agit art. 1371 et sequent.

### § III. — De deposito.

I. Quid et quotuplex depositum. — Depositum est *contractus quo res alteri custodienda committitur et ab eo suscipitur, ut eadem postea reddatur.* In eo differt a pignore, quod in securitatem debiti non detur sicut pignus. *Art.* 1915.

Depositum ex natura sua est gratuitum, et si quid depositario solvatur, adest quædam locatio operis ad depositum attentius servandum.

Duplex distinguitur depositum : unum proprie dictum, quod res mobiles tantum pro objecto habere potest, et nomen depositi retinet; et alterum quod vocatur *sequestrum*, et locum habet quando res, sive mobilis sive immobilis, de qua litigatur, alteri tertio committitur, ut ei postea reddatur cui adjudicabitur.

II. De regulis quæ ad depositum proprie dictum respiciunt. — Depositum illud potest esse liberum vel necessarium. Est *liberum*, quando deponens libere eam elegit personam cui rem suam tradit custodiendam; est vero *necessarium*, quando libere non elegit personam cui rem suam committit, ut accidit in incendio, in naufragio, in diversoriis.

Depositum liberum ab eis tantum fieri potest qui habiles sunt ad contrahendum. Attamen, si persona habilis aliquid a persona inhabili, v. g., a minore, a muliere conjugata, in deposito accepisset, omnibus subjiceretur regulis quibus alter quicumque depositarius subjicitur; non teneretur quidem erga deponentem, qui, cum sit inhabilis, depositum repetere non potest, sed erga illius tutorem, maritum, etc. *Cod. civ. art.* 1925.

Si, e contra, persona habilis inhabili depositum committat, illud repetere poterit si existat : si vero non exi-

stat, id tantum exigere potest ex quo depositarius factus est ditior. *Art.* 1926.

Probatio autem depositi nunquam per testes admittitur, si centum et quinquaginta francos excedat. Si nullum existat scriptum, solum neganti deferri potest juramentum. *Art.* 1924.

III. De obligationibus depositarii. — 1° Rem apud se depositam tanquam suam custodire et conservare tenetur. Unde si res proprias ordinarie male gerat, ad reparationem damni non damnabitur ex eo quod depositum negligenter custodierit : hoc sibi imputare debet deponens qui talem elegit cui rem committeret. At si revera peccaverit, ex culpa lata tenebitur in conscientia. Hoc sequitur ex dictis in prima parte, p. 276.

Ad accuratiorem diligentiam in quatuor casibus tenebitur, — a) nempe si ad rem custodiendam sponte sese obtulerit; — b) si pretium pro illa custodienda stipulatus fuerit; — c) si depositum in sui ipsius cedat commodum, v. g., si usus rei depositæ ipsi permittatur. Tunc potius est mutuum vel commodatum quam depositum; — d) si majorem diligentiam adhibere promiserit. *Cod. civ. art.* 1928.

2° Depositarius re deposita nullo modo uti potest, nisi expressum vel rationabiliter præsumptum habeat consensum deponentis; rem enim eamdem physice, sive creverit sive decreverit, reddere debet, etiam pecuniæ summam. Si res in arca sit occlusa, vel sub involucro obsignata, quænam sit inquirere non potest, atque secretum si casu vel malitia illud detexisset, servare tenetur. *Art.* 1930, 1931 *et* 1932.

Juxta multos, consensus domini rationabiliter præsumitur quoad usum pecuniæ depositæ in sacco non occluso nec signato, modo nulla facta fuerit prohibitio utendi, et depositarius paratus sit summam statim ac exigetur reddere.

3° Si depositum pereat aut decrescat, deponenti perit aut decrescit, et depositarius ex culpa lata solummodo tenetur, exceptis casibus in art. 1928 memoratis, in qui-

bus ex culpa levi teneretur. Si vero fructus producat, ad deponentem pertinent, seclusa speciali conventione opposita : res namque domino fructificat, crescit, decrescit aut perit. *Art.* 1933 *et* 1936.

4° Depositarius exigere non potest a deponente ut demonstret rem depositam esse suam ; si tamen deprehenderet illam esse furtivam, dominum admonere deberet ut intra certum temporis spatium illam repetere posset ; quod si intra tempus determinatum eam non repetat dominus, depositarius eamdem deponenti reddere poterit ; et nullum contra se timebit recursum. *Art.* 1938.

5° Statim atque depositum postulatur reddi debet, etiamsi longius determinatum fuisset tempus : nisi enim contraria existat stipulatio, in gratiam solius est deponentis, qui ergo pro libitu illud exigere potest. *Art.* 1944.

6° Si persona quæ depositum credidit administrationem bonorum suorum habere cessaverit, v, g., si mulier nupserit, si vir fuerit interdictus, tunc res non deponenti, sed tutori vel administratori ejus reddenda est, *art.* 1940 ; vel hæredibus ejus, si mortuus fuerit. *Cod. civ. art.* 1937.

7° In deposito necessario probatio per testes semper admittitur, quantuscumque sit illius valor ; ordinarie enim in hujusmodi deposito scripta haberi non possunt ; ergo convenienter in illo casu statuitur exceptio. *Art.* 1950.

Caupones sunt velut depositarii necessarii relative ad sarcinas aliasque res quas hospites vel viatores apud eos deponunt ; tenentur de furto et deterioratione sive famulorum, sive aliarum personarum quæ eunt et redeunt per diversorium : at de furto cum armis vel alia vi majori peracto non tenentur. *Art.* 1953.

IV. De obligationibus deponentis. — Deponens tenetur solvere depositario impensas quas in re custodienda et conservanda fecit, atque eum reddere indemnem ; igitur depositarius rem apud se depositam retinere potest, donec integram solutionem sibi debitam obtinuerit. *Art.* 1947 *et* 1948.

V. De regulis quæ spectant ad sequestrum. — Sequestrum potest esse conventionale vel judiciarium. Est *conventionale*, si partes contendentes rem de qua controvertitur ex mutua conventione apud tertium deponant. Depositarius in illo casu rem ante ultimam judicis sententiam reddere non potest, nisi ex utriusque deponentis consensu. Cæteris insuper subjacet regulis quas modo exposuimus.

Sequestrum *judiciarium* dicitur, quando res de qua disputatur, ex sententia judicis, tertio remittitur custodienda, conservanda aut etiam administranda, donec judicatum fuerit cui reddi debeat. *Art.* 1961.

Qui suscipit onus bona sequestrata conservandi, jus habet pretium labori suo proportionatum postulandi et exigendi, sicut et damnorum compensationem. Iisdem aliunde tenetur obligationibus quibus cæteri depositarii subjiciuntur. *Art.* 1963.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

Inter hujus generis contractus præcipue reponuntur venditio et emptio, locatio, et contractus aleatorii. Contractus de societatibus commercii quæ ad eam classem reduci possunt remittuntur ad caput tertium, ubi de mutuo, quocum etiam affinitatem habet.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Venditio non potest esse sine emptione, nec emptio sine venditione : itaque venditio et emptio merito simul definiuntur : *Contractus quo unus proprietatem rei suæ*

*transfert; et alter ad pretium ejus solvendum se obligat.*

Origo emendi et vendendi a permutationibus exordium habuit. Olim enim non erat nummus; neque unum vocabatur merx et aliud pretium; sed unusquisque, secundum necessitatem, inutilia pro utilibus mutabat, v. g., vinum pro tritico, fructus pro vestimentis, etc. Quia vero non semper nec facile concurrebat ut unus haberet quod alteri deerat, electa est materia, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret. Illa autem materia est pecunia, qua mediante, venduntur et emuntur res cujusvis generis. Sic fere dicitur l. 1, ff. XVIII, 1 *de Cont. Empt.*

In septem paragraphos præsentem articulum dividemus. Agemus in 1° de natura venditionis et emptionis; in 2° de re vendibili seu merce; in 3° de iis qui vendere et emere possunt; in 4° de pretio; in 5° de obligationibus venditoris; in 6° de obligationibus emptoris; in 7° de diversis venditionis speciebus.

### § I. — De natura venditionis et emptionis.

Ex definitione superius data, tria concurrunt ad essentiam venditionis, nempe res vendibilis, pretium et consensus contrahentium; ut autem melius determinetur ipsius natura præcipue attendendum est ad modum quo dominium rei transfertur.

1° Dominium transfertur *ordinarie* solo consensu contrahentium; inde ille contractus non est realis sed consensualis. In jure Romano venditio non transferebat dominium, sed tantum venditor se obligabat ad rem tradendam et servandum emptorem contra omnem evictionem. Nunc vero, sub jure novo, venditio solo partium consensu perficitur et proprietas rei ad emptorem transmittitur, quamvis res non sit tradita, nec pretium solutum, *Cod. civ. art.* 1583; hoc merito statutum fuit et multo conformius est sensui contrahentium : hodie igitur applicari nequit vetus axioma olim a jurisperitis et theo-

logis admissum : *Traditionibus*, *non nudis pactis*, *dominia rerum transferuntur*.

Diximus *ordinarie*, nam huic principio plures exceptiones apponuntur in *Cod. civ.*

Si res vendita sit mobilis, et ante traditionem alteri vendatur ac tradatur, ad eum, modo non fuerit malæ fidei, pertinebit; prior vero emptor recursum ad venditorem habebit ut compensationem damni ab illo sibi illati obtineat; idque propter commercium sapienter fuit statutum. *Art.* 1141.

Item si venditio habeat pro objecto res quæ juxta pondus, numerum aut mensuram venduntur, non est perfecta quin pondere, numero vel mensura quantitas reipsa determinata fuerit, nisi res istæ summatim vendantur et emantur, v. g., acervus tritici, independenter a modiorum numero. *Cod. civ. art.* 1585 *et* 1586.

Si de rebus quæ gustari solent agatur, ut sunt vinum, aqua vitæ, oleum, etc., venditio non est perfecta quin res gustatæ sint. *Art.* 1587.

Si res vendita fuerit sub conditione probationis (*d'essai*), hæc conditio habetur ut suspensiva, et ideo venditio non est per se perfecta. *Art.* 1588.

2° Venditio est contractus non *solemnis*, nulla enim ad ejus validitatem forma specialis requiritur a lege : unde partes modo sint habiles, sub qualibet forma vendere et emere possunt, sive sub scriptis authenticis, sive sub scriptis privatis, sive solis verbis : at ubi verbis tantum facta est venditio, probatio ejus in foro externo non admittitur, si pretium centum et quinquaginta fr. excedat. *Cod. civ. art.* 1341. Excipiuntur tamen conventiones et debita pro negotiatione. *Cod. de Com. art.* 109.

Pro venditione navis, pro venditione tituli dicti *Brevet d'invention*, requiruntur scripta.

3° Naturæ venditionis consentaneum videtur, ut quidquid in ea ambiguum est, in favorem emptoris explicetur; quia venditor conditiones apposuit, et *odia restringi, et favores convenit ampliari*. Regula juris ecclesiastici, n. 15. Ita etiam lex civilis, *art.* 1602. Emptor solvere

debet omnes sumptus scriptorum, nisi aliter in conventione fuerit statutum, *art.* 1593 : ejus enim et non venditoris interest ut hæc existant scripta quæ sunt proprietatis tituli.

Cæterum, in variis casibus istis jure positivo determinatis, partes tenentur jure naturali bona fide conventioni stare. Semper jus positivum bonam fidem supponit, aut, quantum potest, eam supplet, et ex æquitate conventiones interpretatur.

*Quæritur* ad quid promittentes obliget promissio venditionis.

*R.* Si promissio venditionis acceptata existat, vel datæ sunt *arrhæ*, vel non : si datæ sint arrhæ, promissio hæc censetur conditionata et uterque contrahens ab illa resilire potest; qui accepit arrhas, duplo eas reddere, et qui solvit, easdem non repetere tenetur. *Art.* 1590. Si autem datæ non fuerint arrhæ, promissio venditionis censetur vera venditio, modo partes in rem et in pretium consenserint. *Art.* 1589. Attamen, ante exsecutionem promissionis, dominium rei nondum est translatum, et qui vendere promisit periculum rei servat.

Si arrhæ post venditionem dentur, habentur ut pars pretii vel ut pignus securitatis; nulli autem e contrahentibus ideo a contractu resilire licet.

### § II. — De iis qui vendere et emere possunt.

Certum est, ex dictis in prima parte, capite secundo, eos omnes valide emere aut vendere posse, qui a lege inhabiles non declarantur; certum est pariter eos qui declarantur incapaces ad contrahendum in genere, similiter nec vendere nec emere posse. At præter generalem hanc incapacitatem, alia est pluribus in casibus relative ad venditionem specialis incapacitas, quæ se tenere potest vel ex parte venditoris, vel ex parte emptoris, vel ex parte utriusque.

I. De incapacitate ex parte venditoris. — 1° Ille

cujus bona ex creditorum petitione sub custodia auctoritate legitima fuerunt tradita (gallice *le saisi*), bona hæc vendere non potest, quando custodia illi denuntiata est, ideoque, si ea venderet, contractus ipso jure et absque judicis sententia prorsus esset nullus. *Code de Procédure, art.* 692.

Sic 2° qui foro cessit (*qui a failli ou fait banqueroute*), cum bonorum suorum administrationem ipso die cessionis amittat, *Cod. de Commerce, art.* 442, hæc bona alienare non posset. Cessio autem incipit die qua mercator debita sua solvere rogatus recusat. *Code de Commerce, art.* 437 *et* 441. Imo alienationes onerosæ bonorum immobilium ante cessionis declarationem peractæ rescindi possunt ex creditorum petitione, si probare valeant illas fraudulenter esse factas; gratuitæ vero alienationes sunt nullæ nisi cessionis declarationem plus quam decem diebus præcesserint. *Code de Commerce, art.* 444.

II. De incapacitate ex parte emptoris. — 1° Tutor bona pupilli sui emere non potest, nec per se nec per alios, etiam in adjudicatione publica. Idem dicendum est de mandatariis respective ad bona quæ ex mandato vendere debent, de communitatum administratoribus circa bona quæ administrant, de publicis præpositis relative ad bona nationalia, quæ eorum ministerio vendi debent. *Cod. civ. art.* 1596.

Sic 2° ille cujus bona sub custodia sunt posita (*le saisi réellement*), et ii qui evidenter solvere nequeunt, bona ista per adjudicationem obtinere non possunt. Hæc prohibitio extenditur ad judices, procuratores, recognitores (*substituts*), scribas, etc., tribunalis ex cujus sententia bona illa venduntur. *Code de Procédure civ., art.* 713.

Sic 3° judices, eorum vicem gerentes procuratores, scribæ, advocati, notarii, etc., de litibus aut juribus litigiosis pascisci nequeunt, gallice, *ne peuvent devenir cessionnaires de procès et droits litigieux, qui sont de la compétence du tribunal dans le ressort duquel ils exercent leurs fonctions.* Cod. civ. art. 1597.

Hæc dispositio fundatur in periculo ne isti magistratus

suo officio abutantur in sui commodum; et sapienter admittitur.

III. De incapacitate ex utraque parte venditoris et emptoris petita. — Præfata incapacitas se tenere potest simul *ex parte venditoris et ex parte emptoris;* nempe 1° si agatur de conjugibus; inter se enim vendere et emere non possunt, nisi in triplici casu in art. 1595 Cod. civ. expresso; — a) scilicet si per sententiam judicis sint separati, et unus aliquid cedat alteri in solutionem debiti jam existentis; — b) si maritus quædam bona transferat uxori suæ etiam non separatæ ad compensanda bona ejus immobilia quæ fuerunt alienata, vel ad repræsentandam pecuniæ summam ad eam pertinentem, sed requiritur ut hæc bona et pecuniæ summa constituta non fuerint in communitate; — c) si mulier bonum aliquod cedat marito ad complendam dotem quam promiserat et quam non solvit integram.

Si venditio facta inter conjuges in uno e præcedentibus casibus, includat donationem simulatam, non ideo est nulla, sed reductibilis ex hypothesi quod lædatur reservatio. Si fieret in casu prohibito, rescindibilis esset juxta *Toullier, Troplong* et *Duvergier,* modo vere donatio intendatur; alii cum *Duranton* eam ut omnino nullam habent.

2° Quædam existit incapacitas vendendi et emendi inter quosdam magistratus aut præpositos, et subditos sub eorum jurisdictione degentes; duces enim militares in urbe, in præfectura aut divisione militari ubi nomine imperatoris imperium exercent, præfecti et subpræfecti in locis sibi subditis commercium quorumcumque granorum, farinæ aliarumque ejusdem generis substantiarum, vel vinorum aut aliorum liquorum agere non possunt, nisi forte diversa hæc objecta ex propriis ipsorum oriantur. *Cod. pénal, art.* 176. Hic tamen simplex prohibitio potius quam vera incapacitas exprimi videtur: nam minime dicitur venditionem illam futuram esse nullam. Præpositi tale agentes commercium deprehensi ad mulctam damnantur, et merces fisco adscribuntur.

### § III. — De re vendibili.

Res quælibet existens vel quæ existere potest et in commercio civili posita, vendibilis est : id sequitur ex dictis ubi de contractuum objecto. Si qua ex conditionibus in dicto articulo requisitis desit, venditio est nulla vel rescindibilis, prout fuit explicatum.

Nobis dicendum superest de venditione rei alienæ, et de venditione rerum quibus emptor abusurus prævidetur.

#### Sectio prima. — *De venditione rei alienæ.*

Venditio rei alienæ erat in jure Romano valida, eo sensu quod venditor eam aut similem a proprietario emere et emptori tradere teneretur, aut damna inde exsurgentia compensare. Licet talis venditio nunc declaretur nulla, nihilominus venditor jure naturali tenetur rem, quam vendidit, emere ut eam tradat, vel damna inde provenientia compensare ; imo ad id in fore externo damnaretur, ait *Delvincourt*, t. II, p. 521. Unde nullum fere est discrimen reale, circa illud punctum, saltem quoad praxim, inter novam et veterem legem.

Ut intelligatur extensio art. 1499 nullitatem hujusmodi venditionis pronuntiantis, quædam sunt notanda ex communi jurisperitorum sententia.

1° Nullitas invocari nequit a venditore in cujus gratiam non fuit statuta, nisi forte fuerit bonæ fidei, et, domino rei venditionem ratam habere nolente, velit statim, ad vitandos majores sumptus, damna compensare.

2° Invocari potest a domino rei, vel potius ille rem suam simpliciter apprehendit.

3° Sane invocari potest ab emptore cui lex favere voluit. Olim, emptor nullitatem invocare non poterat nisi turbaretur in sua possessione, et hoc consentaneum erat

principio tunc admisso. Nunc vero, sufficit periculum evictionis, quod existit quamdiu res vere est aliena, sed hoc periculum requiritur : nam si non adesset, actus venditionis idem esset respectu emptoris ac actus validus. Hinc emptor nullitatem invocare nequit si venditor factus fuerit dominus rei et actum ratum habeat ; — si ipsemet emptor rem acquisierit per præscriptionem vel bona fide consumpserit ; — si res apud ipsum casu fortuito perierit.

Nullum est dubium quin rei alienæ venditio, licet injusta, fiat postea valida, si legitimus dominus eam ratam habeat; nam tunc vera fit venditio, vel condonatio, et eo instanti dominium transmittitur. Sit in exemplum.

*Gravis quæstio circa bona ecclesiastica quæ tempore perturbationis gallicanæ publice vendita sunt.*

Certum est eos qui hujusmodi bona tempore perturbationis publicæ emerunt, præter sacrilegii reatum, graviter contra justitiam commutativam peccasse; nam in confesso est bona prædicta injuste vendita fuisse; ergo injuste acquirebantur et injuste post acquisitionem retinebantur. Unde non unum, sed tot peccata acquisitores perpetrarunt, quot actus voluntatis renovarunt eadem sibi retinendi; itaque, nisi de his peccatis sincere doleant, absolvi nequeunt.

1° At tempore Concordati inter summum Pontificem Pium VII et gubernium tunc in Gallia existens, die 15 augusti anni 1801 initi, possessores bonorum ecclesiasticorum proprietarii facti sunt adeo ut ea nunc restituere non teneantur. Ea namque restituere non tenentur, si summus Pontifex, pro bono pacis, proprietatem illorum nomine Ecclesiæ condonaverit : atqui eorum proprietatem clare videtur condonasse per articulum Concordati 13, sic se habentem : « Sanctitas sua, pro pacis bono fe» licique religionis restitutione, declarat eos qui bona » Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam ha-

» bituros, neque a se, neque a Romanis pontificibus, suc-
» cessoribus suis, ac consequenter proprietas eorumdem
» bonorum, reditus et jura iis inhærentia immutabilia
» penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes. »
Communiter enim in Gallia episcopi, doctores, theologiæ professores ac confessarii scientia et pietate conspicui, ex citato articulo semper intellexerunt proprietatem supradictorum bonorum revera translatam fuisse, ac proinde possessores minime quoad restitutionem nunc esse inquietandos. Hunc articulum sanctissimus idem Pontifex confirmavit in bulla *Ubi primum*, data die 17 julii anni 1817, cujus hæc sunt verba, post enumeratas omnes sedes episcopales : « Cum vero Galliarum Ecclesiæ in præ-
» terita rerum conversione suo fuerint orbatæ patrimo-
» nio, et ea quæ de peractis bonorum ecclesiasticorum
» alienationibus articulo 13 Conventionis anni 1801 ex
» pacis studio decrevimus, suum jam effectum nacta
» sint, ac firma semper suoque in robore perstare de-
» beant, etc. »

Condonatio illa summi Pontificis non est nova et sine exemplo : in Anglia, post Henricum VIII, cardinalis Paulus, suprema rogante curia, ex facultate a Julio papa III sibi data, dispensationem omnibus bonorum ecclesiasticorum acquisitoribus concessit, ut ea tranquille deinceps possiderent (*Continuateur de Fleury*, l. CL, n. 37). Dici non potest dispensationem istam fuisse tantum pro foro externo, nam eodem decreto matrimonia jure ecclesiastico nulla revalidat, collationes beneficiorum irritas confirmat : at certe hæc pro foro interno erant : ergo et dispensatio pro ecclesiasticorum bonorum possessione.

Monebat temen simul Legatus injustos bonorum acquisitores, ut conscientiæ suæ providerent, nec in facili dispensatione Ecclesiæ nimis fiderent; dispensatio enim sta non auferebat peccatum injustitiæ jam commissum, quod absque sincera pœnitentia deleri non poterat, nec ab excommunicatione majori per sacrilegam emptionem ncursa absolvebat. Idem dicimus de acquisitoribus in empore nostro.

In ipso Ecclesiæ Romanæ territorio quædam bona ecclesiastica tempore usurpationis fuerunt vendita : beatissimus papa Pius VII, pro bono pacis, declaravit se nullo modo molestaturum hujusmodi bonorum acquisitores, et revera nihil ab eis exegit, nisi ut onera pia eis annexa impleri curarent : ergo *a pari* nihil aliud in Gallia a possessoribus est exigendum.

2° Quoad pia onera, multi arbitrantur ea stricte exigi non posse; nam condonatio per articulum Concordati 13 facta, est generalis, absoluta et sine ulla restrictione : ergo vi illius omnia onera fuerunt exstincta. Attamen, cum illa condonatio ægre admodum, et non nisi ob necessitatem fuerit concessa, non nimis extendenda est, sed potius esset restringenda. Porro exstinctio onerum spiritualium non clare exprimitur : hortandi sunt ergo possessores ad implenda hæc onera. Ita fert rescriptum sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ ad nos personaliter directum, die 10 martii 1818, in quo hæc leguntur verba :

« Sacra Pœnitentiaria, de expressa Apostolica auctori-
» tate, consulenti oratori declarat bona ecclesiastica a gu-
» bernio Gallico occupata ante conventionem initam
» anno 1801 inter Sanctam Sedem et gubiernum Galli-
» cum, in plena acquirentium proprietate esse, adeo ut
» ea retinere, iis gaudere atque alienare etiam illa tuto
» ac libere possint in foro, tum externo, tum interno,
» dummodo tamen acquisitio facta fuerit secundum leges
» tunc vigentes. Hortantur tamen acquirentes istos ut pro
» sua pietate ac religione satisfacere velint piis Missarum,
» eleemosynarum, aliarumque rerum similium oneribus,
» quæ bonis illis olim forsan infixa erant. »

Ex his rescripti verbis sequitur — a) proprietatem hujus generis bonorum revera et pro foro interno fuisse translatam; — b) nunc licere prædicta bona vendere au emere; — c) eos qui a tempore conventionis anni 1801 talia obtinuerunt bona, sive titulo hæreditatis, sive donatione, sive emptione, non peccasse, nec proinde ab illis exigendum esse ut de possessione vel acquisitione ista conterantur; — d) non solum simplices possessores, se

ipsos acquisitores esse duntaxat hortandos ut pia impleant onera.

*Notandum est* 1° hanc summi Pontificis condonationem primarios supradictorum bonorum acquisitores a censura ecclesiastica quam incurrerunt non liberasse : ergo ab illa solvendi sunt. Pariter, cum via omnino iniqua divites facti sint, maxime saltem convenit ut eleemosynas plus minusve abundantes tribuant, prout plura vel pauciora hujusmodi bona emerunt.

*Notandum est* 2° articulum 13 Concordati solummodo transferre proprietatem bonorum hoc tempore alienatorum; dicit enim, *qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt :* bona ergo quæ tunc non erant alienata, non fuerunt sic condonata : unde bona quæcumque, a privatis huc usque absque legali alienatione detenta, procul dubio reddi debent, ut in Tractatu *de Restitutione* diximus, p. 57, 58 et 59, et non semel contigit.

Sed bona quæ tunc a gubierno erant occupata, habenda sunt ut jam alienata, juxta responsionem S. Pœnitentiariæ et aliam responsionem ab auctore Tractatus de Justitia et Jure, Ambiani impressi, citatam. Unde ea a gubernio vendita privati licite emere potuerunt.

*Altera quæstio gravis circa bona vulgo dicta :*

DES ÉMIGRÉS.

Certum est pariter hæc bona injuste vendita fuisse, ac proinde vendentes et ementes contra justitiam commutativam peccasse, eosque absolvi non posse, nisi de tali peccato sincere doleant.

Attamen, cum possessores hujusmodi bonorum ea juxta leges tunc existentes acquisiissent, non omnino assimilabantur furi qui rem integram reddere tenetur : unde episcopi, doctores et confessarii etiam accuratiores solummodo exigebant compositionem liberam inter actuales possessores et legitimos proprietarios, vi cujus, data aliqua pecuniæ summa, proprietas manebat inconcussa penes acquisitores et ab eis causam habentes.

Nunc vero, ex quo lata est lex indemnitatis, die 27 aprilis 1825, nova exsurgit quæstio, an scilicet actuales possessores quidquam prioribus dominis solvere adhuc teneantur. Quidam arbitrantur eos teneri ad restitutionem donec proprietarii omnino indemnes fiant : 1° quia injuste hi spoliati sunt et jus ad perfectam indemnitatem habent; 2° quia sine legitimo titulo proindeque injuste illi possident.

Cæteri autem æstimant, lege indemnitatis impleta, nullam existere obligationem restituendi, et his præsertim rationibus fundantur : 1° licet legitimi proprietarii prorsus indemnes non fiant, certum est tamen eos multo plus hac lege recepisse, quam, ea seclusa, ex liberis compositionibus sperare potuissent : omnes tamen fatentur liberas compositiones esse sufficientes ad tutandam conscientiam. Ergo. 2° Gubernium indemnitatem solvit nomine actualium possessorum, ut eos liberet, et maximam plagam Revolutionis sanet, *pour fermer la plaie de la Révolution;* sunt ipsamet verba regis Caroli X : porro gubernium hunc scopum non attigisset si, non obstante hac solutione, nihilominus actuales possessores ad restitutionem obligarentur, ut sat clare patet. 3° Repugnat proprietarios indemnitatem pro bonis amissis suscipere, et dominium tamen in ea retinere : igitur indemnitatem accipiendo, proprietati renuntiarunt. 4° Nisi hoc principium pro foro interno sicut pro foro externo admitteretur in multas laberemur difficultates intricatissimas quæ nusquam finem obtinerent; posita namque obligatione restitutionis, cuncti confessarii eam exigere tenerentur, a liberis pro tempore quo hæredes fiunt, ab uxoribus, a moribundis, etc. : at nemo non videt quantum detrimentum hæc agendi ratio afferret religioni, paci familiarum et æternæ animarum saluti. Ergo.

Certum est quidem legitimos proprietarios non esse indemnes nisi ex parte : at quot sunt alii qui, tempore perturbationis nostræ, multa passi sunt damna, et nullam obtinuerunt indemnitatem? Sunt calamitates publicæ valde lugendæ, et earum consectaria ab omnibus vitari

nequeunt. Unusquisque sortem suam patienter sustineat, et aliis saltem pro bono publico indulgeat.

SECTIO SECUNDA. — *De venditione rerum quibus emptor prævidetur abusurus.*

I. CIRCA HANC VENDITIONEM EXPENDITUR PRINCIPIUM GENERALE. — Certum est venditionem rerum quibus emptor prævidetur abusurus esse validam, nam res illæ etiam pessimæ et ad malum destinatæ, ratione substantiæ sunt pretio æstimabiles, et jus positivum, licet plures venditiones hujus generis prohibeat, eas tamen irritas non facit, *Cod. pénal*, *art.*287; sed decernit contra vendentes mulctam pecuniariam et pœnam carceris.

Tota igitur quæstio circa honestatem hujus venditionis versatur, utrum nempe alicui liceat pro vitando gravi incommodo præbere alteri materiam vel occasionem peccandi, non intendendo quidem peccatum ejus, sed proprium commodum, ut contingit in eo qui necessitate pulsus mutuum ab usurario petit : porro docent theologi communiter hoc licere, nam in eo casu peccatum non est imputabile ei qui materiam vel occasionem ponit; imputari enim non potest nisi quatenus ex parte sui esset voluntarium directe, vel saltem indirecte : porro neutrum dici potest. Non directe, siquidem in se non intenditur, nec necessario ex prædictæ materiæ vel occasionis positione sequitur, sed ex sola peccantis malitia. Non indirecte, nam illud non est voluntarium indirecte, seu in causa, cujus causam auferre agens non tenetur : at in nostro casu causam prædicti peccati agens auferre non tenetur; contra vero, ex hypothesi, justam habet rationem eam ponendi. Ergo.

Aliunde, nisi hæc doctrina admitteretur, dicendum foret nullam rem vendi aut arte confici posse; nam fere nulla est qua homines abuti non possunt, et qua de facto non abutantur. Ergo.

II. SOLVUNTUR DIVERSÆ DIFFICULTATES PRACTICÆ. — At præter hanc generalem doctrinam, plures occurrunt difficultates quoad singula; ut autem solvantur, res de quibus

agitur in duas classes dividi possunt : aliæ sunt quæ ex natura aut forma sua ita ad malum sunt determinatæ, ut nunquam aut fere nunquam ad bonum inserviant, qualia sunt philtrum amatorium, vestes muliebres ubera nudantes, libelli famosi vel libidinosi, picturæ lascivæ, larvæ, idola et vestes sacerdotales respectu paganorum. Aliæ autem sunt ad bonum et malum usum indifferentes : talia sunt arma, venena saltem ordinaria, fucus, tali, chartæ lusoriæ et innumera alia. *His prænotatis*, sequentes statuuntur assertiones.

*Prima assertio.* Non licet vendere ex professo res quæ ex natura aut forma sua ita ad malum usum determinatæ sunt, ut ad bonum vix inservire possint; non licet enim absque legitima causa præbere alteri materiam aut occasionem proximam peccandi : porro nulla potest esse ratio sufficiens res hujusmodi ex professo vendendi. Ergo.

Dicimus *ex professo;* si quis enim res hujusmodi ex casu haberet, v. g., idolum, aut quid simile, et paganus mortem illi minitaret nisi illud venderet, tunc vendere posset, quia periculum in quo versaretur amittendi vitam, esset ratio sufficiens ut materiam vel occasionem alterius peccati, tuta conscientia, ponere posset. *Ita communiter theologi.* Licet pariter res prædictas vendere, si certo prævideatur ementem eas ad usum licitum petere, v. g., vestes sacerdotales paganorum ad tragœdiam honeste repræsentendam, librum hæreticum ad illum confutandum, venenum ad mures destruendos, etc.

*Secunda assertio.* Licet vendere ex professo res quibus homo potest indifferenter bene vel male uti; nam si res hujusmodi vendere ex professo non liceret, nulla aut fere nulla res ex professo vendi posset, ex observatis : verum id nec admitti nec dici potest, siquidem societas ex parte nunc subverteretur. Hinc licet vendere ex professo vinum, arma, aleas, chartas lusorias, etc.

Non licet tamen ea vendere quæ ad malum usum potius destinata videntur quam ad bonum, v. g., pura venena, nisi constet ea ob bonum usum postulari. Ludovicus XIV statuerat quod venena, naturam suam semper

retinentia, a nemine, ea vero quæ cum aliis rebus mixta utilia sunt, a medicis tantum, chirurgis et pharmacopolis vendi possent; et quod medici, chirurgi ac pharmacopolæ nemini ipsum veneni corpus venderent, sed solum commixtionem ex illo cum aliis rebus ita factam ut inservire posset. Hæc dispositio erat sapiens et ratione fundata : ideo fuit aliquo modo renovata lege condita die 11 aprilis anno 1803, in qua hæc habentur : « Toute substance vé-» néneuse ne peut être vendue qu'à des personnes con-» nues et domiciliées, qui en auraient besoin pour leur » profession ou pour cause connue, sous peine de 3,000 fr. » d'amende de la part des vendeurs. Les pharmaciens et » épiciers doivent inscrire, sur un registre coté et para-» phé du maire, les noms, qualités et demeures des per-» sonnes auxquelles ils auraient vendu de ces substan-» ces, etc. »

*Tertia assertio.* Res ad bonum et malum usum ex se indifferentes vendere non licet absque legitima causa illis qui eas in malum usum conversuri prævidentur; nam, ex dictis, non licet absque legitima causa præbere alteri materiam peccati vel occasionem peccandi. Unde non licet, v. g., vinum homini se inebriaturo vel jam ebrio, dare, nisi gravis excuset causa.

Difficillimum est autem recte determinare qualis hæc causa esse debeat ut sit legitima. Debet quidem, juxta omnes, esse proportionata, tum proximitati materiæ vel occasionis, tum gravitati peccati ad quod concurritur. Unde major requiritur ratio ad vendendum gladium ei qui vult inimicum occidere, quam ad vinum ebrio præbendum, et major ad vinum ebrio præbendum, quam ad cibum jejunium violaturis apponendum, etc. Sed hæc omnia ex judicio viri prudentis sunt pensanda. Nulla in theologia morali occurrit materia difficilior in praxi quam cooperatio ad malum; hic præsertim inter duo extrema summa cum circumspectione incedendum est.

*Quæritur* 1° utrum qui res indifferentes vendere possit illis qui eas in abusum petunt, quando timet ne officinam suam deserant.

*R.* Sæpius hæc ratio non est sufficiens, aliquando vero sufficit : prudentum hominum judicio hoc æstimandum est. Si de gladio vel de veneno ad alterum occidendum ageretur, prædictus timor ratio non esset sufficiens, *ut patet;* si ageretur de vino ebriis præbendo, timor ille adhuc insufficiens videretur, quia ebrietas essentialiter est contra jus naturale; si autem de legibus jejunii aut abstinentiæ frangendis agatur, timor fundatus ne multi officinam deserant, ratio sufficiens nobis videtur, nam leges Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo. Secus dicendum foret, si pauci tantum officinam deserturi præviderentur, quia grave non timeretur incommodum.

*Quæritur* 2° an fucum muliebrem vendere liceat.

*R.* Quæstio hæc pendet ab altera, an scilicet mulieres fuco ad vultum pingendum licite uti possent. Docent communiter theologi, post S. Thom., mulieres quæ fuco vultum suum pingunt, mortaliter non peccare, modo illud non faciant ad lasciviam excitandam, vel in Dei contemptum; sed omnes generaliter tenent illas semper venialiter peccare, nisi ad tegendum naturalem defectum vel ad obediendum marito illique placendum id faciant. Igitur qui fucum vendunt, nisi prævideant illum ad lasciviam fovendam esse adhibendum, mortaliter non peccant; si manifeste sciant quod ad vanitatem petatur, et illum absque incommodo recusare possint, et tamen vendant, peccant venialiter.

### § IV. — De pretio.

Pretium est *pecunia valori rei commensurata.* Dicemus de necesssitate pretii in venditione, de obligatione justo pretio standi.

I. De necessitate pretii. — Pretium est de essentia venditionis : si enim nullum stipularetur pretium, esset donatio; si res una pro altera daretur, esset permutatio.

Necesse est aliunde pretium aliquo modo rei valori commensurari, alioquin non esset serium. Valor autem

rei non præcise ex natura aut qualitatibus ejus intrinsecis desumendus est, sed ex ordine ejus ad usum et ex hominum æstimatione. Hinc pro venditione haberi non posset contractus in quo pro uno aut pluribus nummis bonum magni momenti traderetur; non tamen requiritur ut pretium valorem rei adæquet. « Censebitur se» rium, ait *Carrière*, quotiescumque, licet modicum » respectu rei venditæ, est in se satis gravis momenti ut » appareat venditorem vere illud exigere et in lucrum » suum velle convertere. Tunc dici potest esse contrac» tum mixtum, qui aliquid participat de donatione, et » dicitur venditio secundum præcipuam contrahentium » intentionem. » N. 374.

Tandem necesse est ut pretium a contrahentibus determinetur, sive directe, sive indirecte, scilicet, præbendo rationem sufficientem futuræ determinationi, v. g., statuendo illud determinandum fore per arbitrium. Si arbiter in contractu designatus non possit aut nolit pronuntiare, venditio erit nulla. *Cod. civ. art.* 1591 et 1592.

Si arbiter in contractu nominatim non designetur et una pars de illo eligendo convenire nolit, æquum videtur quod nihilominus valeat venditio, alioquin faveretur malæ fidei : tunc arbiter, juxta multos, per judicem erit designandus, et utraque pars æstimationi ejus stare tenebitur. Si arbitri æstimatio certo videatur injusta, plurimi jurisperiti, præsertim recentiores, adhuc illi standum esse sentiunt, nec rescissionem peti posse existimant, modo non adfuerit machinatio fraudulenta, quia uterque contrahens scienter sese exponebat periculo; alii vero contradicunt, inter quos *Pothier* et *Delvincourt*, quia ipsis jus unius vere lædi videtur.

II. De obligatione ex parte venditoris et emptoris justo pretio standi. — Duplex distinguitur pretium, legale et naturale. Pretium legale illud est quod auctoritate legitima fuit determinatum, atque indivisibile est et permanens. Pretium naturale est illud quod, juxta communem hominum æstimationem, valori rei respondet; non est permanens, sed augetur vel minuitur, habita ratione

circumstantiarum, temporum, pecuniæ, mercatorum et mercium; non est indivisibile, sed quamdam habet latitudinem moralem. Unde triplex vulgo distinguitur, infimum, medium et supremum.

Quænam autem debeat esse latitudo seu distantia ab infimo ad supremum, non facile determinatur; minor est in rebus necessariis et frequentioris usus, major in rebus superfluis, major etiam in rebus pretiosioribus, et adhuc major in rebus raris et magni pretii. Lessius, l. II, c. 21, n. 10, hanc tradit regulam pro rebus necessariis. Si, inquit, et post eum communiter theologi, medium pretium sit decem, summum erit undecim, et infimum novem circiter. Similiter si medium sit centum, summum erit centum et quinque, plus minusve, et infimum circiter nonaginta quinque. Sed in his omnibus ad id præcipue attendendum est quod, juxta prudentem hominum æstimationem, fieri solet in contractibus in quibus nulla est fraus, nec mala fides.

His positis triplex potest occurrere casus : vel existit pretium legale, vel pretium naturale, vel nullum existit pretium determinatum.

1° *Si* juxta primum casum *existat pretium legale*, certum est eum qui supra illud pretium vendit contra justitiam peccare et ad restitutionem teneri. Justa namque imperatoris aut gubernii decreta obligant in conscientia, et quando in favorem alicujus constituuntur, dant illi jus strictum ; at decreta quibus imperator vel gubernium pretium alicujus generis mercium determinat, semper supponi debent justa, nisi contrarium evidenter constet, et aliunde in favorem emptorum constituuntur : ergo obligant in conscientia et in justitia. *Ita generaliter theologi.*

Pretium istud est indivisibile : unde sive parum, sive multum venditor illud excedat, excessum restituere tenebitur. E contra, cum hæc taxa in gratiam emptorum instituatur, imminutionem illius licite petere possunt. Propter eamdem rationem, si venditor rem haberet malæ qualitatis et minoris valoris quam taxatur, totum pretium legale exigere non posset ; si vero merx ipsius nota-

biliter alias merces ejusdem generis, quæ vendi solent, excederet, augmentum pretii exigere posset; nam decretum imperatoris vel gubernii cadit in res ut esse solent. Sed requiritur ut notabilis sit excessus, alioquin lex scopum suum non attingeret.

2° *Si adsit tantum pretium naturale*, non licet supra summum naturale vendere nec infra infimum emere, et qui aliter facit ad restitutionem tenetur : etenim qui justitiam commutativam violat, ad restitutionem tenetur : at ubi nullum est pretium legale, qui supra summum naturale vendit, vel infra infimum emit, justitiam commutativam violat; nam justitia commutativa postulat ut in contractibus onerosis æqualitas inter id quod datur et id quod accipitur servetur : ergo. Ita S. Thomas, 2, 2, quæst. 77, art. 1, et cum illo omnes theologi.

Venditor qui in alienatione boni immobilis læsionem ultra septem ex duodecim partibus (*au-delà des sept douzièmes*) passus est, rescissionem contractus intra duos annos petere et obtinere potest. *Art.* 1674. Beneficium istud in alienatione boni mobilis non datur, et nunquam emptori conceditur. At dispositio hæc in foro externo duntaxat locum habet; nam in foro interno quidquid est supra summum vel infra infimum pretium, restituendum est, ut æqualitas servetur.

*Hinc* 1° venditor rem carius vendere non potest ob emptoris necessitatem, quia hæc necessitas rei valorem non auget; nec ob singularem ejus affectionem, nemo enim vendere potest quod ad se non pertinet; nec ad compensationem damni ex sua culpa orientis, v. g., quia ipse ad rem emendam, propter inscientiam propriam vel quamcumque aliam circumstantiam, nimium pretium solvisset; nec pariter a restituendi obligatione liberaretur ex eo quod emptor ultro nimium hoc pretium obtulisset : non censetur enim ex plena voluntate hæc fecisse, bene vero ex errore vel ex metu, ne rem justo pretio obtinere non posset.

Si venditor dolo adduxerit emptorem ad solvendum pretium, quod alias non dedisset, quamvis summum non

excedat, ad restitutionem tenebitur; unusquisque enim jus habet ut dolo non decipiatur,

Mendacia et perjuria, quibus mercatores quotidie affirmant rem sibi tanti constitisse, aut jam tantum pro illa sibi oblatum fuisse, ut dolus, saltem ordinarie, non sunt habenda, nemo quippe nescit hæc communia esse stratagemata, et nullus eis credendo decipitur: igitur qui sic mentiuntur aut perjurant, peccant quidem saltem venialiter mentiendo, et graviter perjurando: sed ordinarie contra justitiam non peccant nec proinde ad restitutionem tenentur.

Diximus *ordinarie;* nam si talibus mediis hominem simplicem decepissent, et ad pretium adduxissent quod alias solvere noluisset, ad restitutionem tenerentur, quia respectu illius viri dolus exstitisset.

Qui aliquid supra summum pretium petunt, ut emptores ad justum adducant, non mentiuntur, quia id apud omnes receptum est. Si tamen sumerentur ad verbum, ut aiunt, id quod excedit justum pretium remittere tenerentur.

Venditor rem suam carius vendere potest ob rerum hujusmodi penuriam, ob emptorum majorem numerum, ob pecuniæ abundantiam, etc.; nam hæc valorem rei augent. Potest similiter eam carius vendere ob singularem propriam erga illam affectionem, hæc enim affectio aliquo modo est pretio æstimabilis; pariter carius vendere potest ob damnum emergens, ob lucrum cessans, ob commodum vel utilitatem quam ex illa percipit; nemo enim non videt hæc omnia suo modo pretio æstimabilia esse, et ad venditorem pertinere.

*Hinc* 2° emptor, e contra, merces ob singularem venditoris necessitatem infra pretium infimum emere non potest, æqualitas enim, *ut patet*, non servaretur. Potest autem eas viliori pretio emere ob rerum hujus generis abundantiam, ob emptorum paucitatem, ob conditionem onerosam ipsi impositam, vel quia ultro sibi offeruntur et illis non indiget; nam, secundum communem hominum æstimationem, hæc valorem rei minuunt, et *merces*

*ultroneæ vilescunt*, quod tamen aliquando locum non habet. Unde attendendum utrum, sensu omnium, pretium vere minuatur.

3° *Si res non habeat pretium determinatum, nec legale, nec naturale*, ut sunt gemmæ, aves Indicæ, veteres picturæ, libri rari et curiosi, etc., probabilius est non licere tanti vendere quanti dominus vult.

Etenim non licet enim res supra justum pretium vendere, siquidem æqualitas semper servari debet : atqui justum pretium a voluntate venditoris non pendet, et si emptor aliquid supra offerat, id ex errore vel ex singulari sua affectione ad rem facit : ergo res istæ secundum æstimationem viri prudentis et periti vendi debent. Attamen in his, sicut et in aliis venditionibus, quando ex utraque parte bona existit fides, communiter pœnitentes non sunt inquietandi nisi ex aliquo et fundato indicio appareat veram exstitisse injustitiam, v. g. : quotidie veteres libri in se optimi vili pretio venduntur; si essent novi, licet non meliores, quadruplo pluris venderentur; nemo suspicatur aliquam ibi esse injustitiam, quia sic inter homines receptum est. Ita *Billuart*. Secus dicendum, si de objecto magni pretii et extraordinario ageretur, nisi communiter homines etiam artis periti hanc illius objecti qualitatem ignorent. Ita *Billuart*, *Collet*, de Contr. part. 2, cap. 1, art. 4, sub fine.

Qui res minoris pretii in se asportant in regiones ubi maximo æstimantur pretio, v. g., cultellos vel specula ad Indos, eos pretio ibi recepto vendere possunt : quia pretium hujusmodi objectorum communi hominum ibi commorantium æstimatione determinatur; hoc vero pretium excedere injustum esset.

Qui inter res communes invenit rem quam scientia privata novit pretiosam, v. g., herbam medicinalem inter herbas communes, illam cum cæteris vili pretio emere potest, si sit in loco ubi valor iste a nemine æstimatur, et etiam probabilius, licet in eodem loco plures rei valorem æstimare valeant, quia ex usu et destinatione res illa censetur amisisse pretium et honorem : sic in praxi

apprehendunt omnes. Ita multi theologi, *Biltuart*, *Dens*, *Vernier*, etc., contra *Collet*.

Advertendum est, si adsit locus restitutioni, venditorem reddere teneri quod excedit summum pretium, emptorem vero quod infra pretium infimum non solvit; ratio patet ex dictis.

*Quæritur* 1° utrum quis rem suam currenti pretio vendere possit, si prævideat fore ut brevi valor decrescat, et utrum merces in usum suum convertendas aut aliis revendendas currenti pretio emere valeat, si certo sciat earum pretium mox auctum iri.

*R.* Si prævideat pretium majus aut minus futurum esse ex vitio vel ex qualitate intrinseca jam existente, quam ipse solus novit, nec vendere nec emere potest currenti pretio; nam res vere et omnium sensu jam minoris vel majoris est pretii.

Si vero ex causa extrinseca, et circumstantiarum mutatione pretium crescere vel minuere debeat, currenti pretio vendere et emere potest: licet enim vendere et emere justo pretio: at pretium currens est justum, neque tale esse desinit propter prævisionem illius qui vendit aut emit: ergo. Ita S. Thomas, Lessius, Sylvius, P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, et communiter alii contra paucos, inter quos D. *Soto* et *Pothier*, *Traité de la vente*, part. 2, c. 2, art. 8.

Qui tamen hujusmodi venditione vel emptione alterum in necessitatem conjiceret, contra charitatem peccaret; ex charitate enim tenemur alteri necessitatem patienti etiam cum aliquo detrimento nostro succurrere; *a fortiori* tenemur illum in talem necessitatem non conjicere ad comparandas divitias. Sic, cum pluribus aliis, P. *Antoine*.

*Quæritur* 2° an qui, ratione sui officii, prævident eventus ex quibus certo augendum vel minuendum est censuum publicorum (*fonds publics*) pretium, tuta conscientia uti possint ea cognitione ad dictos census emendos aut vendendos, sicque facienda non modica lucra.

*R.* Nobis videtur hanc agendi rationem æquitati non

esse conformem : notitia enim quam habent prædicti homines ratione sui officii, aliis hominibus est impossibilis; ipsis ergo nocebit, cum lucrum fieri nequeat sine aliorum detrimento, et nulla ipsis suppetat via damnum sibi paratum vitandi. Ergo, etc.

Eadem decisio applicanda esset, si ageretur de pretio legali rei cujuscumque mox a principe minuendo vel augendo.

### § V. — De obligationibus venditoris.

Præter obligationem vendendi justo pretio, plures sunt adhuc venditoris obligationes : aliæ scilicet spectant ad rei defectus, aliæ ad traditionem, et aliæ ad assecurationem : unde triplex erit hujus paragraphi sectio.

#### Sectio prima. — *De obligationibus venditoris quæ ad rei defectus spectant.*

Defectus potest esse vel in ipsa rei substantia, ut si quis aurichalcum pro auro, vel Cenomanense vinum pro Burgundino vendat, et tunc contractus est nullus, ut vidimus agendo de errore; vel est in quantitate, v. g., si non servet in vendendo debitum pondus, numerum, etc., et tunc adest obligatio restituendi, ut in præcedenti § diximus, nam æqualitas non servatur. Vel defectus est in rei qualitate, ut si equus non sit velox, sed nimis tardus; defectus autem iste potest esse vel occultus, ut si equus sit lunaticus; vel manifestus, ut si equus sit omnino cæcus. Iterum vel defectus efficiet ut res ementi futura sit periculosa, inutilis aut noxia, v. g., si bos sit inhabilis ad arandum, vel quoscumque occurrentes cornibus feriat; vel emptori minime nocebit, ut si bos prædictus vendatur lanio qui eum statim occisurus est. Item, aut venditor ab emente interrogatur, aut non interrogatur.

I. Quandonam venditor rei defectus aperire teneatur. — 1° Venditor interrogatus de mercis suæ defectibus, sive occultis sive manifestis, eos aperire tenetur,

alioquin contractus esset injustus, etsi pretium imminueret. Ille enim contractus est injustus in quem contrahens dolo adducitur : at si venditor interrogatus, rei suæ defectus non aperiat, emptorem dolo adducit in contractum : nam emptor venditorem interrogans, sufficienter manifestat se rem emere nolle, si defectus habeat. Præterea, æqualitas non servaretur; nam æqualitas non servatur quando unus non ignorat quod vendit, et alter nescit quod emit : atque ita fieret in casu nostro : ergo. Sic S. Thom. 22, q. 77, art. 3, et post ipsum theologi; sic etiam *Pothier*, et apud ipsum plures antiqui juristæ Romani, part. 2, c. 2, art. 1.

2° Venditor etiam non interrogatus aperire tenetur rei vitium occultum, quod illam reddit emptori periculosam, noxiam aut inutilem, vel notabiliter minus utilem ad finem propter quem emitur. Etenim in contractibus onerosis æqualitas semper servanda est; at in casu præsenti æqualitas non servaretur; nam periculum quod subit emptor et inutilitas quam incurrit sunt pretio æstimabilia, et insuper jus habet ut non decipiatur. Præterea emptor in contractum non consentit, nisi ex hypothesi qnod res talis sit qualis esse creditur : ergo ille contractus injustus esset, et venditor ad restituendum teneretur. Ita S. Ambros., lib. III Offic., cap. 10; S. Thom., q. 77, et generaliter theologi. Sic pariter lex positiva. *Cod. civ., art.* 1631.

Hinc patet eos ad restitutionem teneri qui guttam hydrargyri in aures equi infundunt ut generosus appareat; qui in sacci summitate melius triticum, in dolii extremitate majores pisces reponunt, ut sic emptores decipiant; qui angulum et tenebras quærunt ne mercium suarum detegatur vitium; qui lanam aut avenam aspergunt aqua ut majoris sit ponderis; qui pannum adustum pro bono domum ruinosam pro firma vendunt, etc.

Venditor de his vitiis occultis, etiamsi illa ignoraverit contrahendo, tenetur, nisi expresse, altero consentiente declaraverit se nulla suscipere rei pericula. *Cod. civ. art* 1643.

De dispositionibus juris circa vitia de quibus hic agitur et quæ vocantur *redhibitoria*, infra dicetur in sectione sequenti, de rei assecuratione.

II. QUANDONAM VENDITOR NON TENEATUR REI DEFECTUS APERIRE. — 1° Si vitium rei eam non reddat periculosam, nec noxiam, nec notabiliter minus utilem ad finem propter quem emitur, venditor non tenetur vitium illud aperire nisi interrogetur.

Si tamen defectus adeo levis esset, ut nihilominus emptor eum cognoscens rem emeret, nulla esset obligatio illum aperiendi etiam interroganti; mercatores enim non tam postulant an res nullos habeat defectus, quam utrum sit bona et talis qualem eam inquirere ac velle censetur. Ita Lessius, *Collet*, *Billuart*, etc.

Illa enim doctrina admitti non potest quæ totam negotiationem inter bonos cives subverteret, quia societas maximum inde pateretur detrimentum : at talis esset doctrina juxta quam venditor etiam non interrogatus teneretur rei suæ vitium aperire, quamvis eam non redderet periculosam, nec noxiam, nec notabiliter minus utilem, etc.; nam sæpissime boni cives in emendis mercibus decipiuntur; si omne vitium ita aperire deberent, eas vendere non possent : ergo negotiationi valedicere cogerentur. Ita adhuc S. Thom. 22, quæst. 77, art. 2, et cum illo communissime theologi, contra quos insurgit *Pothier*, qui, in loco citato, S. Thomam corripit, *Traité de la vente*, n. 236 et 237.

Theologi autem post S. Thomam requirunt ut in illo casu venditor pretium mercis pro qualitate vitii minuat; alioquin, inquiunt, æqualitas non servaretur.

Hinc qui vinum minus exquisitum eis præbent qui vinum magis exquisitum vellent, contra justitiam non peccant, si illis non noceat, nec inutile sit ad finem propter quem illud quærunt, modo pretium sufficienter imminuant. Secus, si vinum istud ad medicinam peteretur, vel ut diu conservaretur. Pariter qui vino aquam miscent, peccant contra bonam fidem et adversus societatem, quæ tales admixtiones detestatur; peccant etiam

contra legem civilem quæ hujusmodi falsificatores pœnis plectendos decernit. *Cod. pénal*, *art.* 475, n. 6. Peccant insuper contra justitiam et ad restitutionem tenentur, si vinum aqua sic mixtum emptori noceat, vel notabiliter illi minus sit utile, aut quamvis non minus utile, si pretium non minuant; non licet enim aquam pro vino vendere.

Fieri potest ut res vitiata minoris sit valoris respectu quorumdam hominum, non vero respectu aliorum; tunc his secundum totum valorem vendi potest absque revelatione vitii. Sic bos, qui propter aliquem defectum ad arandum est inhabilis, vendi potest, sine revelatione vitii et absque imminutione pretii, lanio aut mercatori qui ad lanium eum præparabit.

2° Si vitium rei sit manifestum, quamvis eam notabiliter minus utilem reddat, venditor non interrogatus non tenetur ex justitia illud aperire, præsertim emptori qui scientiæ suæ confidit; sed de pretio pro qualitate vitii detrahere debet.

Venditor enim in illo casu vitium rei detegere non tenetur, si, illud non detegendo, injuriam emptori non faciat: at in illo casu injuriam, etc.; si enim injuriam proprie dictam emptori inferret, vel ratione pretii, vel ratione vitii. Atqui neutrum dici potest: non ratione pretii, siquidem pro qualitate vitii illud minuit, ut supponimus; non ratione vitii, cum emptor hunc errorem facile devitare potuisset, aut rem considerando, aut venditorem interrogando. Ergo. Ita S. Thomas et communiter theologi. Ita enim lex supponit. *Cod. civ. art.* 1642.

Si tamen emptor, propter hebetudinem, simplicitatem aut inadvertentiam, vitium rei, licet manifestum, non perspiceret, venditor eum admonere deberet.

Diximus *non tenetur ex justitia*, etc.; nam ex charitate tenetur admonere emptorem qui scientiæ suæ videtur confidere, si prævideat fore ut res illi sit prorsus inutilis, v. g.. si agricola emit ad arandum bovem qui ad macellum tantum utilis est; charitas enim exigit ut quæ volumus nobis facere homines, hæc et illis faciamus

*Matth.* VII, 12. Ergo. Quod diximus de venditore respectu emptoris, pari ratione dicendum est de emptore respectu venditoris : si res vendenda habeat qualitates pretiosas venditori ignotas, emptor eas aperire earumque justum pretium solvere tenetur.

SECTIO SECUNDA. — *De venditoris obligationibus quæ ad rei traditionem spectant.*

Traditione rei intelligitur *hujus translatio* in possessionem emptoris. *Art.* 1604. Obligatio tradendi sequitur ex ipsa conventione, et non potest venditor ullo modo ab ea eximi nisi impossibilitate. Plura statuuntur in lege circa modum, locum et tempus traditionis, nec non circa plures circumstantias quæ traditionem præcedunt vel comitantur.

1° Variis modis traditio fieri debet, pro diversis rebus quæ venditionis sunt objectum. Si agatur de ædificiis, venditor ea tradidisse censetur, quando eorum claves remisit; si de altero bono immobili, cum titulos proprietatis remisit. *Art.* 1605. Traditio hæc dicitur *symbolica.*

Si bona vendita sint mobilia, requiritur ut ipsamet realiter tradantur, vel ut claves ædificiorum in quibus continentur remittantur; aliquando tamen sola partium conventione tradita censentur, si eorumdem traditio alio modo fieri nequeat, aut si jam in possessione emptoris existant; traditio illa vocatur *ficta. Cod. civ. art.* 1606.

2° Res in eo loco tradenda est in quo fuit vendita, nisi aliter fuerit conventum, et venditor de sumptibus traditionis tenetur, emptor vero de sumptibus asportationis, si contrarium non fuerit stipulatum. Hæc ratio dictat et lex statuit. *Art.* 1608 et 1609.

3° Si venditor rem suam tempore præfixo tradere neglexerit, emptor petere poterit vel contractus rescissionem, vel rei traditionem, et in utroque casu reparationem damni quod patitur exigere. *Art.* 1610 et 1611. Si autem venditor rem dicto tempore tradere non potuerit, emptor jus habebit ad dissolutionem vel exsecutionem

contractus; non vero ad compensationem damni venditori non imputabilis. *Art.* **1148.**

Venditor rem suam tempore præfixo emptori tradere non tenetur, si totum ejus pretium statim non sibi solvatur, nisi dilationem ad solvendum concesserit; et, etiamsi dilationem ei concesserit, non tenetur tamen rem illi tradere, si a tempore venditionis legitima supervenerit ratio dubitandi an emptor postea habiturus sit unde solvat. *Art.* **1612** et **1613.**

4° Venditor autem tenetur ante traditionem rem tanquam suam conservare, et in eodem statu in quo erat tempore venditionis tradere. Omnes tamen fructus quos interea res vendita producit, v. g., vitulus ex vacca, pullus ex equa, ad emptorem pertinent, *art.* **1614**; dominium enim rei sola partium conventione ad emptorem transit : ergo fructus illi assignandi sunt.

Hæc decisio olim non admittebatur, quia dominium rei per solam traditionem ad emptorem transibat, et quia æquum non videbatur quod fructus, pretio non soluto, ab emptore perciperentur : nunc vero dominium per solam conventionem transfertur, et in compensationem fructuum, si pretii solutio differatur, solvuntur *interesse* proportionata.

Cuncta rei accessoria cum re ipsa tradi debent, tituli, claves, etc. *Art.* **1615.**

### Sectio tertia. — *De obligationibus quæ ad rei assecurationem spectant.*

Rem assecurare nihil aliud est quam præstare ut emptor tranquille eam possideat eaque fruatur. Duplici modo emptor possessione rei quam emit privari potest, per evictionem scilicet et per illius destructionem.

#### *Punctum primum.* — De evictione.

Evictio est *deturbatio juridica emptoris a possessione rei quam emit*, v. g. : Paulus vendit domum suam Petro :

Jacobus probat hanc domum esse suam, vel hypotheca esse gravatam; et judex decernit dictam domum Jacobo reddendam esse, quia *res clamat domino;* tunc adest evictio respectu emptoris, qui re a se empta spoliatur.

Porro circa evictionem tria quærenda sunt : scilicet, an de evictione teneatur venditor; ad quid teneatur; quandonam venditor excusatur ab omni obligatione ob evictionem.

1° De omni evictione tenetur venditor, nisi contrarium fuerit stipulatum : ita statuitur in Codice civ., art. 1626, et quidem justissime; venditor enim non habet jus in pretium nisi dominium rei tradat, ex definitione venditionis : at non tradit dominium saltem perfectum in rem quam emptor, propter causas ante venditionem existentes, reddere cogitur : ergo jure naturali venditor de illa evictione tenetur, sive bonæ sive malæ fidei fuerit.

Diximus *nisi contrarium fuerit stipulatum;* namque si periculum evictionis utrique contrahenti sit notum, possunt de illo juxta probabilitates pacisci : tunc contractus est aleatorius et justus, ac in illo casu venditor de evictione non tenetur, modo cum bona fide contraxerit, et futuram evictionem non nisi probabiliter cognoverit. *Art.* 1627.

Etiamsi venditor stipulatus fuisset se rem venditam non assecurare, teneretur tamen de evictione ex facto suo proveniente, et nulla conventio tollere potest hanc assecurationem quæ ad ipsam venditionis essentiam pertinet. *Art.* 1628.

2° Si venditor sciret rem quam vendebat esse alienam vel hypotheca gravatam, non solum integrum restituere debet pretium, sed totum insuper damnum quod emptor patitur reparare tenetur, ut sumptus contractus, valorem fructuum quos emptor solvere cogitur, etc., etiamsi stipulatus fuisset se rem non assecurare; nam tunc nihil aliud esset quam fraus odiosa. *Art.* 1630.

At, si penitus ignoraverit rem non esse suam vel hypotheca gravatam, in foro conscientiæ ad id solum tenetur ante judicis sententiam ex quo factus est ditior; ad

nihil enim tenetur ratione damni non injuste illati, siquidem non peccavit. Ergo.

Si emptor partem rei tantum per evictionem reddere cogatur, et talis sit ut, seclusa hac parte, rem emere noluisset, contractus dissolutionem obtinere potest : si vero pars illa sit talis ut, absque illa nihilominus rem emisset, tunc pretium istius partis et nihil ultra exigere potest. *Cod. civ. art.* 1636 *et* 1637.

Si deprehendat rem immobilem quam emit aliqua gravatam esse servitute non apparenti, facultatem habet pro nutu aut a contractu resiliendi, aut pretium huic servituti respondens exigendi; sed si, notitia servitutis habita, nihilominus rem emere voluisset, non rescissionem, sed tantum justam pretii imminutionem petere posset. *Cod. civ. art.* 1638.

Si plures successive rem, titulo emptionis vel donationis, possederint, recentiores juristæ communius docent evictum habere recursum, si velit, non tantum in immediatum auctorem suum, sed etiam in cæteros, quod tamen non videtur clarum.

At si venditor sit defunctus et plures reliquerit hæredes, certum est eos collective sumptos teneri evictum servare indemnem. Plures dicunt, aliis contradicentibus, sufficere, quod evictus contra unum agat, quia etsi *damnatio sit divisibilis, actio est indivisibilis.* Saltem tutius est actionem in omnes simul exercere.

In casu evictionis, integrum refundendum est pretium, etsi valor rei imminuerit, quia venditor nullum habet titulum ad partem retinendam, et si valor creverit, auctarium solvi debet emptori; venditor enim in causa est cur emptor eo per evictionem privetur. Hæc solutio non est proprie restitutio, sed compensatio. *Art.* 1631 *et* 1633.

3° Ad nihilum tenetur venditor propter evictionem — a) si causa evictionis declarata fuerit emptori periculum in se suscipienti; — b) si causa post venditionem tantum nata fuerit, nisi ex culpa venditoris procedat; — c) si emptor fiat simul creditor et debitor circa evic-

tionem; — d) si emptor culpa sua evincatur. *Cod. civ. art.* 1640.

Tales sunt præcipuæ circa evictionem regulæ.

*Punctum secundum.* — De rei destructione seu perditione.

Res perire potest sive apud venditorem, ante ejus traditionem, sive apud emptorem.

1° Si res apud venditorem ante traditionem pereat, vel ex vitio intrinseco aut ex culpa venditoris perit, vel ex casu fortuito : si prius, venditori perit, *art.* 1647 ; si posterius, v. g., si ventus domum evertat, si fures equum subripiant, vel debitor erat in mora culpabili rem tradendi, vel non : si erat in mora culpabili, res ipsi perit ; si non erat in mora culpabili, perit emptori qui pretium illius solvere tenetur, licet eam non obtineat. *Cod. civ. art.* 1138.

Excipiendus est casus in quo res empta ex his esset quæ ad pondus, numerum, mensuram vel gustum venduntur, juxta *art.* 1585 *et* 1587. Tunc enim emptor ex contractu non acquisivit jus in re, sed jus ad rem, et ideo, seclusis quibuscumque causis, res perit venditori ante traditionem, quia dominus est.

2° Si res apud emptorem pereat, vel perit vitiis ipsi intrinsecis et tempore venditionis existentibus, vel casu fortuito, aut vitiis post venditionem contractis. In priori casu totum pretium refundere omnesque sumptus contractus venditor solvere tenetur ; tenetur præterea, si vitia rei cognovisset, aut cognoscere debuisset, cuncta compensare damna quæ emptor inde passus esset. In posteriori casu, ad nihil tenetur ; res perit domino, proindeque emptori, sive res tradita fuerit, sive non. *Art.* 1647.

Fieri potest ut res non pereat, sed periculosa sit, noxia vel inhabilis ad finem propter quem emitur. Sic hæc vitia ante venditionem exstiterint et non fuerint declarata, nec sint manifesta, emptor potest vel contractus rescissionem petere, vel pretii imminutionem secundum arbitrorum æstimationem obtinere ; ideoque vitia ista dicun-

tur *redhibitoria*, quia venditor rem suam recipere et pretium ejus refundere tenetur, si emptor eam reddere velit.

Quænam autem vitia nominatim *redhibitoria* reputari debeant, lex non decernit : id ex consuetudinibus locorum et ex prudentia judicum determinari debet. Nullum est pariter tempus determinatum intra quod rescissionem contractus vel pretii restitutionem postulare oporteat. Dicitur tantum in articulo 1648 hanc postulationem intra breve tempus, juxta consuetudinem pro variis locis esse faciendam.

Lex quidem diei 20 maii 1838 statuit moram 30 dierum pro tribus vitiis quæ designat, et 9 tantum pro cæteris. Agit solummodo de animalibus domesticis, et cæteri casus remanent indeterminati.

Si vitia sint manifesta, ita ut emptor ea facile detegere potuisset, non datur locus rescissioni contractus; hanc deceptionem emptor sibi imputare debet. *Cod. civ. art.* 1641, 1642 *et* 1643. Vidimus supra ad quid teneatur venditor in foro conscientiæ.

### § VI. — De obligationibus emptoris.

Omnes fere obligationes emptoris jam retulimus et explicavimus, de obligationibus venditoris et de pretio mercium agendo. De cæteris in præsenti articulo paucis verbis dicemus.

1° Præcipua est ut pretium quod promisit, tempore præfixo et in loco convento fideliter solvat; si autem tempus non fuerit præfixum, nec locus determinatus, requiritur et sufficit ut eodem tempore et in eodem loco quo res traditur vel tradi debet, pretium solvat. Ita dictat æqualitas et statuit lex, art. 1630. Diximus *vel tradi debet;* nam si casu fortuito res perierit, non traditur, et pretium tamen est solvendum.

Aliquando emptor solutionem pretii suspendere potest, nempe : — a) si legitima ipsi superveniat ratio timendi ne propter actionem hypothecariam aut alteram actionem realem evincatur; — b) si lis aliqua circa rem istam mo-

veatur, nisi prius venditor omnem turbationem cessare curaverit, vel nisi in utroque casu cautionem sufficientem præbuerit. *Cod. civ. art.* **1653.**

Verum, his casibus exceptis, si emptor, tempore dicto, pretium rei non solvat, et eam non auferat, venditor a contractu resilire potest, etiam absque ulla judicis sententia, quando de mobilibus bonis agitur. *Cod. civ. art.* **1657.** Si de bonis immobilibus agatur, rescissio petenda est a judice.

2° Si autem emptor pretium rei non solverit, hujus pretii *interesse* (les intérêts) adhuc tenetur solvere, — a) si adsit peculiaris conventio, quia tunc *interesse* ad ipsum pretium pertinere censentur; b) si res sit frugifera; non æquum est enim emptorem simul habere rem, fructus ejus et pretium, saltem post terminum pro solutione præfixum; — c) si emptor sit in mora culpabili, quæ sufficienter determinatur per meram interpellationem (*sommation*); plerique jurisperiti dicunt in duobus prioribus casibus *interesse* deberi a die contractus, etiamsi statueretur terminus, nisi tamen, ratione hujus termini, pretium auctum fuisset. *Art.* **1652.** Debet etiam damna reparare, si quædam e dilatione solutionis venditor patiatur.

An autem venditor *interesse* vel pretii augmentationem tuta conscientia, ob solam solutionis dilationem, exigere possit, facilius postea comperiemus, cum de usura tractaverimus.

### § VII. — De diversis venditionis speciebus.

Multæ distinguuntur venditionum species, pro variis modis quibus considerari possunt. Sed, cum de omnibus singulatim dicere per tempus non liceat, cunctis minus necessariis in praxi omnino prætermissis, vel ad alium locum remissis, de sequentibus tantum hic locuturi sumus, videlicet 1° de venditione cum pacto redimendi; 2° de venditione jurium incorporeorum; 3° de venditione sub hasta; 4° de venditione per proxenetas; 5° de monopolio.

SECTIO PRIMA. — *De venditione cum pacto redimendi, cum pacto legis commissoriæ, et addictionis ad diem.*

I. DE VENDITIONE CUM PACTO REDIMENDI. — Venditio cum pacto redimendi aut retro-vendendi, juxta art. 1659 Codicis, est illa qua venditor facultatem sibi reservat rem suam repetendi sub conditione quod pretium ejus restituat, sumptus solvat, atque alia damna inde secuta resarciat : unde pactum istud est in solius venditoris gratiam.

Talis etiam po'est esse ille contractus ut solus emptor jus reddendi, vel uterque contrahens jus redimendi aut reddendi sibi reservet.

Nunc dicendum est quid de his sentiendum sit.

1° Nullum est dubium quin venditio cum pacto redimendi, in favorem solius venditoris, sit licita : approbatur enim in Scriptura sacra, Lev. XXV, 29 et 30 ; imo aliquo modo præcipitur, siquidem statuit Deus quod Judæi hanc haberent facultatem. Approbatur in lege civili, ut videtur art. 1659 et seq. Juri autem naturali minime repugnat ; nam, in conventione libera et cum bona fide inita, pretium pro ratione oneris seu pacti retro-vendendi minuitur : ergo æqualitas servatur.

Liceret stipulari quod retro-venditio minori fieret pretio, id est, quod venditor totum non teneretur refundere pretium ut rem obtineret, et tunc emptor partem pretii illi donaret ; sed necesse esset ut donare posset et vere vellet.

Liceretne stipulari quod venditor majus pretium reddere teneretur? Id absolute licitum esse videtur : ratio est quia emptori imponitur onus pretio æstimabile quod potest compensari : aliunde venditor, cum jure sibi concesso uti non teneatur, merito queri non potest quod majus pretium solvi debeat. Attamen, juxta omnes, pactum istud esset valde periculosum, et ipsi judices, teste *Delvincourt*, t. II, p. 541, illud non permitterent, quia sub tali prætextu omnes usuræ palliari possent.

2° *A fortiori* pactum retro-venditionis difficile permitteretur in favorem solius emptoris, vel in favorem utriusque. *Est sententia communis inter theologos.* Equidem, metaphysice loquendo, ut ait *Billuart*, talis contractus non videtur injustus, quia in eo stricte reperiri possunt conditiones ad proprie dictam venditionem, si nempe sit bona fides, vera intentio emendi et vendendi, atque servetur æqualitas. Sed in praxi illud pactum nihil aliud esse videtur quam usurarius contractus; quod melius intelligetur cum de usura disseruerimus. Tradit tamen S. Ligorius, lib. III, n° 813, conditiones, quibus servatis, nequaquam illicitum esset pactum retro-venditionis ad arbitrium emptoris.

Lex nec approbat, nec prohibet hoc pactum, ad quod cæteroqui hodie non recurritur, quia *interesse* ex mutuo permittuntur.

Solus ergo contractus retro-venditionis in gratiam vendentis institui potest.

3° Cum ad bonum societatis non parvi referat proprietates non diu manere incertas, lex prohibet ne facultas bonum aliquod redimendi ultra quinquennium extendatur : unde si in conventione tempus non fuerit determinatum, aut longius spatium fuerit statutum, ad quinquennium necessario reducitur. *Art.* 1660, 1661.

Si venditor intra illud temporis spatium rem non petierit, ipso jure facultatem eam redimendi amittit, et emptor fit proprietarius absolutus. Spatium istud contra quascumque personas currit, etiam contra minores, *art.* 1662 *et* 1663; per illud autem temporis spatium non solum venditor, sed ab ipso causam habentes facultate redimendi uti possunt. Pactum retro-vendendi primæ venditioni per actum posteriorem adjici potest. Item facultas redimendi alteri transmitti potest : at si retro-venditio de facto exigatur, nova proprietatis mutatio fieri censebitur, et sumptus inscriptionis erunt solvendi. *Delvincourt*, t. II, p. 540.

Si venditor, jure suo utens, rem velit redimere, emptor eam reddere tenetur, non autem fructus collectos, qui

sui sunt : fructus nondum collecti habendi sunt ut ad currentem annum pertinentes, et dividi debent pro ratione temporis possessionis per hunc annum.

II. De venditione cum pacto legis commissoriæ vel addictionis ad diem. — *Quæritur* 1° quid sit venditio cum pacto legis commissoriæ.

*R.* Ea est quæ ita fit ut, si emptor intra præfixum tempus non solvat, res ad venditorem redeat, nisi ipse huic facultati renuntiet. Ille contractus nemini injuriam facit, et in Codice civili, art. 1656 et 1657 approbatur. Ergo est licitus.

*Quæritur* 2° quid sit venditio cum pacto addictionis in diem.

*R.* Illa est quæ ita fit ut si, ante diem præfixum, alius majus pretium vel promptiorem solutionem offerat, prior emptor jus suum amittat, et prima venditio fiat irrita. Certum est hanc venditionem, sicut præcedentem, esse licitam, et propter easdem rationes.

Sectio secunda. — *De venditione jurium incorporeorum.*

Per *jura incorporea ea omnia intelliguntur quæ, licet res substantiales non sint, pretio tamen sunt æstimabilia,* et triplicis distinguuntur generis : alia enim sunt pure *personalia*, ut chirographa et quæcumque credita; alia *realia*, ut usus vel ususfructus; alia sunt *mixta*, ut jus ad hæreditatem apertam, id est, ad hæreditatem personæ mortuæ.

1° Certum est jura ista alteri variis titulis licite transmitti posse; nempe vel in solutionem alicujus debiti, vel titulo gratuito, et tunc eorum traditio fit remittendo chirographa, aut alia scripta authentica. *Cod. civ. art.* 1689. Verumtamen cessionarius jus erga debitorem non obtinet, nisi a die quo cessio ista seu translatio ipsi fuit notificata, ita ut si interea debitor primo creditori solverit, liber erit, et cessio erit nulla. *Art.* 1691 *et* 1693.

Aliqua est difficultas quoad jus litigiosum, id est, circa quod lis aliqua movetur. Cum illius venditio ordinarie

sit in detrimentum ejus contra quem ceditur, et ideo odiosum reputetur, lex huic tribuit facultatem cessionem sibi adscribendi, et sic solvendo emptori pretium cessionis, et alios sumptus quod fecit, litem terminandi. *Art.* 1699.

Quatuor excipiuntur casus in quibus litigans hanc non habet facultatem : — a) Si jus litigiosum titulo gratuito fuerit datum, quia tunc cessio non est odiosa, et nullum determinatum est pretium quod ex art. 1699 refundere debeat; — b) si jus in solutionem alicujus debiti fuerit traditum; — c) si cohæredi vel coproprietario facta sit cessio, etiam titulo oneroso; — d) item si cessio facta sit ipsimet possessori fundi circa quem lis movetur; in his enim casibus nihil est odiosum. *Art.* 1701.

2° De assecuratione autem hujusmodi jurium hæc statuuntur a lege. Cedens fidejussorem pro debitore se constituere non censetur, nisi id expresse promittat; et quando illud promittit, pro tempore actuali tantum et non futuro solutionem crediti assecurare reputatur, nisi contrarium fuerit expressum. *Art.* 1694 *et* 1695.

Qui jus ad hæreditatem jam, defuncto auctore, suscipiendam vendit, nihil aliud assecurare judicatur, nisi quod vere sit hæres : at si quid ex hæreditate jam percepisset, illud emptori reddere teneretur, nisi in conventione hoc sibi reservasset. *Art.* 1696 *et* 1697. Ex parte sua emptor, alia speciali conventione seclusa, venditori refundere tenetur quidquid propter hæreditatem jam solvit. *Art.* 1698.

3° Quoad pretium, hujusmodi jura emi aut vendi debent juxta principia quæ exposita sunt ubi de justo pretio. Sed hic specialis occurrit quæstio utrum nempe liceat credita et chirographa infra valorem eorum numericum emere.

Vel sunt certa, vel incerta et litigiosa. Si sint certa, et tempore præfixo certo solvenda, non licet ea infra valorem numericum emere : alioquin æqualitas non servaretur : centum quippe nummi post annum solvendi tanti nunc valent in se quanti tunc valebunt : ergo non licet

eos tunc minoris emere, nisi forte emptor aliquod subeat periculum damni emergentis vel lucri cessantis. Et vero, qui centum numinos post annum certo solvendos nonaginta emeret, revera nonaginta mutuo daret ut centum post annum reciperet : talis autem contractus est injustus, ut postea demonstrabimus : ergo. *Ita communius theologi contra plures tamen alios*, ut videre est apud card. *de Lugo*, disp. 26, n. 75, et apud S. Ligorium, l. III, n. 829.

Si autem credita vel chirographa incerta sint et litigiosa, minoris sunt valoris : licet ergo, pro ratione dubii, periculi aut laboris, imminutionem pretii stipulari. Sed ipse debitor sic transigere non potest, quia totum solvere et omne periculum tollere tenetur, nisi imminutio ex causa extrinseca oriretur, quo in casu ipse debitor transigere posset.

An vero aliquis possit eadem credita vel chirographa minoris emere, si propter circumstantiam sibi specialem soluta sint facilia, disputatur inter theologos; sed valde communius et probabilius docetur quod ea minoris emere possit : nam facilitas solutionem obtinendi a re quæ venditur non pendet, sed ab ipso emptore : valor autem alicujus rei non utilitate emptoris, bene vero ex communi æstimatione determinatur : ergo. Ita card. *de Lugo* ac S. Ligorius citati, et multi apud eos.

De negotiatione chirographorum commercii (*billets de commerce*) speciatim et fusius agetur infra, cap. 3, art. 3.

### Sectio tertia. — *De venditione sub hasta.*

I. Quid sit. — Venditio sub hasta ea est in qua, ex auctoritate publica, res vendenda per præconem proclamatur, uniuscujusque libera pretii augmentatio admittitur, et majus pretium offerenti res adscribitur; sic dicitur ab hasta quæ, apud Romanos, erat signum auctoritatis publicæ, in his venditionibus intervenientis.

Si hujusmodi venditio a privatis, absque interventione auctoritatis publicæ, instituatur, ut sæpe contingit in hæreditatibus, quando bona commode dividi nequeunt, et

in multis aliis casibus, dicitur simpliciter *licitatio*. *Cod. civ. art.* 827 *et* 828.

II. Utrum sit licita. — Utraque hæc venditionis species iisdem regulis fere subjicitur et procul dubio licita est, si licitatio stet intra infimum ac summum pretium : res per se patet. At difficultas est utrum liceat rem infra pretium infimum, licitatione emere, vel supra summum illam vendere. Licitum est; si enim hoc illicitum esset, vel quia contrahenti fieret injuria, vel quia licitatio auctoritati legum repugnaret : atqui neutrum dici potest; non prius, siquidem partes huic modo vendendi et emendi se submittunt, saltem quando hujus generis venditio est libera, et contractus est aleatorius, in quo eadem est conditio lucri et damni pro vendente et emente ; non posterius, nam venditio per licitationem approbatur in Codice civili, art. 827 et 1686, et Codice dicto *de Procédure*, art. 927, etc. Ergo.

Si quod existeret dubium, certe circa venditiones sub hasta quæ fiant auctoritate judicum, invito domino, ut ipsius creditoribus satisfiat; verum quicumque debita contrahit, cuncta bona sua his debitis gravat, et si non solvat, creditores exigere possunt ut auctoritate justitiæ hæc bona vendantur et pretium ipsis distribuatur : ideo in illa etiam venditione rem ultima licitatione obtinere licet, quamvis infra pretium infimum; nam auctoritas legitima talem venditionis modum instituit, talesque venditiones in individuo sic faciendas decernit; eo ipso decernit pretium ultima licitatione determinandum fore : ergo.

III. De conditionibus requisitis ut sit licita. — In quacumque venditione sub hasta, plures requiruntur conditiones, tum ex parte venditoris, tum ex parte emptoris, tum ex parte præconis.

1° Venditor non debet rem pro alia exponere, nec per se aut per alios licitare ut pretium augeatur; imo nec videtur quod, attenta licitationis natura, rem possit retrahere, si minus offeratur pretium; nam ut æqualitas servetur, par esse debet venditoris et emptoris conditio; attamen par non esset utriusque conditio, si venditor rem

posset retrahere; emptor enim facultatem non habet pretium quod obtulit retrahendi : ergo.

Venditor præterea rem suam offerendo, censetur inchoasse aliquo modo venditionem per licitationem perficiendam : ergo, licitatione ultima accedente, venditio perficitur, ac proinde venditor eam absque consensu emptoris dissolvere non potest. Ita *Billuart*.

Verumtamen si contrarium prævaluisset, ut prævaluisse videtur, damnandus non esset venditor qui rem sic retraheret, vel ipse licitaret; nam dici potest emptores hoc scientes et idem in simili occasione facere paratos, juri suo renuntiare, ideoque nullam ipsis fieri injuriam. Ergo. Ita ferme adhuc *Billuart*.

2° Emptores autem non debent pactum inter se inire quo ultra determinatum et infimum pretium licitare non possint; nam tunc contra justitiam peccarent; qui enim rem suam per licitationem vendit, jus habet ut emptores in licitationibus suis sint liberi; atqui non sunt liberi, quando sic inter se pacto devincti sunt : ergo.

Si tamen plures fratres vel amici idem objectum sincere desiderantes, convenirent unum tantum licitaturum et postea objectum inter se divisuros esse, difficile eos tanquam justitiæ commutativæ violatores haberemus; durius enim foret exigere ut contra se ipsos licitarent : haberi possunt velut quædam commercii societas : at membra societatis in venditione sub hasta nunquam contra se invicem licitant, sed unus nomine cunctorum loquitur et agit, nec ideo rei injustitiæ reputantur, modo nullum cum aliis emptoribus ineant pactum : nec venditor rationabiliter conqueri potest injuriam sibi inferri, præsertim si facultatem habeat rem suam retrahendi. Ergo.

Similiter emptor qui alios simpliciter rogaret ne omnino vel ne ultra pretium determinatum licitarent, ut rem minori haberet pretio, contra justitiam non peccaret, nisi talis auctoritatis esset respectu aliorum, ut metu reverentiali eos comprimeret; nam libertas licitandi non tollitur, nec proinde jus vendentis violatur.

3° Ipse præco debet omnino bona fide agere, nulli e licitantibus plus quam cæteris favere, nihilque facere quod in detrimentum venditoris seu ementium in genere vergat.

### Sectio quarta. — *De venditione per proxenetas.*

Venditio per proxenetas ea est quæ non fit immediate ab eo ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione, et hi proxenetæ dicuntur. Possunt esse vel tantum ut amici, vel speciali mercede ad hoc conducti, vel ad diversa opera annuali pretio locati. *His notatis,*

*Quæritur* 1° utrum proxeneta, si rem carius quam dominus mandavit vendiderit, excessum pretii sibi retinere possit.

*R.* Generatim non potest; vel enim ita se gessit ut amicus, et mercedi renuntiavit; vel speciali mercede est conductus, v. g., conventum est ut unum pro centum haberet; et mercede sua contentus esse debet; vel est famulus, et jus non habet nisi ad stipendia annua.

Et vero, si excessum sibi retinere posset, maxime quia dominus pretium determinavit; atqui hæc ratio nulla est; dominus etenim pretium illi præscripsit ut infra rem non venderet, non autem ut quod supra obtineret sibi adscriberet : ergo.

Diximus *generatim;* nam si extraordinario et indebito labore, vel speciali industria aut diligentia rem meliorem fecisset et pluris vendidisset, ex communi theologorum sententia, augmentum pretii sibi retinere posset. Item *a fortiori*, si dominus expresse aut æquivalenter dixerit se ultra pretium determinatum nihil exigere, et totum excessum, quem obtinere poterit, libenter ei relinquere.

*Quæritur* 2° utrum posset proxeneta rem pretio a domino determinato sibi emere, et, si eam deinde vendat, lucrum sibi retinere.

*R.* Communiter docent theologi proxenetam id posse, sed duas requirunt conditiones, nempe quod, morali

adhibita diligentia, majus pretium non invenerit, alioquin injuriam domino faceret; pariter quod periculum rei in se suscipiat, alioquin ficta tantum esset emptio, dominium rei non acquireret, nec jus ad lucrum ex illa proveniens haberet : unde si illam non vendidisset aut minoris vendidisset, nihilominus integrum pretium solvere deberet.

Excipiuntur tamen, ex art. 1596 Cod. civ., mandatarii, circa bona saltem immobilia quorum venditio ipsis commissa est.

Quod de venditione per proxenetam dicitur, eodem sensu de emptione dicendum est : si proxeneta infra pretium a domino determinatum rem aliquam emat, reliquum pretii sibi retinere non potest, nisi in casibus et sub conditionibus supra memoratis. Unde sartor, v. g., cui commissio datur pannum certo emendi pretio, nihil sibi retinere potest si minori pretio illud obtineat, nisi forte mercator hanc immunitionem alteri non concederet, et ipsi sartori proficere expresse velit. Ita *Billuart*.

### Sectio quinta. — *De monopolio.*

I. Quid monopolium. — Monopolium a μόνος, *seul*, et πωλέω, *je vends*, sic dictum, est machinatio qua unus vel plures efficiunt de industria, ut ipsi soli aliquod genus mercium vendant, vel certo pretio vendant aut emant : unde duplex distinguitur monopolium : unum quo unus vel plures efficiunt ut ipsi soli merces alicujus generis vendant, et aliud quo de mercibus non nisi certo pretio vendendis inter se conveniunt.

Triplici modo efficere possunt ut ipsi soli merces alicujus generis vendant, nempe 1° obtinendo a principe privilegium quo cæteri excludantur; 2° omnes aut fere omnes ejusdem generis merces emendo; 3° impediendo ne mercatores extranei merces ejusdem generis advehant.

II. De liceitate monopolii. — 1° Monopolium quod fit ex privilegio a principe concesso justum esse potest, si nempe ex justis causis concedatur : atqui non repugnat justas dari causas cur concedatur, v. g., quia nullus, secluso tali privilegio, propriis expensis habere vellet merces alicujus generis societati utiles, vel quia necesse est, ad securitatem societatis, quod non nisi viri probi et noti talem mercium speciem vendant; tunc expedit ut privilegium concedatur : sic legitimum est privilegium quo inventores vel perfectores alicujus operis, illud per certum tempus soli vendere possunt.

2° Si unus aut plures omnes aut fere omnes ejusdem generis merces emant et conservent ut, inducta raritate, eas pro libitu vendant, graviter peccant non solum contra charitatem, ut omnes fatentur, sed etiam contra justitiam, quia justo non vendunt pretio; justum enim pretium ex communi hominum æstimatione determinari debet : porro in casu præsenti ex communi hominum æstimatione non determinatur, sed mercatores illud pro nutu determinant. Ergo.

3° Qui vi vel fraude impediunt ne merces ab extraneis importentur, contra justitiam peccant; injustum enim damnum inferunt, tum civibus, tum extraneis mercatoribus : civibus quidem, cum efficiant via injusta ut carius emere cogantur; extraneis pariter mercatoribus, siquidem per vim aut fraudem impediunt ne legitimum habeant lucrum. Ergo.

Si neque vim neque fraudem adhibeant, contra charitatem peccare possunt etiam graviter, sed contra justitiam non peccant; nam libertas non minuitur : imo fieri potest ut ne quidem contra charitatem peccent, nempe si justam habeant causam exoptandi et efficiendi ut extraneæ merces non importentur, v. g., ne ipsi et concives merces suas viliori pretio vendere cogantur.

4° Qui machinatione sua efficiunt ut alii merces alicujus generis injusto pretio vendant vel emant, contra justitiam peccant : patet ex dictis. Si autem, pacto inter se inito, efficiant tantum ut non nisi summo pretio ven-

dant, vel infimo emant, probabilius est adhuc eos contra justitiam peccare; justitia enim exigere videtur ut in negotiatione vendentes et ementes perfecte sint liberi, et pretio a privatis determinato vendere aut emere non cogantur : at, posita conventione prædicta, libertas tollitur, et a privatis pretium determinatur. Ergo. Ita multi apud card. *de Lugo*, disp. 26, s. 12; P. *Antoine*, *Collet*, etc., contra Lessium et ipsum *de Lugo*, Sylvium, *Billuart*, et multos alios qui contendunt nullam esse injustitiam, quia pretium non est injustum, licet ad summum aut infimum sit determinatum, neque conventio injusta. At certe contra justitiam minime peccant si tantum efficiant ut non emant summo pretio, aut vendant infimo.

Mercator monopolii non particeps merces suas vendere potest majori pretio, si reipsa res hujus generis factæ sint ex monopolio rariores, quia pluris valent quam si essent communes; non autem si rariores non sint, quia in eo casu majus pretium est injustum.

Quod de vendentibus et emptoribus dicimus, pari ratione dicendum est de artificibus, qui mutua conventione sibi promittunt se tale opus non esse facturos vel perfecturos, nisi tali ducantur pretio; idem, vice versa, dicendum est de iis qui artifices ad operandum minori pretio ex mutua machinatione conducunt.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE.

Quid et quotuplex locatio et conductio. — Sicut venditio et emptio sunt unus et idem contractus sub duplici respectu consideratus, ita pariter locatio et conductio; locatio quidem ex parte illius qui rem tradit, et conductio ex parte illius qui pretium solvere promittit. Locatio et conductio recte simul definiuntur : Contractus quo unus se obligat ad usum alicujus rei præbendum, vel ad opus aliquod faciendum, et alter ad pretium de quo conveniunt solvendum. *Cod. civ. art.* 1709 *et* 1710.

Unde duplex in genere distinguitur locatio et conductio, una rerum et altera operum. Variæ deinde numerantur locationis species, scilicet locatio domuum et ædificiorum quæ vocatur *bail à loyer;* locatio agrorum, et dicitur *bail à ferme;* locatio animalium, qua unus animalia dat alteri nutrienda et custodienda sub conditionibus de quibus conveniunt, et appellatur *bail à cheptel;* et locatio laboris et famulatus, quæ simpliciter locationis nomen retinet, *loyer*.

Quædam sunt regulæ pro omnibus locationibus generales, aliæ vero singulis locationibus speciales. De præcipuis tantum velut summatim in sequentibus paragraphis dicemus.

§ I. — De regulis quæ pro omnibus locationibus sunt generales.

Aliæ simul spectant ad locatorem et conductorem, aliæ ad locatorem tantum, et aliæ solummodo ad conductorem.

SECTIO PRIMA. — *De regulis quæ ad locatorem simul et conductorem spectant.*

1° Quoad formam hujus contractus, nihil omnino in Codice præscribitur; unde sub quibuslibet scriptis aut etiam solis verbis fieri potest : at, si verbis tantum constet et exsecutio illius nondum fuerit saltem incepta, probatio per depositionem testium non admittetur, quantulumcumque sit pretium conductionis. Pars existentiam contractus affirmans juramentum parti neganti deferre poterit, *art.* 1714 *et* 1715, et tunc juramento stare tenebitur. *Art.* 1363.

2° Quoad durationem conductionis, vel tempus fuit determinatum, vel non : si tempus fuit determinatum, conductio eo præcise termino cessat absque ulla partium declaratione. Si tamen conductor re locata post tempus præfixum tranquille frui non cesset, tunc nova incipit existere conductio tacita ad tempus indeterminatum : do-

minus enim merito præsumitur rem suam conductori sub iisdem conditionibus relinquere; si autem contrariam voluntatem manifestasset dominus, etiamsi post tempus præfixum conductor re locata frui statim non desineret, non ideo nova existeret conductio, quia re tranquille non fruitur et consensus domini rationabiliter præsumi non potest. *Cod. civ. art.* 1737, 1738 *et* 1739.

Conductio ad tempus indeterminatum, ad arbitrium alterius contrahentis cessare potest, dummodo alterum tempore sufficienti, juxta locorum consuetudinem et naturam rei locatæ, prænoneat. *Art.* 1736.

Si unus e contrahentibus conditiones appositas tempore determinato non impleat, alter rescissionem contractus petere et obtinere potest. *Art.* 1741. Sed contractus per mortem contrahentium non dissolvitur : utriusque hæredes illum observare tenentur. *Art.* 1742.

3° Jura utriusque contrahentis sic se habent. Locatarius, nisi contrarium fuerit stipulatum, rem aut partem rei quam conduxit aliis semper sublocare poterit, modo nullum inde primo locatori afferatur detrimentum; aliunde primus locator recursum semper habebit ad eum cui ipse locavit, non vero ad secundum locatarium, nise defectu prioris. *Art.* 1717 *et* 1735.

Locator proprietatem rei suæ vendere potest, verum si conductor authenticum habeat contractum vel cujus epocha sit certa, emptor illum expellere non potest, nisi forte hæc clausula in locatione fuerit stipulata : in eo autem casu, si nulla facta fuerit mentio de damnis reparandis (*des dédommagements*), ad ea tenebitur locator, ex hypothesi quod emptor locatarium expellere velit. *Art.* 1743 et 1744. *Pothier* et *Delvincourt,* t. II, p. 568, existimant quod, præfata non obstante clausula, donatarius locatarium expellere non possit; articulus enim 1744 de sola venditione, non vero de donatione loquitur.

Verum si emptor vi clausulæ appositæ locatarium seu conductorem expellere sibi proponat, illum antea tempore sufficienti admonere tenetur : tempus sufficiens unius saltem est anni, si agatur de agris. *Art.* 1748.

SECTIO SECUNDA. — *De regulis quæ ad locatorem tantum spectant.*

Locator tenetur : 1° rem suam juxta conventionem tradere, eam tueri et in tali statu conservare, ut ad finem propter quem fuit locata inservire valeat; curare ut locatarius toto tempore determinato illa tranquille fruatur; non debet eam supra justum pretium locare.

2° Si res habeat vitia vel defectus qui eam inutilem aut notabiliter minus utilem reddant, de iis locator tenetur, etiamsi ea ignoraverit; tenetur insuper de damnis exinde provenientibus. *Cod. civ. art.* 1721. Imo tenetur de vitiis tempore locationis supervenientibus, nam substantia rei ad ipsum pertinet et illius usum utilem assecurare debet. *Delvincourt*, t. II, p. 562.

Si, durante locatione, res tota casu fortuito pereat, contractus eo ipso rescinditur; si ex parte pereat, tunc contractus dissolutionem vel pretii imminutionem conductor petere potest, sed damni compensationem exigere nequit. *Art.* 1722.

3° Formam rei locatæ mutare non potest dominus absque locatarii consensu; attamen, si res illa reparationibus omnino necessariis indigeat, etiam invito conductore eas facere potest, nec quodcumque damnum exurgens reparare tenetur, nisi reparationes istæ intra quadraginta dies non absolvantur; in illo enim casu damnum per imminutionem pretii compensare deberet, non solum post quadraginta dies, sed ab ipso die quo locatarius usu rei fuit destitutus. Sic *Delvincourt*, t. II, p. 560. Si domus ita esset destructa vel destruenda ad reparationes faciendas, ut conductor cum familia sua in illa habitare non posset, facultatem haberet contractus dissolutionem petendi. *Cod. civ. art.* 1724.

Tales sunt præcipuæ locatoris obligationes. Observandum tamen quod rem suam locare non debeat eis qui eam in abusum conversuri prævidentur, v. g., domum meretricibus, nisi ubi omnes adsunt conditiones quas requiri

probavimus ut rem illis vendere liceat qui illa abusuri sunt ; in utroque enim contractu , quando de abusu sic præviso agitur, est cooperatio ad malum usum per actionem ex natura sua bonam : ergo eodem modo in utroque casu ratiocinandum est.

Hinc si domus in ea urbis parte sita est in qua, propter bonum ordinem, omnes meretrices habitare publici magistratus jusserunt, videtur proprietarium eam illis locare posse ; magistratus enim meretrices licite sic relegare possunt : frustra autem eas ita relegarent, si proprietarii domus suas in ea parte sitas illis locare non possent : ergo. Ita *Pontas*, v° *Louage*, cas. 14; S. Ligorius, n. 10, et plures apud ipsum.

SECTIO TERTIA. — *De regulis quæ ad conductorem tantummodo spectant.*

Conductor tenetur 1° re locata tanquam bonus paterfamilias uti ; eam adhibere non potest ad finem diversum ab eo propter quem fuit locata, et unde aliquod detrimentum locatori evenire posset, alioquin locator aut damni reparationem exigere aut a contractu statim resilire quiret, auctoritate tamen justitiæ. *Cod. civ. art.* 1729.

2° Tenetur ea reficere vel reparare quæ culpa sua perierunt aut deterioria facta sunt. Imo in foro externo ad hæc damnatur, quoties probare non potest ea casu fortuito contigisse.

Locatarius insuper ea sufferre tenetur detrimenta omnesque depravationes quæ in re locata contingunt ex culpa personarum sibi subditarum, vel ex delicto eorum quibus rem sublocavit : ad illum enim dominus directum habet recursum. *Art.* 1735.

3° Rem in eodem statu reddere tenetur in quo eam accepit, exceptis quæ vetustate aut vi majori vel casu fortuito perierunt, vel deteriora facta sunt. *Art.* 1730.

§ II. — De præcipuis regulis quæ ad speciales contractus locationis et conductionis spectant.

Aliæ spectant ad locationem domuum et ædificiorum, aliæ ad locationem agrorum, aliæ ad locationem animalium, et aliæ ad locationem operum seu famulorum.

SECTIO PRIMA. — *De regulis quæ spectant ad locationem domuum et ædificiorum.*

I. DE OBLIGATIONIBUS LOCATORIS. — 1° Ex dispositionibus novi juris, locator efficere tenetur ut conductor toto tempore determinato re locata fruatur, nec illum invitum expellere potest, ut ipse vel familia sua quacumque de necessitate in domo habitet, nisi contrarium expresse fuerit stipulatum. *Art.* **1761.**

2° Locator tenetur insuper omnes facere reparationes, etiam eas quæ dicuntur *locatives*, quando ex vetustate aut vi majori fiunt necessariæ; latrinas etiam et puteos evacuare et purgare tenetur, si aliud specialiter non fuerit conventum. *Art.* **1754** *et* **1756.**

II. DE OBLIGATIONIBUS LOCATARII. — 1° Si autem reparationes dictæ *locatives* non ex vetustate aut vi majori veniant necessariæ, ad eas tenetur locatarius, secundum consuetudinem in variis locis receptam, quales ordinarie faciendæ sunt: « Aux âtres, contre-cœurs, chambranles » et tablettes de cheminées; au recrépiment du bas des » murailles des appartements et autres lieux d'habitation, » à la hauteur d'un mètre; aux pavés et carreaux des » chambres, lorsqu'il y en a seulement quelques-uns de » cassés; aux vitres, à moins qu'elles ne soient cassées » par la grêle, etc. » *Art.* **1754.**

2° Ea reficere aut restituere tenetur quæ incendio fuerunt consumpta, nisi probare valeat incendium casu fortuito, vi majori aut ædificii defectu accidisse, vel a domo vicina incœpisse. *Art.* **1733.** Si plures sint locatarii in domo aut in ædificiis quæ communi incendio fuerunt destructa, omnes in solidum damnum reparare obligantur, nisi incendium apud unum determinatum incœpisse va-

lide probent, aut nisi unus ostendat quod apud se non incœperit, et tunc liberabitur. *Art.* 1734. Quod si hæc detrimenta absque ulla locatarii culpa contigerint, et illud in foro externo probare nequeat, ea in foro conscientiæ ante sententiam judicis resarcire non tenetur; ad ea enim teneri non potest in conscientia nisi vi culpæ aut vi contractus : atqui neutrum in præsenti casu dici potest : non vi culpæ, cum nullam esse supponatur; non vi contractus, siquidem ad illud se non obligavit, quod adeo verum est ut ad nihil damnaretur, si probaret nullam de facto exstitisse culpam : ergo, etc.

Unde proprietarius cognoscens citra omnem culpam incendium accidisse, reparationem damni exigere non posset, secus si innocentiam locatarii certo non sciret, aut, etiamsi persuasum haberet illum theologice non peccasse, si in re custodienda fuisset negligens; nam hujusmodi negligentia est motivum sufficiens cur judices ob bonum publicum, nempe ut cæteri sint vigilantiores, damni reparationem jubeant : ergo hanc judicum sententiam postulare licet, et illa semel data stricte debitorem obligat.

3° Locatarius qui non affert in domum supellectilem cujus valor pretio locationis saltem æquivaleat, expelli potest, nisi sufficientem præbeat cautionem. *Cod. civ. art.* 1752.

4° Si domum ante tempus præfixum deserat, vel si propter ipsius culpam dominus a contractu resiliat, pretium locationis solvere tenebitur per tempus ad novam locationem necessarium, et damna insuper reparare. *Art.* 1760.

SECTIO SECUNDA. — *De regulis quæ ad locationem agrorum spectant.*

1° Quamvis conductor rem locatam alteri sublocare possit, nisi contrarium fuerit statutum, id tamen intelligendum non est de illo qui agros sub conditione fructuum domino juxta certam conventionem dividendi conduxit. *Art.* 1763 *et* 1764.

Locatio hæc vocatur inter nos *bail à moitié;* in tali locatione interest domini ut sciat quinam ipsius agros culturi sint.

2° Si prædii conductor non collocet in illo sive animalia, sive instrumenta et utensilia necessaria, si illud non colat aut male colat, si ad finem a destinatione naturali diversum adhibeat, v. g., si agrum in pratum aut pratum in agrum convertat, tunc dominus facultatem habet, secundum circumstantias, aut damnorum reparationem aut contractus dissolutionem exigendi. *Art.* 1766.

3° Item conductor omnes fructus in horrea ad hoc destinata colligere tenetur; sunt enim velut cautio et hypotheca quædam pro locationis pretio. *Art.* 1767. Similiter paleas, stercora et alia hujus generis vendere, commutare vel auferre non potest in fine conductionis, si eadem initio habuerit; et etiamsi ea in principio non invenisset, facultatem ea retinendi haberet dominus, justum illorum pretium solvendo. *Art.* 1778.

4° Conductor adhuc tenetur proprietarium rei statim admonere, si usurpationem aliquam in fundum ejus fieri deprehendat. *Art.* 1768.

5° Si locatio ad plures sit annos, et tota messis vel dimidia pars illius casu fortuito pereat, conductor petere potest imminutionem pretii detrimento quod patitur proportionatam, nisi annis præcedentibus sufficienter fuerit compensatus: quapropter, si in primis annis conductionis detrimentum contingat, judex potest quidem licentiam totum pretium non solvendi concedere; sed accuratam compensationem ad quam conductor jus habebit determinare non poterit, nisi in fine conductionis; nam ex omnium annorum consideratione judicatur an damnum fuerit sufficienter compensatum, nec ne. Si conductio sit tantum unius anni, et saltem dimidia pars messis pereat, imminutionem pretii statim conductor exigere potest; at nullam obtinebit, si jactura sit infra medietatem frugum; neque si fruges postquam a solo sunt separatæ etiam totaliter pereant. *Art.* 1769, 1770 *et* 1771.

6° Locatio sine scripto censetur facta pro tempore ad cunctos fructus percipiendos necessario. Hinc locatio prati, vineæ, etc., pro uno tantum anno facta censetur; locatio vero prædii divisi in partes, quæ dicuntur *soles* ou *saisons*, pro tot annis facta reputatur quot ad singularum partium fructus percipiendos requiruntur. *Art.* 1774.

SECTIO TERTIA. — *De regulis quæ ad locationem animalium seu* cheptel *spectant.*

I. QUID HÆC LOCATIO. — Locatio dicta *cheptel*, a voce *caput*, quia ex capitibus componitur, vel melius a *chatal*, verbo celtico significante *bétail*, definitur: Contractus quo unus dat alteri ex parte vel ex toto gregem animalium, seu potius quemdam pecorum valorem, *un fonds de bétail*, ad illum custodiendum, nutriendum et fovendum sub certis conditionibus de quibus conveniunt.

Triplex distinguitur hujusmodi locatio, quæ gallice sic exprimitur : *Le cheptel simple ou ordinaire, le cheptel à moitié, et le cheptel donné au fermier ou au colon partiaire.*

II. DE REGULIS HUJUS LOCATIONIS. — Non referemus hic regulas quæ pro singulis hujus generis contractus speciebus in Codice statuuntur: unusquisque eas ibi legere potest, ab articulo 1800.

Species apud nos communior et generalioris praxis est ea quæ vocatur *le cheptel donné au fermier ou au colon partiaire; c'est ce que nous appelons le fonds de prisée donné par le propriétaire, soit à celui qui prend à ferme, soit à celui qui prend à moitié, ou colon partiaire.*

Hæc pecorum locatio est omnino dependens a locatione prædii rustici, *ferme ou métairie*, cui annectitur; cum illa incipitur et finitur, cum illa annullatur vel rescinditur.

Si locatio prædii fiat pro pecunia (*à ferme*), proprietas pecorum vi contractus et æstimationis arbitrorum ad conductorem non pertinet, et tamen ipsi soli crescunt aut decrescunt pecora vel pereunt etiam totaliter et quacumque ex causa, nisi aliter fuerit conventum. In fine conductionis pecora ejusdem valoris relinquere tenetur, nec

plus, nec minus; si creverint, augmentum percipit; si decreverint, supplere debet : unde locatio ista dicitur *cheptel de fer. Art.* 1821 *et seq.*

Si autem locatio fiat ea conditione ut fructus dimidiantur (*à moitié*) ordinarie locatio animalium sub eadem datur conditione, cum ea tamen differentia, quod non tantum dimidiantur lucra et damna inter dominum et colonum, sed ipsa gregis proprietas sit communis, cum uterque contrahentium dimidiam partem suam animalium conferre debuerit. Igitur hic contractus magis ad societatem quam ad locationem accedit; et ideo dissoluta societate, animalia inter utrumque æqualiter dividuntur.

Possent aliæ conventiones iniri pro arbitrio contrahentium, ut videre est *Cod. civ. art.* 1803, 1827 *et seq.*

SECTIO QUARTA. — *De locatione seu conductione operum.*

Multiplex hujus locationis est species, secundum diversa opera quæ illius objectum esse possent, et juxta varios modos quibus conventio fieri potest. Alia est ad diem, *à la journée;* alia ad annum, ut famulatus; alia secundum mensuram et pondus, v. g., *à la toise, à la livre*; alia ad totum opus summatim, *à la traverse*; alia ad res aut personas transvehendas, v. g., *les voituriers, les messageries;* alia ad opus aliquod faciendum et materias simul præbendas, *à faire et à fournir; ce sont les entrepreneurs.*

In cunctis contractibus istis, conditiones ab utraque parte appositæ cum bona fide implendæ sunt.

*Hinc* 1° famulus qui toto tempore determinato non laborat, sicut famuli rectæ conscientiæ laborare solent, partem pretii reddere et insuper damnum, si quod inde sequatur, reparare tenetur.

*Hinc* 2° herus qui famulum ante tempus præfixum et absque sufficienti causa domo expellit, totum quod patitur damnum reparare debet. Ad integrum conductionis pretium ordinarie damnatur.

Famulus non potest pro tota vita sua apud aliquem se locare : hæc conventio esset nulla, utpote naturali liber-

tati contraria et quamdam servitudinem inducens. *Cod. civ. art.* 1780.

Si herus affirmet mercedem conventam se præstitisse, nullas tenebitur probationes afferre; famulo probandum erit se revera solutionem non accepisse. *Art.* 1781.

Plures statuuntur regulæ speciales pro vellaturas facientibus, artificibus, architectis, redemptoribus, etc. Reperiuntur in Codice ab articulo 1782 usque ad articulum 1799 inclusive.

Generatim, unusquisque conventionibus æquitate fundatis vel regulis usu receptis bona fide stare debet.

Ex hypothesi quod famulus vel operarius non faciat aut non perficiat opus de quo fuerat conventum, defectus exsecutionis provenit vel ex morbo, vel ex culpa, vel ex casu fortuito.

In primo casu, si morbus fuerit diuturnus, nulla debetur illi merces, maxime si dominus alium debuerit accersire famulum, vel operarium : si vero morbus fuerit transitorius, pro nihilo reputandus est. S. Ligor., l. III, n. 864. In secundo casu, reus, quicumque sit, damnum emergens compensare debet. In tertio casu, dominus non videtur teneri solvere ultra pretium operis confecti quia teneri non potest, in justitia, de casu sibi non imputabili. Coll. Andeg., de Contract. p. 443 et seq.

Qui pro pluribus simul se obstrinxit, ab unoquoque, scilicet, singillatim conductus, pretium ab omnibus accipere imo et exigere potest, si opus promissum recte faciat; secus, non.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

Contractus aleatorii ab alea sic dicti, quia eorum effectus ab eventu incerto et fortuito pendet, quatuor numerantur, nempe assecuratio, sponsio, ludus et loteria. De his seorsim dicemus in sequentibus paragraphis.

## § I. — De assecuratione.

I. Quid sit assecuratio. — Assecuratio est *contractus quo unus periculum alicujus rei in se suscipit, et alter ad pretium pro hujusmodi periculo se obligat.* Sic variis in urbibus existunt societates quæ, mediante aliqua pecuniæ summa quotannis solvenda, domos contra incendium assecurant, adeo ut si incendio pereant, earum valorem solvant. Sic etiam quotidie fit contractus quo unus pro certo pretio assecurat naves et merces eis impositas vel imponendas ab omni maris periculo, sive pro itu et reditu simul, sive pro itu tantum, sive pro reditu. *Code de commerce, art.* 322 *et seq.* Quidquid est pretio æstimabile et periculum aliquod subire potest, est materia hujus contractus : unde non solum merces, sed etiam jura personalia, objectum assecurationis esse possunt; ipsamet hominis libertas assecurari potest contra periculum captivitatis.

II. An contractus assecurationis sit licitus. — Contractus assecurationis est licitus si conditiones habeat requisitas; si enim illicitus esset, maxime quia æqualitas non servaretur : at æqualitas servari potest et reipsa servatur, si pretium stipulatum periculo moraliter proportionatum, juxta prudentium hominum æstimationem : ergo. *Ita communius theologi.*

III. De conditionibus requisitis ut assecuratio sit licita. — Conditiones autem requisitæ sunt : 1° ut pretium sit justum et majori vel minori periculo proportionatum; 2° ut periculum sit verum et assecuranti ac assecurato æqualiter notum : unde contra justitiam peccaret, qui navim quam sciret in portum appulisse assecuraret, vel qui pro navi jam capta aut inevitabiliter capienda pacisceretur; 3° requiritur ut assecuratus servet in bona fide conditiones expressas vel tacite in contractu inclusas, v. g., ut per talem vel talem viam navim ducat aut reducat, ut in conservanda re assecurata non sit negligens : 4° ut assecurator habeat unde solvere possit, alioquin

insignis foret æruscator, qui, nihil perdere valens, ageret ut lucraretur; et si in illo casu res assecurata non periret, nihilominus quod accepisset reddere teneretur; nullum enim jus acquisiisset.

Contractus gallice dictus *à la grosse aventure*, vel simpliciter *à la grosse*, olim fenus nauticum, est ille quo unus alteri negotianti de rebus quæ periculis maritimis exponuntur, dat mutuam pecuniæ summam sub conditione quod, si merces non pereant, lucrum percepturus sit, et, si navis periculo maris aut casu fortuito perierit, jus summam repetendi non habeat. Contractus ille licitus est sicut contractus assecurationis, eodem sensu et propter easdem rationes. Ita omnes. *Code de commerce, art.* 311.

### § II. — De sponsione.

I. Quid sit spontio. Sponsio, vulgo *gageure* seu *pari*, est *contractus quo plures de veritate aut eventu rei contendentes, aliquid sibi invicem spondent, vel apud aliquem deponunt, ut ejus sit qui verum dixerit.*

II. An sponsio sit licita. — Iste contractus in se est licitus; nihil enim inhonesti præ se fert; quædam est recreationis species inter amicos usitata : imo stimulus utilis aliquando esse potest, v. g., ad opus aliquod perficiendum, ad artem exercendam, etc. Aliunde æqualitas inter partes evidenter servari potest, nempe si æquale periculum utraque pars subeat. Ergo. *Ita communissime theologi contra quosdam.*

III. De conditionibus requisitis ut sponsio sit licita. — At, juxta omnes, ut sponsio sit licita, quædam requiruntur conditiones, scilicet 1° ut res eodem sensu ab utroque contrahente intelligatur; alioquin consensus non esset in idem; 2° ut eventus utrique sit incertus; nam uterque æquale debet incurrere periculum : unde qui de eventu est certus, cum alio spondere nequit, etiamsi declararet se esse certum et alius pertinaciter negare et spondere vellet; nam revera nullum esset contractus objectum respectu illius qui periculum non subiret. *Ita communiter*

*theologi contra plures*, apud. card. *de Lugo*, disp. 31, n. 81. Qui tamen spopondisset credens se esse certum, et postea deprehenderet se reipsa certitudinem non habuisse, pretium retinere posset; peccasset quidem, sed de facto legitimum habuisset titulum et justitiam non læsisset. 3° Requiritur ut sponsio in crimen non inducat, nec illius occasionem præbeat; nam contractus in crimen inducens, vel peccandi occasionem directe præbens, nullam vim obligandi habere potest. Hinc sponsiones sequentes sunt nullæ, v. g.: Spondeo te cum tali homine in duello non esse decertaturum; spondeo te tot vini pocula bibere non posse, etc. Attamen si res eveniret, pretium solvendum esset, juxta quod diximus supra. Similiter nullus aut saltem illicitus sequens haberetur contractus: Spondeo tecum avunculum tuum decem annis adhuc esse victurum; hæc enim sponsio est quoddam incitamentum ad mortem, aut ad desiderium mortis hujus hominis.

### § III. — De ludo.

I. Quid et quotuplex ludus in quantum contractus. — Ludus generatim est dictum vel factum jucundum, ad animi relaxationem et corporis exercitationem. Sed ludus speciatim sumptus, prout hic illum considerare debemus, relative scilicet ad justitiam, est *contractus quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori cessuro.*

Ludus sic definitus triplicis est generis: alii enim ludi a sola ludentium industria pendent, ut ludus discorum, ludus pilæ, ludus latrunculorum, etc.; alii, a sola fortuna, ut ludus taxillorum, plures ludi chartarum, v. g., *le brelan*, *le lansquenet*; alii ab industria simul et fortuna pendent, et dicuntur mixti: tales sunt plures ludi chartarum, v. g., *le piquet*, *la triomphe*; talis est pariter ludus scruporum et tesserarum, *le trictrac*.

II. An ludi sint liciti. — Solo jure naturali spectato, ludus non est illicitus; nam si illicitus esset, vel quate-

nus est ludus, vel quatenus pecunia exponitur, vel quatenus pendet a sorte : at nihil horum dici potest. Non primum ; nedum enim ludi prohibeantur ut ludi, S. Thomas, omnes philosophi et theologi affirmant illos aliquo sensu necessarios esse. Non secundum ; nam sicut unusquisque pecuniam suam gratis donare potest, sic et illam recreationis causa sub quibusdam conditionibus impendere valet, modo prudentiæ regulas non excedat. Non tertium; tam enim aliquis oblectamentum et recreationem ex casu fortuito percipere potest quam ex industria, nec timendum est cum nonnullis Catholicis et Protestantibus ne Deus tentetur vel sors profanetur; nam sors in se non est res religiosa, nec miraculum a Deo postulatur. Ergo. *Sic generaliter theologi.*

Diximus *solo jure naturali spectato;* nam leges positivæ aliquando plures ludos in se licitos sapienter prohibent, propter abusum ex illis orientem. Sic conciliorum decreta non semel prohibuerunt clericis omnes aleæ ludos; sic etiam olim in Gallia leges civiles eosdem ludos aleatorios erga omnes cives stricte prohibebant.

III. De conditionibus requisitis ut ludi non sint illiciti. — Conditiones autem requisitæ, sunt : 1° ut honestum finem ludens sibi proponat, videlicet animi oblectationem vel corporis levamen, non vero solum intendat lucrum; in ludo enim lucrum non nisi cum alterius detrimento obtineri potest, non est igitur finis legitimus ludi; 2° ut modica tantum exponatur pecuniæ summa, secundum uniuscujusque facultates, adeo ut nec familia, nec creditores, nec ipsi pauperes detrimentum inde patiantur; 3° ut absit fraus, coactio et alia quævis injustitia : hinc qui fingentes se inexpertos et rudes, alios sic fraudulenter alliciunt eorumque pecuniam lucrantur, contra justitiam peccant; 4° ut nimium tempus pro cujusque conditione in ludendo non consumatur, quia otiositas est peccatum ; 5° ut ludens a debitis officiis non deterreatur, nec peccandi periculo se exponat, ut qui inter ludendum solent irasci, jurare, perjurare, blasphemare, etc.; 6° ut bonorum quæ ludo exponat ludens

liberam habeat administrationem : hinc qui votum paupertatis emiserunt, ut religiosi et moniales, non nisi cum superioris licentia ludere possunt; alias facile graviter peccarent; 7° denique ut moraliter æquale sit utrinque perdendi atque lucrandi periculum ; nam ille contractus est onerosus, ac proinde æqualitas servari debet. Unde qui de victoria est certus, ludere non potest; et si jam luserit et lucrum obtinuerit, illud tanquam injustum collusori restituere debet.

Ludi aleatorii nunc legibus civilibus prohibiti non videntur. Attamen nulla in foro externo datur actio sive ad exigendum quod ex ludo debetur, sive ad repetendum quod fuit solutum, nisi probetur exstisse fraudem vel dolum. *Cod. civ. art.* 1965 *et* 1967.

Excipiuntur tamen cursus pedibus, equis aut curribus, et alii ejusdem generis ludi qui ad bonum publicum utiles judicantur; pro illis enim datur actio in foro externo. *Art.* 1968.

*Quæritur* utrum qui ludendo magnam pecuniæ summam perdidit, eam in conscientia solvere teneatur.

*R.* Si adfuerint conditiones requisitæ ut hanc pecuniæ summam valide exponeret, eam solvere tenetur ; nam collusor æquale subiit periculum : ergo ut æqualitas servetur, qui hanc summam perdidit eam solvere debet. Ita Sylvius, *Habert*, Coll. Andeg., *Pothier*, *Billuart*, Th. Gen. contra multos apud card. *de Lugo* et *Collet*. Hi tamen sola lege humana innixi videntur, quia scilicet lex dabat locum repetitioni; sed cum hæc dispositio legis non existat, præsens controversia ex sola lege naturali finienda est. Porro lex naturalis dictat, ut notavimus, liberam conventionem esse observandum, cum absque peccato servari potest.

Verum prudens confessarius per modum satisfactionis injunget pœnitenti qui sic ex ludo notabilem lucratus esset summam, ut illam vel magnam illius partem pauperibus eroget, vel in alia pia opera impendat; nam talis ludus est inhonestus. Ludens igitur peccavit : porro ex peccato ditari non licet, saltem non convenit; convenit,

e contra, ut pecunia sic lucrata pie impendatur, ne spes talis lucri ad novum impellat peccatum.

### § IV. — De loteria.

I. Quid sit loteria. — Loteria, a voce gallica *lot* sic dicta, est *contractus quo plures aliquid in commune deponunt, ut jus habeant sortiendi quinam multum, quinam parum et quinam nihil accepturi sint.* Nonnunquam etiam sic instituitur ut objectum lucrandum sit unicum; omnes concurrentes quamdam pecuniæ summam deponunt vel promittunt, deinde sortiuntur quisnam objectum sit accepturus, et cæteri nihil accipiunt.

II. An loteria sit licita. — Loteria sic intellecta nihil habet mali, modo debitæ observentur conditiones; nam considerari potest ut contractus quo, mediante pecunia, emitur jus sortiendi et acquirendi id quod per sortem advenerit: atqui pro alicujus rei periculo pascisci licitum esse probavimus. Ergo.

Præterea, loteria in pejori hypothesi, tanquam ludus aleæ spectari potest: atqui ludus aleæ ex natura sua non est illicitus, ut in § præcedenti diximus. Ergo. Ita Sylvius, Nat. Alexander, *Pontas*, *Juénin*, *Collet*, Th. Cen., et generaliter theologi contra *Sainte-Beuve* et quosdam alios.

III. De conditionibus requisitis. — Conditiones debitæ sunt: 1° ut nulla sit fraus in schedis educendis, nec in solvendo quod promissum est. 2° Ut loteriæ institutor non excedat in lucro, nec plus moraliter lucretur quam si alio contractu merces suas distribueret, vel pecuniam impenderet. Majus tamen fieri posset lucrum si in bonum opus vel in necessitatem publicam loteria esset instituta, quia ludentes jus suum ob bonum finem cedere judicarentur. 3° Ut qui jus emit sortiendi (*qui met à la loterie*) caveat ne pecuniam suam in detrimentum familiæ, creditorum vel etiam pauperum consumat. 4° Videat ne cupiditatis aut avaritiæ impulsu moveatur, sed bonum finem semper intendat: at ille rectæ intentionis defectus non est peccatum mortale, saltem ordinarie; est enim duntaxat defectus rela-

tionis debitæ. Defectus autem relationis debitæ in aliqua actione speciali est tantum peccatum veniale. Ergo.

Studeant tamen pro viribus confessarii et parochi ut fideles a loteria aliisque ludis aleatoriis, ingentium malorum fontibus, diligenter abstineant.

Lex diei 21 maii 1836 sic habet art. 1 : *Les loteries de toute espèce sont prohibées.*

Attamen, ubique quædam instituuntur loteriæ ad sustinenda pia opera destinatæ, ex consensu expresso vel tacito magistratuum publicæ administrationi præpositorum, juxta dispositionem art. 5 ejusdem legis.

A fortiori non prohibentur loteriæ parvi momenti, quæ per modum ludi fieri solent.

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE MUTUO ET DE CONTRACTIBUS MUTUO AFFINIBUS.

Præsens caput in tres articulos dividemus : 1^us^ erit de mutuo generatim spectato; 2^us^ de auctario vi mutui percepto; 3^us^ de contractibus mutuo affinibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE MUTUO GENERATIM SPECTATO.

I. De natura mutui. — Contractus ille est usuræ sedes, ut infra dicemus; sedulo igitur natura ejus investiganda est. Recte definitur : *Contractus quo rei primo usu consumptibilis dominium alteri per traditionem transfertur, cum obligatione rem similem in eadem specie et bonitate reddendi, post aliquod temporis spatium.*

Dicitur 1° *rei primo usu consumptibilis*, ut panis, vini vel pecuniæ quæ, licet usu non pereat in se, perit tamen ei qui illam tradit alteri; in rebus vero quæ primo usu

non consumuntur, mutuum proprie locum non habet, sed commodatum, aut alius contractus.

Dicitur 2° *quo dominium alteri transfertur ;* qui enim rem aliquam mutuo accipit, ea uti potest, alioquin merum esset depositum : at concipi non potest quod illa uti queat, si dominium ejus non habeat, siquidem res supponitur usu consumptibilis : ergo de natura mutui est dominium transferri. Ex eo præcise *Justinianus*, et post ipsum theologi et juristæ, hunc contractum vocant mutuum, quasi ex meo tuum. Hinc quovis modo res mutuo data crescat, decrescat aut pereat, mutuatario crescit, decrescit aut perit.

Dicitur 3° *per traditionem ;* quia ille contractus est realis, et sola traditione perficitur.

Dicitur 4° *cum obligatione rem similem in eadem specie reddendi ;* si enim res traderetur absque ulla obligatione eam reddendi, esset donatio ; si res similis non esset reddenda, sed una pro alia, v. g., vinum pro frumento, frumentum pro pecunia, permutatio esset vel venditio ; si res eadem physice et in individuo reddi deberet, ut equus, domus, etc., commodatum vel locatio foret, non vero mutuum.

Res autem aliquando in eadem specie physica reddi debet, et aliquando in eadem specie morali eam reddere sufficit.

Pecunia in eadem specie morali reddi potest, si contrarium juste non fuerit stipulatum, id est, sufficit ut idem valor extrinsecus detur, sive moneta quæ tradita est creverit, sive non ; si e contra decreverit, idem valor extrinsecus nihilominus reddi debet ; nam ubi de pecunia nummaria agitur, magis valor extrinsecus attenditur quam entitas physica. Hoc etiam Codice statuitur, art. 1895.

Diximus *si contrarium juste non fuerit stipulatum ;* nam mutuans sufficientes habere potest rationes exigendi ut eadem species physica sibi reddatur, v. g., aurum, quia illud facilius abscondet vel transferet. Pariter, si speret fore ut moneta quam tradit crescat, stipulari potest eam-

dem sibi reddendam, modo tamen illam conservaturus fuisset : si enim illam conservare non debuisset, nullum jus ad augmentum haberet.

Res aliæ usu fungibiles in eadem specie physica, in eadem mensura eodemque numero vel pondere reddi debent, v. g., modius tritici pro modio tritici, duodecim ova pro duodecim ovis, una libra butyri pro una libra butyri, etc., sive pretium creverit sive decreverit, nam in iis rebus plus entitas physica attenditur quam valor earum extrinsecus. Si tamen dubium foret cujusnam valoris res illa futura esset tempore restitutionis, stipulari liceret ut redderetur secundum valorem quem habebat tempore quo mutuo data est, sicque major vel minor quantitas redderetur prout pretium ejus crevisset vel decrevisset; nam mutuans jus habet ad valorem rei tempore quo eam tradidit : stipulari ergo potest valorem istum sibi reddendum esse. Imo, etiamsi certus esset quod pretium decresceret, propter eamdem rationem exigere posset, absque ulla injustitia, ut juxta præsentem valorem sibi redderetur, v. g., si modius tritici sex fr. valeat mense aprili quo illum dat mutuo, et certo cognoscat quatuor fr. tantum esse valiturum mense septembri quo reddi debet, stipulari potest quod modius cum dimidio sibi reddendus sit; nam solum se compensat, et lucrum ex mutuo non facit. Ita *Layman*, *Cabassut*, *Collet*, *Pontas*, *Billuart*, etc.

At nullum incrementum exigere posset, si triticum usque ad mensem septembrem certo conservaturus esset, nam lucrum ex mutuo perciperet, quod prohibitum est, ut infra dicemus. Si, e contra, triticum non servaturus, pretium ejus certo augendum prævideret, exigere non posset ut eadem quantitas sibi redderetur, siquidem tunc mutuum ipsi proficuum foret. Sic *Pontas*, v° *Usure*, cas 20, citans Sylvium, et, post utrumque, *Billuart*.

Dicitur 5° *in eadem bonitate;* non sufficit enim ut res similis in eadem specie reddatur; mutuans debet esse indemnis et tantum accipere quantum dedit : atqui tantum non acciperet quantum dedit, si res similis in eadem bo-

nitate non redderetur, si, v. g., vinum commune pro vino generoso retribueretur.

Dicitur denique 6° *post aliquod temporis spatium*. Hinc mutuum differt a cambio in quo aurum, v. g., pro argento hic et nunc datur; differt etiam a precario in quo res fungibilis ad mentem concedentis tribuitur, et reddi debet statim ac repetitur.

In mutuo autem, vel tempus ad illud reddendum fuit præfixum, vel non : si tempus fuit præfixum, mutuans illud ante hoc tempus repetere non potest, nisi ob extraordinariam causam, prout de commodato diximus. Unde si ante hoc tempus mutuum absque causa sufficienti repetat, damna inde secutura reparare tenebitur. Pariter, si, tempore dicto mutuatarius mutuum non reddat, damna inde ventura resarciendi obligationem incurrit. Si autem tempus non fuerit statutum, mutuans rem suam exigere non potest ante elapsum temporis spatium moraliter requisitum ad obtinendum finem propter quem res fuit postulata : at, elapso rationabili isto temporis spatio, mutuatarius rem ad mutuantis beneplacitum reddere tenetur. *Ita omnes pro diversis casibus.*

II. De mutuandi præcepto. — *Quæritur* an mutuum sit de præcepto.

*Notandum est* quadruplicem institui posse classem inter personas quæ mutuum petunt : aliæ enim sunt divites et mutuum ad opes augendas postulant; aliæ quamvis sint divites, vere tamen hic et nunc mutuo indigent, v. g., ad litem terminandam, at satisfaciendum obliganibus repente advenientibus, etc.; aliæ sunt pauperes, sed fundatam spem habent bona deinde obtinendi, v. g., hæreditate vel industria; aliæ denique sunt ita pauperes ut rationabiliter judicare non liceat eas habituras esse postea unde solvere queant.

*His notatis*, *R.* 1° Mutuum non est de præcepto respectu divitum qui ad opes augendas illud postulant; in nulla enim necessitate constituuntur : ergo nulla est obligatio justitiæ, nec etiam charitatis, illis subveniendi. Ita

*R.* 2° Stricta existit obligatio charitatis mutuum ex superfluo dandi divitibus, qui propter aliquam circumstantiam illo nunc vere indigent; nam præceptum charitatis erga omnes homines etiam divites nos obstringit, et exigit ut hoc illis libenter præstemus quod in pari circumstantia nobis præstari rationabiliter vellemus : at certe rationabiliter in tali necessitate vellemus alterum nobis succurrere per mutuum quod absque sui incommodo nobis præstare posset. Ergo. *Sic omnes theologi*, et pro hac responsione innumera afferri possent Scripturæ sacræ et SS. Patrum testimonia.

*R.* 3° Strictissima existit obligatio charitatis mutuum præstandi pauperibus qui deinde bona sunt habituri; adest quippe obligatio necessitatem patientibus per eleemosynam vel per mutuum subveniendi; sed eleemosynam illis largiri non necesse est, siquidem bona habituri supponuntur. Requiritur ergo et sufficit ut per mutuum illis subveniatur, non solum ex superfluo, sed aliquando ex iis etiam quæ plus minusve sunt necessaria, secundum speciales circumstantias. Hoc sensu ab omnibus intelliguntur textus Scripturæ et Patrum circa obligationem mutuum dandi.

*R.* 4° Quoad alios pauperes, qui nec bona habent nec habituri sunt, modo stricta, modo strictissima existit obligatio per eleemosynam illis subveniendi : at nulla est obligatio mutuum eis præstandi. Quinimo existit potius obligatio mutuum non dandi; nam, ex hypothesi, probabilius nunquam habebunt unde solvere queant : crudeliter ergo imponeretur illis obligatio id reddendi quod minime reddere possent. Unde risu vel indignatione potius quam laude dignus haberetur ille qui, eleemosynam mendicanti impertiendo, intolerabile onus illi imponeret idem postea restituendi. Ita P. *de Gasquet*, t. II.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE AUCTARIO VI MUTUI PERCEPTO, SEU USURA.

I. De natura et definitione usuræ. — Usura, ab *utendo* sic dicta, idem significat, ac usus, sive bonus, sive malus; in bonam igitur et in malam partem æqualiter sumi potest. Sed mos prævaluit ut in malam partem semper sumeretur. Vocatur a Græcis τόκος quasi per antiphrasim, quia illius ope pecunia, licet de se sterilis, fetum producit; unde a Latinis fenus dicitur. Ab Hebræis appellatur נשך quod idem significat ac morsus, quia mordet et quasi devorat substantiam illorum qui eam solvunt.

Usura autem recte definitur : *Lucrum ex mutuo immediate seu vi mutui proveniens.*

1° Dicitur *lucrum,* sive magnum, sive parvum vel etiam minimum. Nomine lucri non intelligitur tantum pecunia, sed quidquid pretio æstimabile est, ut vinum, triticum, vel onus aliquod mutuatario impositum, v. g., talem frequentandi officinam, tale obsequium præstandi. Contra vero, quod non est pretio æstimabile, vel quod aliunde est debitum, objectum usuræ esse non potest, quia non est lucrum. Hinc qui mutuum dat alteri ut amicitiam illius obtineat, ut iste debitum solvat, depositum reddat, ab injusta vexatione cesset, etc., usuræ non fit reus; quia nullum proprie dictum percipit lucrum. Item si exigeret a sacerdote, mutuum illi præstando, ut Missas celebraret, non usura tunc esset, sed simonia; Missæ quippe non sunt pretio æstimabiles, nec reputari possunt lucrum.

2° Dicitur *ex mutuo;* usura enim, ut ab omnibus intelligitur, in solo mutuo sedem habet : unde si in aliis contractibus aliqua sit injustitia, non appellatur usura, nisi revera ibi existat mutuum saltem implicitum, ut v. g., si in venditione lucrum percipiatur, præcise ob dilationem solutionis; hæc enim solutionis dilatio mutuo æquivalet.

3° Dicitur *ex mutuo immediate seu vi mutui proveniens:* omnes enim fatentur lucrum, licet occasione mutui per-

cipiatur, usuram vocari non debere, si ex mutuo et vi solius mutui non proveniat. Hinc quod titulo gratuito donatur, quod in compensationem damni emergentis vel lucri cessantis solvitur, non est usura, quia ex mutuo immediate non provenit.

II. De diversis usuræ speciebus. — Usura potest esse *explicita* seu *formalis*, *implicita* et *palliata*. Est explicita seu formalis quando expressa fit conventio de illa solvenda. Est vero implicita cum mutuans nullum stipulatur lucrum, sed aliunde sufficienter manifestat se quoddam ex mutuo exspectare beneficium, dicendo, v. g., se indigere ut pecunia sua aliquid sibi producat; si fingatur lucrum e contractu a mutuo diverso oriri, usura dicitur palliata.

Usura potest adhuc esse *realis mentalis* et *mere mentalis*. Est realis, quando ex aliquo pacto sive explicito sive implicito percipitur; est mentalis, quando ex mutuo desideratur, intenditur, speratur ut aliquid debitum et percipitur; est mere mentalis, quando sic intenta et sperata de facto non percipitur.

Distinguitur insuper *usura sortis* et *usura usuræ*. Usura sortis est illa de qua jam locuti sumus, scilicet, lucrum quod ex sorte mutuo data percipitur; usura usuræ est lucrum quod ex lucro antecedenter debito et non soluto percipitur.

His præmissis in triplici paragrapho dicemus: 1° de prohibitione usuræ; 2° de titulis ab usura excusantibus; 3° de regulis in praxi circa hanc materiam sequendis.

### § I. — De prohibitione usuræ.

Duo quæruntur: 1° an usura sit licita; 2° quænam consectaria ex prohibitione usuræ defluant, seu an et quomodo ratione sit restituendum.

#### Sectio prima. — *An usura sit licita.*

I. De variis opinionibus circa usuram. — Circa hanc quæstionem variæ prodierunt opiniones.

1ª est Judæorum qui lege Moysis, Deut. XXIII, 19, innixi, crediderunt, et etiam nunc credunt omnem usuram, sive a divitibus, sive a pauperibus exigatur, licitam esse erga extraneos, id est, erga omnes qui non sunt Judæi.

2ª est Græcorum schismaticorum qui, posthabita Patrum orientalis Ecclesiæ auctoritate, docent omnem usuram esse licitam et societati utilem : nituntur quibusdam legibus Imperatorum qui usuras pluries toleraverunt.

3ª est Pseudoreformatorum qui, post laxitatem in doctrina toties Ecclesiæ Romanæ exprobatam, usuram alii aliis rationibus comprobaverunt. Dux eorum fuit Calvinus, qui in Commentario in cap. XVIII Ezechielis, aperte docet usuram esse licitam, modo a pauperibus non exigatur; et ut quæ a divitibus exigitur non sit nimia, sed moderata. Eamdem omnino opinionem amplexus est *du Moulin* in Tractatu de Usura. Illi quoque fere subscripsit *Saumaise :* docuit enim omnem usuram per se licitam esse et honestam tanquam pecuniæ locatæ pretium. Sic pariter nunc communiter sentiunt Lutherani contra ipsum Lutherum et priores ejus asseclas, ut sunt *Bucer, Mélanchthon*, Brentius, Chemnitius, etc. Vide *Concina*, l. III, cap. II. 2.

4ª, quam Benedict. XIV hæreticorum impiis opinionibus adæquat, est eorum qui duplex etiam mutui genus distinguunt, unum videlicet quo res in consumptionem datur, ut fieri solet respectu pauperum vel etiam divitum qui nunc mutuo indigent, et alterum quo res vel pecunia ad negotiationem traditur, et vocant illud *prêt de commerce*. In priori casu id omne usuram esse dicunt quod ultra sortem exigitur : in posteriori vero nullam esse usuram contendunt, si quid moderatum supra sortem exigatur.

Eamdem sententiam fortiter tenuerunt Jansenistæ in Bataviam profugi, et præsertim in opere cui titulus : *Défense des contrats de rente rachetables des deux côtés.*

Idem pariter admittunt, licet timide et velut titubántes, nonnulli recentiores catholici, inter quos *Ber-*

*gier*, in Dictionario suo theologico, v° *Usure*, et auctor operis ex mandato archiepiscopi Salisburgensis (*Salzbourg*) compositi, et in idioma gallicum sub hoc nomine traducti : *Exposition de la Morale chrétienne*, t. II, p. 155, seu § 114. Hæc duo opera recenter fuerunt emendata.

Alii celebres auctores, ut D. *de la Forêt*, parochus Lugdunensis, in opere : *Traité de l'Usure et de l'Intérêt*, edito an 1769 et 1776, et, recentius, cardinalis *de la Luzerne*, in opere dicto : *Dissertation sur le Prêt de commerce*, anni 1823, 5 vol. in-8°, et *Mastrofini*, clericus Romanus, in opere cui titulus : *Discussion sur l'Usure*, 1 vol. in-8°, anno 1830, Roma impresso, a duobus S. Officii consultoribus valde laudato, in linguam nostram super 4ª editione Italiana anno 1834 converso, fortiter contendunt lucrum ex mutuo divitibus præstito proveniens non esse prohibitum.

II. Exponitur et probatur doctrina Ecclesiæ circa usuram. — Ecclesia catholica has varias opiniones tanquam hæreticas vel saltem impias reprobat, et aperte docet omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum, sive magnum, sive parvum, sive a paupere exigatur, sive a divite, usurarium esse et illicitum.

### PROPOSITIO.

*Omne lucrum ex mutuo immediate proveniens, seu vi mutui, perceptum, est illicitum et injustum.*

*Prob.* Tale est quippe, si existat lex divina quæ illud prohibeat ut injustum : atqui existit lex divina quæ omne lucrum ex mutuo immediate proveniens ut injustum prohibet; existentia enim legis divinæ repetitur ex Scriptura sacra, ex conciliis, ex sanctis Patribus, ex decisionibus summorum Pontificum et ex unanimi doctorum consensu : porro ex diversis his momentis constat existere legem divinam quæ omne lucrum ex mutuo immediate proveniens, seu vi mutui perceptum, ut injustum prohibet.

*Primo.* — Argumentum ex Scriptura sacra,

Exod. XXII, 25 : *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.*

Levit. XXV, 35 : *Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu... ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges.*

Deut. XXIII, 19 : *Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.*

In Ps. XIV : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?... qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum... qui jurat proximo suo, et non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.*

Ezech. XVIII, 10, ita virum injustum describit : *Si genuerit (vir) filium latronem, effundentem sanguinem... uxorem proximi sui polluentem, egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuram dantem et amplius accipientem : numquid vivet? Non vivet; cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur; sanguis ejus in ipso erit.*

Unde sic argumentari licet : Ut ex his textibus propositio nostra demonstretur, quatuor requiruntur et sufficiunt, scilicet, 1° quod per usuram omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum intelligatur; 2° quod omnibus prohibeatur Judæis et erga omnes Judæos, sive pauperes, sive divites; 3° quod prohibeatur tanquam injustum; 4° quod illa prohibitio abrogata non fuerit in Lege nova, et nunc pro omnibus saltem Christianis erga omnes homines existat : atqui hæc quatuor certa sunt.

1° In textibus præfatis nomine usuræ intelligitur omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum; nam expresse dicitur, *nec amplius quam dedisti accipias : superabundantiam non exiges :* at etiamsi non excessivum, sed parvum et moderatum exigeretur lucrum, semper esset amplius quam datum est, et vera superabundantia. Ergo. Ita omnes generatim Judæi et Christiani.

2° Lucrum istud omnibus prohibetur Judæis et erga omnes Judæos. — a) Omnibus; lex quidem non distinguit inter populum et magistratus, inter pauperem et divitem, sacerdotes et laicos : ergo nec nos distinguere debemus. — b) Erga omnes, sive pauperes, sive divites, prohibetur; nam prohibetur erga omnes fratres, *non fenerabis fratri tuo*. Hic autem nomine fratris quilibet intelligitur Judæus, pauper aut dives; frater enim opponitur alieno : non fenerabis *fratri tuo, sed alieno*, recte autem non opponeretur alieno si de omni Judæo non intelligeretur; nullus namque Judæus, sive pauper, sive dives, per alienum unquam fuit designatus. Ergo.

Unde Philo Judæus, in libro de Charitate, edit. Paris, an. 1640, p. 700, ait : « Vetat Moyses fratri fenerari; » fratrem nominans non solum ex iisdem natum paren» tibus, verum etiam quemcumque civem tribulumve, » iniquum ducens e pecuniis fenus tanquam e pecoribus » fetus colligere atque percipere. »

3° Usura prohibetur ut injusta; hoc sequitur ex ipsa natura usuræ : non potest enim usura esse illicita quin sit injusta, siquidem illius malitia ex eo oritur, quod amplius exigatur quam debetur; sequitur etiam ex verbis Scripturæ supra citatis, cum præcipue dantes ad usuram condemnantur et sceleratis annumerantur, quia plus accipiunt quam dederunt.

4° Hæc prohibitio per novam legem non fut abrogata. Etenim lex nova abrogavit quidem omnia præcepta cæremonialia et judicialia, sed, ex omnium consensu, præcepta moralia non abrogavit; ea potius perfecit, supprimendo et reformando quidquid in illis erat imperfectum, v. g. divortium in matrimonio. At præceptum quo omnis

usura prohibetur non erat cæremoniale, nec judiciale, sed morale; siquidem prohibet usuram ut quid in se malum, ut videre est in diversis Scripturæ locis in quibus de usura agitur.

Et vero, Christus mirandam doctrinam suam explicans, hæc dicit, Luc. VI, 34 et 35 : *Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite et mutuum date nihil inde sperantes.*

Unde sic : Christus loquebatur Judæis, qui omnes sciebant quamcumque usuram ipsis prohibitam esse, inter quos tamen multi tunc erant usurarii, ex quo Romani in Judæa publicam exercebant potestatem. Vetat autem ne mutuum præstent, sicut dare solent peccatores : peccatores enim mutuum dant peccatoribus ut recipiant saltem æqualia, id est ut simile beneficium in alia circumstantia sibi præstetur : at Christus expresse vetat ne quid ex mutuo speretur, ne quidem simile mutuum, vel, ut plures volunt, nec ipsa sors, quando ex præcepto charitatis necessitatem patienti per mutuum subveniendum est; *a fortiori* vetat ne lucrum ex mutuo exigatur. Nonne enim cuncti auditores statim intelligere debuerunt Christum his verbis strictam jubere legis divinæ jam existentis observantiam? Sensus ille naturalis et obvius videtur. Sic passim sancti Patres, doctores et concilia præsentem intellexerunt textum, ut ex dicendis videbitur. « La tra» dition constante des conciles, à commencer par les plus » anciens, celle des Papes, des Pères, des interprètes et » de l'Eglise romaine, est d'interpréter ce verset comme » prohibitif du profit qu'on tire du prêt, » *Bossuet, 2e Instr. sur la version du Nouveau-Testament de Trévoux, tom.* IV, *page* 544, *édition de Versailles.* Ergo nedum Christus abrogaverit præceptum quo usura in veteri lege prohibebatur, illud e contra stabilivit, confirmavit atque perfecit; non venit enim solvere legem, sed illam adimplere et perficere : præceptum charitatis perfecit, jubendo ut ipsi diligerentur inimici; præceptum indissolubilitatis ma-

trimonii et unitatis uxoris, prohibendo libellum repudii et polygamiam; ita perfecit etiam præceptum omnem usuram prohibens, efficiens scilicet ut cunctos Christianos erga omnes homines obstringeret : nam lex Evangelica omnes saltem Christianos obligat; quicumque homines ut proximi et fratres nostri nunc habendi sunt : ergo denique præceptum quo omne lucrum ex mutuo perceptum prohibetur, per legem novam non fuit abrogatum; aliunde, etc. Ergo.

*Dices :* Ex textu Deuteronomii jam citato, Deus permisit Hebræis, ut *ab alieno* usuram exigere possent : ergo usura non est in se mala.

*R. Nego conseq.* Nam 1° dici potest Deum eo sensu permisisse Hebræis usuram ab alieno exigere, quo eisdem permiserat ut vasa Ægyptiorum auferrent, in ea autem hypothesi, usura, quamvis in se mala, erat licita; malitia usuræ in eo enim consistit, quod aliquid ex mutuo absque titulo exigatur : sed, posita Dei permissione, quod propter mutuum postulatur, sine titulo non exigitur, siquidem Deus, ut pote supremus bonorum omnium dominus, sua auctoritate transfert dominium incrementi quod percipitur. Ergo. 2° Dici potest hanc facultatem a Deo Hebræis concessam, usuras scilicet ab alienis exigendi, eas tantum respexisse gentes quas exterminare debebant : porro si illas exterminare deberent, pari jure eas exspoliare poterant. Ita S. Ambrosius in cap. 15 Tob. « Quis erat, inquit, tunc alienigena nisi Amalec, nisi » Amorrhæus, nisi hostis ? Ibi usuram exige cui merito » nocere desideras... Ergo ubi jus belli, ibi jus etiam usu» ræ. » Ipsimet hæretici fatentur Judæos per hanc concessionem jus non habuisse exigendi usuras ab aliis extraneis. 3° Dici potest, cum S. Th. 2 2, q. 78, art. 1, ad 2^m^, Hebræis non fuisse permissum usuras ab extraneis exigere, sed toleratum tanquam minus malum, propter duritiam cordis eorum, sicut repudium uxorum erat toleratum. Ergo.

*Secundo.* — Argumentum ex concilis.

Concilium Eliberitanum (*d'Elvire*), anno 305 celebratum, sic habet, can. 2 : « Si quis clericorum detectus » fuerit usuras accipere, placuit degradari et abstinere ; » si quis etiam laicus accepisse probetur usuras, et pro- » misit correptus se jam cessaturum, nec ulterius exac- » turum, placet etiam ei veniam tribui. Si vero in ea ini- » quitate duraverit, ab Ecclesia sciat se esse projicien- » dum. » *Labbe*, t. I. Ecclesia in hoc canone supponit usuram esse illicitam, et eam sub gravissimis pœnis prohibet non solum clericis, sed etiam laicis : at usura simpliciter, et absque distinctione de omni lucro ex mutuo proveniente intelligenda est, ut patet tum ex textibus Scripturæ jam allatis, tum ex multis conciliorum et Patrum testimoniis mox referendis : ergo.

Concil. Nicænum I generale, an. 325, can. 17 : « Quo- » niam multi sub regula constituti, id est clerici, avari- » tiam et turpia lucra sectantur, oblitique divinæ Scrip- » turæ dicentis, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram,* » mutuum dantes, centesimas exigunt, juste censuit sancta » et magna synodus, ut si quis inventus fuerit post » hanc definitionem usuras accipiens... dejiciatur a » clero et alienus existat a regula. » *Labbe*, t. II. Unde sic : Concilium graves decernendo pœnas contra clericos usurarios, declarat eos oblivisci præceptum divinum usuram prohibens : manifestum est autem præceptum divinum non ad solos respicere clericos : ergo, licet concilium usuram illis tantummodo interdicere videatur, non magis inferri potest illam laicis non esse prohibitam quam, ex eo quod plurima concilia gravissimas decernant pœnas contra clericos concubinarios, concludi potest concubinatum laicis esse permissum. Ergo.

In Concilio Carthaginensi I, circa annum 348, can. 13 (*Fleury*, l. XII, n. 49), cum Abundantius, episcopus Adrumetinus, repræsentaret usuram in concilio provinciæ suæ clericis fuisse interdictam et postularet ut decretum istud

a concilio generali Africano confirmaretur, tunc Gratus, Carthaginensis episcopus et concilii præses, dixit : « De » quibus apertissime divina Scriptura sanxit, non defe- » renda sententia est, sed potius exsequenda ; proinde » quod in laicis reprehenditur, id multo magis in cleri- » cis oportet prædamnari. » Universi dixerunt : « Nemo » contra Prophetas, nemo contra Evangelia fecit sine pe- » riculo. » *Labbe*, t. II.

Concilium Agathense, an. 506 : « Usura est ubi am- » plius requiritur quam datur, v. g., si dederis solidos » decem, et amplius quæsieris, vel dederis frumenti mo- » dium unum, et super aliquid exegeris. » *Labbe*, t. IV.

In concilio Lateranensi V, sess. 10, Leo X, Pontifex maximus, sacro approbante concilio, sic se exprimit : « Dominus noster, Evangelista attestante, aperte nos » præcepto astrinxit ne ex dato mutuo quidquam ultra » sortem sperare debeamus. » *Labbe*, t. XIV. Tria hæc concilia sunt ita clara ut nulla interpretatione indigeant, probantque quid sit usura, et quo sensu intelligendi sint Scripturæ textus, præsertim Luc. VI.

Concilium Viennense, sub Clemente V celebratum, sic in Clementina unica de Usuris, l. V, Clem. cap. 1, pronuntiat : « Si quis in hunc errorem incideret, ut perti- » naciter affirmare præsumat exercere usuras non esse » peccatum, decernimus illum velut hæreticum esse pu- » niendum. » Verum ut hæreticus non esset puniendus, si non existeret lex divina usuram prohibens. Concilium autem non distinguit inter pauperes et divites ; de usura in genere loquitur, et sine dubio, prout a Scriptura, Patribus et aliis conciliis definita est : porro usura, sic generaliter intellecta, est quidquid sortem excedit, ut pluries jam ostendimus. Ergo.

Hinc theologi concludunt propositionem nostram esse saltem fidei proximam. Illustrissimus *Bossuet* sine tergiversatione affirmat illam esse de fide. *Traité de l'usure*, prop. 5.

*Tertia.* — Argumentum ex sanctis Patribus.

Quosdam tantum inter fere omnes seligemus. Tertullianus, lib. IV contra Marcionem, in toto libri hujus decursu probare intendit Evangelium cum Veteri Testamento perfecte congruere, et ubi verba cap. VI S. Lucæ, *Et si mutuum dederitis*, etc., explicat, cap. 25, alias 17, sic ait : « Hic nunc de fenore cum interponit : *Et si fe-* » *neraveritis a quibus speratis vos accepturos, quæ gratia* » *est vobis?* Percurre sequentia Ezechielis de eodem viro » justo : Pecuniam, inquit, suam fenore non dedit, et » quod abundaverit non sumet, fenoris scilicet redun- » dantiam, quod est usura. Prius igitur fuit ut fructum » fenoris eradicaret, quo facilius assuefaceret hominem » ipsi quoque fenori, si forte, perdendo. »

Ex illo textu patet usuram esse sortis superabundantiam; — legem divinam eam prohibere; — hanc legem magis et perfectius in nova Lege quam in veteri existere.

Lactantius, lib. VI. Inst. div. c. 18 : « Pecuniæ, si » quam crediderit, non accipiat usuram; plus autem ac- » cipere quam dederit, injustum est. »

S. Basilius, in Ps. XIV : « Ezechiel id in maximis ma- » lis recenset, si fenus et quidpiam ultra sortem accipia- » tur. »

S. Ambrosius, in cap. 14 lib. Tobiæ, ait : « Plerique » refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam ne- » gotiatoribus, non in pecunia usuram exigunt, sed de » mercibus eorum tanquam usuram emolumenta perci- » piunt; fraus ista circumscriptio legis est, non custodia, » et putas te pie facere quia a negotiatore velut munus » suscipis?... Quodcumque sorti accedit usura est; quod » velis ei nomen imponas, usura est. » Ergo non licet plus quam sortem exigere etiam a negotiatoribus.

S. Augustinus, serm. 3 in Psalm. XXXVI, n. 6, in illa verba ℣ 26..... *tota die miseretur et commodat*, dicit : « Nolo sitis feneratores, et ideo nolo quia Deus non vult;

» nam si ego nolo et Deus vult, agite : si autem Deus » non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret qui age- » ret... Si feneraveris homini, id est, mutuam pecuniam » dederis, a quo aliquid plus quam dedisti exspectes ac- » cipere non pecuniam solam, sed aliquid plus quam de- » disti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, » sive quodlibet aliud ; si plus quam dedisti exspectes » accipere, fenerator es, et in hoc improbandus, non » laudandus. » Videtur quid sit usura, et quod Deus illam prohibeat.

S. Hieronymus eamdem luculentissime explicat doctrinam, in cap. XVIII Ezechielis, et in hæc verba Ps. LIV, *non defecit de plateis ejus usura et dolus*, ait : « Omnia » quæ in lege prohibita sunt ad augendi peccati cumu- » lum exercuerunt : in lege enim usuræ accipi prohiben- » tur; usura autem est plus accipere quam dare. »

Qui alia prope infinita, nec minus clara, conciliorum et Patrum testimonia inspicere ac perpendere voluerit, adeat opus dictum : *Dogma Ecclesiæ circa usuram*, 1 vol. in-4°, vel *Tractatum de Usura et Fenore* a *Jacobo Gaïtte*, 1 vol. in-4°.

Sic autem compendiose ostendi potest SS. Patres usuram tanquam absolute malam reprobare : 1° arguunt ex Lege veteri quam in nova Lege sub eo respectu subsistere dicunt : porro Lex vetus usuram prohibet ut malam. 2° Arguunt ex injustitia intrinseca usuræ. 3° Rationem deducunt ex sterilitate pecuniæ, quæ certe pro omnibus ejusdem est naturæ. 4° Pluries contra se excitaverunt omnium querelas, quia usurarios indiscriminatim damnabant. 5° Pluries tandem reprobaverunt usuras etiam a divitibus perceptas.

Ex tot et adeo claris testimoniis videtur quam temere ac falso nonnulli asserant opinionem nostram, ut aiunt, in duodecimo tantum sæculo, vel a Scoto vel a S. Thoma excogitatam fuisse.

*Quarto.* — Argumentum ex decretis summorum Pontificum.

Alexander III, Decret. l. v, tit. 19, de Usuris, cap. 4, ab archiepiscopo Panormitano interrogatus an usuram exercere liceret ad redimendos captivos, sic respondet : « Super eo vero respondemus quod, cum usurarum cri-» men utriusque Testamenti pagina detestetur, super » hoc dispensationem aliquam fieri posse non videmus; » quia cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita » mentiri, multo magis prohibendus est ne quis, etiam » pro redimenda vita captivi, usurarum crimine invol-» vatur. »

Urbanus III, Decretal. l. v, tit. 19, de Usuris, cap. 10, a quodam Brixiensi presbytero consultus, 1° utrum qui, nullo inito pacto, mutuum tamen ea mente dedit ut plus sorte reciperet, in periculo versetur salutis, et usurarius censeri debeat; 2° an eodem modo condemnandus sit negotiator qui merces suas multo carius vendit ob solutionis dilationem, respondit : « Quia quid in his casibus » tenendum sit, ex Evangelio S. Lucæ manifeste cogno-» scitur, in quo dicitur : *Date mutuum, nihil inde speran-» tes;* hujusmodi homines pro intentione lucri quam ha-» bent (cum omnis usura et superabundantia prohibeatur » in lege), judicandi sunt male agere, et ad ea quæ tali-» ter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio » efficaciter inducendi. » Ex his Alexandri et Urbani III responsis constat usuram lege divina Veteris et Novi Testamenti esse prohibitam ; — ex natura sua malam esse sicut mendacium ; — vitium illius in eo consistere quod aliquid supra sortem exigatur.

Multa alia summorum Pontificum decreta æque valida apud auctores jam citatos legi possunt. Sed locum cunctorum Pontificum qui citari possent abunde tenebit doctissimus ac illustrissimus Benedictus XIV. Sic enim se habet in exquisito et ubique notissimo opere, de Synodo diœcesana, lib. x, c. 4, n. 2 : « Omne lucrum ex mutuo, » præcise ratione mutui, uti loquuntur theologi, hoc est,

» lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco » titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali » scilicet, divino et ecclesiastico, illicitum esse perpetua » fuit et est catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium concilio- » liorum, Patrum et theologorum unanimi consensione » firmata. Huic contradixere Græci schismatici..... »

Varias postea recenset hæreticorum opiniones, Calvini, Molinæi, Salmasii, prout eas exposuimus, deinde n. 10 ait :

« Verum, quoniam tot doctorum auctoritate et argu- » mentis minime perterriti, prædictam exoticam opinio- » nem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, prop- » terea Nos, ad Petri cathedram evecti, ne catholicæ » doctrinæ puritas, cujus depositum Nobis est a Christo » concreditum, hac erroris labe fedaretur, datis ad Italiæ » episcopos encyclicis sub die prima nov. 1745, hæc inter » cætera declaravimus : Primo, omne lucrum ex mutuo » ratione mutui usurarium et illicitum esse ; secundo, » ad usuræ labem purgandam nullum accersiri posse » subsidium, vel ex eo quod id lucrum non excessivum » et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exi- » guum sit, vel ex eo quod is a quo id lucrum solius mu- » tui causa deposcitur, non pauper, sed dives existat : » nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, » sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis » prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissime » sit impensurus ; tertio, quamquam una cum mutui » contractu possint quandoque alii tituli, ut aiunt, forte » concurrere, ipsi mutuo extrinseci, a quibus justa oria- » tur causa aliquid ultra sortem ex mutuo debitam exi- » gendi, attamen falso et temere affirmari diximus hu- » jusmodi titulos semper reperiri, ac ubique præsto esse, » ita ut illorum ratione, quotiescumque pecunia, fru- » mentum aliudve id generis alteri cuicumque creditur, » toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem » integram salvamque recipere. »

Longum hunc doctissimi Pontificis textum integrum referendum duximus, quia in præsenti materia gravis-

simi est ponderis, et non multi eximium opus ex quo illum decerpsimus possident.

Ex hoc ultimo numero, summus Pontifex Benedictus XIV epistolam encyclicam, 1 nov. 1745, *Vix pervenit*, dedit tanquam princeps et caput Ecclesiæ, *Nos ad Petri cathedram evecti*; eam dedit ad doctrinam catholicam explicandam et conservandam, *ne catholicæ doctrinæ puritus fedaretur;* eam direxit ad universos Italiæ archiepiscopos, episcopos et ordinarios; cunctis orbis universi episcopis nota fuit, et nullus reclamavit : atqui nullus vere catholicus contra talem summi Pontificis sententiam ita ratam et approbatam tuta conscientia insurgere potest: ergo.

DD. *d'Aviau du Bois de Sanzay*, vir valde commendabilis, primo Viennensis, postea Burdigalensis archiepiscopus, tempore revolutionis nostræ Gallicanæ scripsit ad summum pontificem Pium VI, illique exposuit varietatem opinionum casuistarum circa usuram, quæ varietas major adhuc esse debebat post Conventus nationalis decretum, quo stipulatio lucri ex mutua pecunia permittebatur : a Sua Sanctitate requirebat quomodo sacerdotes in Galliam mox reversuri, se gerere deberent erga suos pœnitentes, sive anxietates suas aperirent, sive nihil dicerent, utrum scilicet eos interrogare oporteret. Sequens accepit responsum a card. Zelada, 12 augusti an. 1795 : « SS. Dominus noster Pius, divina Providentia papa sex» tus, de consilio selectæ cardinalium Congregationis, » quoad primam partem dubii, rescribendum esse man» davit servandam esse Constitutionem Benedicti XIV, » cujus initium *Vix pervenit*, diei 1 novemb. an. 1745, » § 3, n. 2.

» Quoad vero secundam partem dubii, rescribendum » esse mandavit servandam esse epistolam encyclicam » Benedicti XIV ad omnes patriarchas, archiepiscopos et » episcopos, diei 27 junii an. 1748, § 19 et 20. »

Quid autem in Constitutione *Vix pervenit* fuerit definitum, jam vidimus; in epistola vero encyclica 26 junii 1749, ad præparationem Jubilæi data, Benedictus XIV

docet confessarios pœnitentes suos interrogare debere quoties judicant eos peccata sua non recte confiteri: ergo interrogandi sunt etiam circa usuram, nisi forte in ignorantia invincibili constituantur, et nulla ex monitis futura prævideatur emendatio.

Theologi legationis Apostolicæ, Parisiis anno 1802 degentes, a pluribus quos novimus sacerdotibus interrogati eodem sensu responderunt; sicque ipse legatus Caprara cuidam Valentino rescripsit, anno 1804; sic et nobis respondit sacra Pœnitentiaria anno 1815. Cunctis hac de re consultationibus semper respondetur per Constitutionem Benedicti XIV *Vix pervenit*. Ergo. Vide Dissertationem circa usuram D. *Pagès*, edit. anni 1826, et opus D. *Bouyon*, dictum : *Examen du système de feu Mgr. le card. de la Luzerne, sur le prêt de commerce.*

*Quinto.* — Argumentum ex unanimi doctorum consensu.

Longam hic non texemus seriem doctorum qui sententiam nostram tenuerunt, nec ullum speciatim referemus. Unicum validissimum nobis sufficit sequens argumentum: fatentibus nostris adversariis, a S. Thoma usque ad nos, universi scholæ principes ac magistri constanter docuerunt omnem usuram, prout eam definivimus, jure naturali, divino et ecclesiastico esse prohibitam: quod sic exprimit card. *de la Luzerne:* « Il est certain que de-
» puis le XIII^e^ siècle on a regardé tout intérêt perçu en
» vertu du *mutuum* comme usure; que l'unanimité des
» théologiens l'a condamné sans distinction d'usure op-
» pressive et non oppressive; que le nombre des docteurs
» catholiques qui ont voulu faire cette distinction est
» trop peu considérable pour rompre l'unanimité.

Unde sic ratiocinari licet: Ecclesia nec explicite nec implicite approbat ea quæ sunt contra fidem vel bonos mores: attamen dicendum foret Ecclesiam aliquando ea approbare quæ sunt contra fidem vel bonos mores, si lex divina omne lucrum ex mutuo non prohiberet; nam, per multa sæcula, nemine diffitente, omnes professores

in scholis, doctores in scriptis suis, sacerdotes ministerium sacrum exercentes, omnes divini verbi præcones, omnes episcopi et prælati in Ritualibus et in responsionibus ad consultationes, hanc unanimiter tenuerunt doctrinam illamque velut Ecclesiæ doctrinam fortiter propugnaverunt; millies definierunt eos qui lucrum ex mutuo perceperant ad restitutionem sub denegatione absolutionis etiam in articulo mortis adigendos esse : ergo dicendum foret Ecclesiam docentem in errorem turpissimum impegisse circa fidem et mores. Porro nullus est catholicus qui talem sequelam non exhorrescat : ergo firmiter tenendum est existere legem divinam quæ omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum prohibet, quidquid mundus obcæcatus et cupiditate abreptus dicat. Itaque etiamsi motiva divinæ illius legis sola ratione advertere non possemus, nihilominus omnem usuram jure naturali illicitam et injustam pronuntiare deberemus, cum lex divina eam ut in se malam exhibeat. Ergo.

*Sexto.* — Argumenta ex ratione petita.

Ipsa ratio legitima nobis ostendit divinæ legis motiva, validaque adversus usuram nobis subministrat argumenta.

Omnis usura legitime prohibetur, si revera in se mala sit : atqui res ita se habet. Mala est enim in se, si nullus existere possit titulus ad lucrum ex mutuo vi mutui percipiendum : atqui nullus est hujusmodi titulus. Lucrum enim ex mutuo percipi non potest 1° tanquam pretium rei mutuatæ ; res enim mutuata non pluris valet quam ipsa quæ integra reddi debet, v. g., viginti fr. valent viginti fr., unus modius frumenti valet tantum uno modio, ex hypothesi quod pretium extrinsecum non creverit. Etenim res mutuata per se non est fructifera, sicut arbor vel ager, nec ideo est lucri causa. Totum lucrum ex industria mutuatarii venit ; et hoc verum est etiam respectu pecuniæ, quæ merum est instrumentum quo fiunt permutationes, industria exercetur et datur occasio faciendi

lucrum. Ergo res mutuata non habet pretium a se distinctum, et sufficit ut ipsa reddatur. 2° Non tanquam pretium usus rei mutuatæ; cum enim res usu sit fungibilis, usus ab ipsa non distinguitur. Unde ridiculus haberetur qui panem, v. g., alteri præstando sic stipularetur : Eamdem panis quantitatem et qualitatem mihi reddes, et insuper tot asses pro usu mihi solves. Idem autem dicendum est de pecunia et aliis rebus quæ usu consumuntur. 3° Non tanquam compensatio pro rei absentiâ, siquidem mutuatarius pericula in se suscipit, et mutuans supponitur aliunde nullum ex tali absentia pati damnum. 4° Non tanquam pretium actionis mutuandi; illa enim actio in se sumpta nullius est valoris, est transitoria, mutuanti non gravis, ut supponitur, alteri vero utilis. Verum hujusmodi actio non est pretio æstimabilis ex parte agentis, non magis enim pretium pro illa exigere potest, quam ad viam iter facienti indicendam. 5° Non propter utilitatem quam mutuatarius ex mutuo percipit : cum enim periculum rei in se suscipiat, illius fit dominus et tenetur tantum ad reddendam rem similem. Advertimus supra fructus non nisi ex ejus industria procedere, proinde suos esse. Et revera, nemo etiam usurarius unquam dixit lucrum majori vel minori mutuatarii utilitati mensurari debere, et cum ea crescere vel minui. Ergo, etc.

Et vero, si in contractibus plus dare liceat quam accipitur, nunquam licet plus exigere quam datur; at si mutuans aliquid supra sortem postulet, plus exigit quam dat; dat enim centum, v. g., ut centum et quinque obtineat. Ergo.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1°. Christus, Matth. xxv, 27, servo pigritanti dicit : *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura* : ergo Christus usuram non reprobavit, illam e contra commendavit.

*R. Nego conseq.* Christus enim hoc instituit argumentum ad hominem; servus piger ausus fuerat domino di-

cere : *Scio quia homo durus es, metis ubi non seminasit.* Statim respondit dominus, ut habetur Luc. XIX, 22 : *De ore tuo te judico, serve nequam; sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui... quare non dedesti pecuniam meam ad mensam?* Porro tantisper attendenti patet Christum hoc argumento usuram non approbare, sed tantummodo pigrum servum ex malis principiis ejus condemnare ; si enim servus ille persuasum haberet dominum esse durum, et suum cum usura exigere, utique pecuniam abscondere non debuerat, sed illam potius ad mensam dare ut obtineret unde solveret : ergo male se excusabat. Nihil aliud ostendere voluit Christus.

Insuper parabolæ ultra genuinum sensum urgeri non debent : sensus autem hujus parabolæ est, quod in bonis spiritualibus semper crescere debeamus, ut dignos gratiæ fructus Deo rependere valeamus.

*Obj.* 2° Qui mutuum præstat, cedit quod non debet; atqui cessio ista est pretio æstimabilis : ergo aliquid pro illa stipulari licet.

*R.* 1° Hæ et omnes aliæ objectiones ex jure naturali petitæ, unica et brevi solvi possunt responsione : Quod Deus prohibuit ut iniquum, revera tale est, quidquid ratio dicat; verum, ex probatis, Deus omne lucrum ex mutuo vi mutui prohibuit ut iniquum : ergo.

*R.* 2° *Nego min.;* nam illa cessio in se accepta est duntaxat officium charitatis, vel actus benevolentiæ : ergo pretio æstimari nequit.

*Obj.* 3° Aliquid stipulari licet pro locatione domus, pro pecunia ad ostensionem commodata. Ita usuræ defensores apud S. Thom., q. 78, art. 1, ad 6 : ergo et pro mutuo.

*R. Nego conseq. et paritatem*; plures enim sunt disparitatis rationes, nempe 1° in locatione, usus rei a proprietate distinguitur et solus transfertur : proprietas vero seu substantia rei locatæ semper ad locatorem pertinet; in mutuo autem res ipsa ad mutuatarium necessario transmittitur. Unde locatarius re aliena utitur, et mutuatarius re sua. 2° Cum in locatione dominium non transferatur,

si res modo sensibili vel insensibili deterior fiat, si vitio aut casu fortuito pereat, domino perit vel decrescit : in mutuo autem hæc omnia mutuatarii detrimento eveniunt; quidquid enim accidat, integram sortem reddere tenetur. Ergo. Ita *Domat*, lib. 1, tit. 6. 3° Lex divina prohibuit lucrum ex mutuo perceptum, non vero locationis pretium. Ergo quamvis pro re locata pretium exigere liceat, non sequitur, etc.

*Inst.* Pecunia usu non consumitur, saltem in manu divitum qui ex ea res æquivalentes et majores divitias sibi procurant; ergo, etc.

*R. Nego ant.* Pecunia enim 1° etiam divitibus pro re æquivalente data, ipsis moraliter perit; ad eos quippe nullatenus jam pertinet. 2° Similiter perit, si dives nullum percipiat lucrum ex pecunia mutuata, si illam casu vel aliter perdat; nam æqualem summam cum *interesse* stipulatis reddere tenetur. 3° Pecunia ex se sterilis est; fructus proveniunt ex industria mutuatarii, ad ipsum solum pertinent, supponunt pecuniam ipsi traditam suo modo adhibitam et consumptam fuisse.

*Obj.* 4° Pecunia præsens pretiosor est pecunia numeranda et absente : ergo qui dat mutuum semper damnum patitur et aliquid pro eo exigere potest.

*R. Dist. ant.* Pecunia præsens pretiosior est pecunia numeranda et absente, respectu illius qui negotiari vel aliquam solutionem facere intendit; *conc.;* respectu illius qui eam in arca sua relinqueret otiosam, *nego ant.*

Unde Innocentius XI decreto 2 martii 1679, sequentem damnavit propositionem, n. 41 : « Cum numerata pecunia » pretiosor sit numeranda, et nullus sit qui non pluris » faciat pecuniam præsentem quam futuram, creditor » potest aliquid supra sortem exigere a mutuatario, et eo » titulo ab usura excusari. » Ergo.

*Obj.* 5° Multi sunt, ut viduæ, domestici, etc., qui fructus ex pecunia sua aliter quam per mutuum percipere non possunt : atqui tamen illorum valde interest ut pecunia apud ipsos otiosa non maneat : ergo.

*R. Nego conseq.* Nam simili argumento turpissimæ ar-

tes probarentur licitæ, siquidem multi semper dicere possent se alio modo fructus ex pecunia sua obtinere non posse, se aliter vivere non posse : *Hoc et mihi latro diceret*, inquit *S. Aug.* in Ps. CXXVIII, n. 6. Ergo necessitas mutuantis non potest legitimus esse titulus quo aliquid ex mutuo exigatur.

*Obj.* 6° Divites et negotiatores libenter in mutuo aliquid solvunt : ergo nulla ipsis fit injuria, ac proinde contractus ille est licitus.

*R.* 1° Etiamsi nulla divitibus et negotiatoribus fieret injuria proprie dicta, non sequeretur talem contractum esse licitum, siquidem Deus, ut vidimus, illum stricte prohibuit.

*R.* 2° *Dist. ant.* Divites libenter in mutuo aliquid supra sortem solvunt, tanquam debitum, *conc.;* ut gratuito donatum, *nego.* Etenim, ut mutuum facilius obtineant, libenter aliquid supra sortem solvunt, sed nullus arbitratur se gratuitum concedere donum : intendit solvere debitum. Porro, in ea hypothesi, mutuans nullum habet titulum ad percipiendum ac retinendum illud auctarium. Ergo fit injuria etiam divitibus et negotiatoribus. Essentia usuræ in eo consistit ut aliquid ratione mutui, absque titulo extrinseco, percipiatur tanquam debitum, quæcumque sit mutuatarii conditio, industria, lucrum, etc.

Quod vere ex vera liberalitate datur, tuta conscientia retineri potest, ut dicemus infra ubi de *donatione gratuita;* sed tunc nullum intervenire debet pactum, sive explicitum, sive implicitum.

Quo sensu quidam auctores hunc consensum omnium et hanc mutuam condonationem intelligant ipsisque vim tribuant, infra dicemus, ubi de *titulo legis civilis;* sed etiam, juxta illos, talis est hic consensus ut efficiat titulum vere extrinsecum.

*Inst.* Sæpe mutuatarius ingens lucrum ex pecunia mutuo accepta consequitur : atqui nulla est injustitia si mutuans partem hujus lucri, mediante sua pecunia, percepti, exigat. Ergo.

*R. Nego min.* Mutuans enim partem hujusmodi lucri

exigere non potest, si nullum jus ad illud habeat; atqui mutuans nullum jus ad prædictum lucrum habet; nam 1° Benedictus XIV, in sua Constitutione *Vix pervenit*, expresse hoc declarat, ut vidimus, p. 425; 2° res mutuo data vi mutui in dominium mutuatarii transmittitur, ut supra diximus: ergo mutuatario et non mutuanti fructificare debet; 3° valor alicujus rei nunquam ex parte accipientis pensari debet, sed ex parte illam tradentis, v. g., nunquam licet rem pluris vendere propter lucrum quod emptor ex illa vel occasione illius, mediante sua industria, percepturus est, ut omnes fatentur. Ergo *a pari* non licet lucrum ex mutuo exigere propter utilitatem quam mutuatarius inde percepit; sufficit vero, ut æqualitas servetur, quod mutuum tempore dicto reddatur et cuncta compensentur damna.

Ruit itaque systema D. *de la Forêt*, qui contendit lucrum adveniens sufficientem esse titulum ad aliquid supra sortem in mutuo exigendum. Principium enim istud opponitur non solum rationibus hic expositis, sed omnibus fere auctoritatibus quibus dogma Ecclesiæ circa usuram vindicavimus. Ergo.

*Obj.* 7° Si omnis usura prohibeatur, commercium necessario languescet, et societas magnum inde patietur detrimentum. Ergo. Sic *Turgot*, *Condillac*, et communiter temporis nostri homines.

*R.* 1° Qui divortium legitimum et societati utile probare intendunt, sua etiam deducunt argumenta ex gravibus incommodis et scandalis, quæ necessario sequentur, si illud in omnibus casibus stricte prohibeatur : attamen, non obstantibus incommodis et scandalis, divortium in universis casibus prohibitum docemus, quia Deus sic jubet. Ergo *a pari*, quidquid opponatur, tenendum est usuram esse malam et injustam, cum Deus eam ut talem prohibeat. Præcipuum enim bonum societatis in eo consistit, ut mandata Dei fideliter serventur : unde Benedictus XIV, in Ep. encycl., n. 4 : « Absit e Christianorum » animis ut per usuras aut similes alienas injurias florere » posse lucrosa commercia existiment, cum contra, ex

» ipso oraculo divino, discamus quod *justitia elevat gen-*
» *tem, miseros autem facit populos peccatum.* »

*R.* 2° *Nego ant.* — a) Nam omni usura prohibita, qui pecunias habent, eas ad censum consignativum (*à rente constituée*) dabunt, societates commercii inibunt, aliquod per seipsos exercebunt negotium, vel alias quærent vias legitimum faciendi lucrum, sicque major erit æmulatio, nedum commercium languescat. — b) Sæpe justa percipere poterunt *interesse* ex pecuniis mutuo datis, ob titulos extrinsecos frequenter existentes, ut infra ostendemus. — c) Bonum societatis non pensandum est ex solis materialibus commodis, sed multo magis ex omnium cupiditatum refrenatione et virtutum universalitate ac firmitate. Porro nimia negotiorum temporalium extensio habenas cupiditatibus laxat, et, eo ipso, plerasque virtutes labefactat. — d) Ad bonum societatis magni refert ut ipsius membra non maneant otiosa et inertia : at magna facilitas lucrum ex pecuniis mutuo datis obtinendi in causa est cur multi, quolibet labore postposito, solam exercent artem feneratitiam. Modo habeant pignus sufficiens, cautionem tutam vel hypothecam certam, tranquille sedent ad focum, manducant, bibunt, deambulant, ludunt, dormiunt, otiosissimam ducunt vitam, et *segnities* eorum, ut ait Plinius, est *quæstuosa :* nec aeris intemperiem, nec agrorum sterilitatem, nec flammarum incendium, nec hostium incursus, nec onerum publicorum augmentum, nec commercii cessationem vel imminutionem, nec quidquam aliud timent : calamitates eos attingere nequeunt.

Unde *Bacon* aiebat quod, si usura penitus exstirpari nequeat, saltem illius dentes limandi sint ut minus mordeat.

Et auctor notissimi libri cui titulus : *L'Ami des Hommes* (*Mirabeau*), ait. t. II, c. 8 : « J'ai enfin reconnu qu'indé-
» pendamment de l'autorité de la religion, les opinions de
» l'école s'accordaient à cet égard avec la droite raison et
» la saine morale, et qu'il en est du précepte qui défend
» l'intérêt du prêt à jour, comme de tous les autres, dont
» l'observation, loin d'être nuisible à l'industrie, au com-

» merce et à tout ce qui peut concourir au bonheur de » l'homme ici-bas, serait le plus sûr moyen de les faire » fleurir. »

Conventus nationalis, anno 1789, omnem sustulit usuræ prohibitionem; hæc dispositio fuit renovata in Codice civili, art. 1805. Libera enim pro mutuo permittebatur usuræ stipulatio; sed tanta inde mox prodierunt mala, ut ex diversis regni urbibus conclamatum sit, et plurima commercii tribunalia unanimi ore postulaverint ut lex illa saltem reformaretur, et determinaretur pretium ultra quod nihil ex mutuo stipulari liceret. Citantur inter alia tribunalia, Cenomanense, Honfloriense, Catalaunense, Rhemense, etc. Vide opus gallicum : *Considération sur le prêt à intérêt, par un jurisconsulte. Paris,* 1806, *note E*, *p.* 20. Ut his reclamationibus satisfieret, nova prodiit lex, die 3 sept. 1807 (*Bulletin des lois,* n° 2740), qua prohibetur stipulatio lucri ex mutuo ultra quinque pro centum in materia civili et sex in materia commercii, sicque dentes usuræ limantur, ne tam mordeat : multo sapientior est igitur lex divina quæ cruentam illam bestiam penitus enecat.

III. Ex doctrina Ecclesiæ circa usuram quædam eruuntur conclusiones. — 1° Ad fidem accedit usuram, qualem eam definivimus, sive a paupere, sive a divite percipiatur, justitiæ commutative esse oppositam et jure divino prohibitam. Ulterius progreditur *Bossuet*, ut supra notavimus, dicens, t. XXX, p. 676 : « La doctrine qui dit » que l'usure, selon la notion qui en a été donnée, est » défendue dans la loi nouvelle à tous les hommes, en» vers tous les hommes, est de foi. La raison est qu'elle » est fondée sur l'esprit de la loi nouvelle reconnue par » tous les chrétiens, et sur les passages formels de l'Ecri» ture entendue en ce sens unanimement par tous les » Pères et par toute la tradition, ce qui est la vraie règle » de la foi reconnue dans le concile de Trente. »

2° Illicitum et injustum est lucrum vi rationis mutuo intrinsecæ perceptum, sicut lucrum quod vi ipsius mutui perciperetur; alioquin lex divina usuram prohibens, es-

set prorsus illusoria, siquidem semper adesset titulus mutuo annexus et aliquid supra sortem exigere permittens. Hinc nihil exigi potest pro labore ordinario in pecunia numeranda, pro periculo sortis communi, pro absentia pecuniæ, etc.

« Il faut, avant toutes choses, dit *Bossuet*, t. XXX, *éd. Lebel*, p. 691, bien entendre ce que Dieu defend, et » comment sa sainte loi a été entendue par les saints » Pères. Car c'est la règle de la foi. Cela étant bien en- » tendu, il faut dire que tout ce qui, dans le fond, fera » tout l'effet de la chose que Dieu défend, sera également » défendu, de quelque nom qu'on le nomme; parce que » le dessein de Dieu n'est pas de défendre ou des mots ou » des tours d'esprit et de vaines subtilités, mais le fond » des choses... Toutes les fois (p. 697) que nous trouve- « rons qu'en permettant un certain profit de l'argent, la » loi de Dieu sera éludée et ne subsistera plus qu'en pa- » roles, nous devons tenir ce profit comme enfermé dans » la défense divine. »

3° Cum usura in se mala sit, mutuum petere non licet ab eo qui prævidetur non daturus sine lucro usurario, nisi causa gravis excuset : id sequitur ex principiis circa cooperationem admissis. *A fortiori* non licet aliquem ad mutuum sub usura præstandum inducere, quia illicitum est alterum inducere in peccatum vel in peccatum ejus consentire.

Contra vero, si mutuans sufficientem habeat titulum ad aliquid supra sortem exigendum, mutuum ab illo, etiam absque causa, petere licet : non peccat enim sic mutuando; ergo nec qui petit, accipit ac suadet.

Quando sufficiens adest causa, licet mutuum ab eo petere qui prævidetur illud non daturus absque usura sine titulo percepta : hoc sequitur etiam ex dictis ubi de cooperatione in Tractatu *de Conscientia*.

Nunc quæritur qualis hæc causa esse debeat ut sit legitima.

*R.* Necessitas prædium vendendi, periculum commercium notabiliter minuendi, a decentia status decidendi,

est, juxta omnes, ratio sufficiens cur mutuum ab usurario petere liceat; mutuatarius enim notabile damnum pati non tenetur ad peccatum mutuantis præcavendum. Mortaliter vero peccaret qui mutuum ad ebrietates, comessationes aut ludos peteret.

Plures theologi dicunt illum qui petit mutuum ad opes augendas vel ad lucrum faciendum, non peccare, quia, inquiunt, gravis et honesta existit ratio ponendi causam in se bonam, unde alius ex sua sola mala dispositione peccat. Ita ferme Sylvius, cum pluribus, q. 78, art. 4, et *Billuart*. Alii probabilius docent tunc esse peccatum, quia repugnat aliquem posse, tuta conscientia, materiam vel occasionem peccati proximo præbere, ea ratione ut lucrum faciat. Sic P. *Antoine*, Coll. Andeg., *Collet*, æstimantes hoc peccatum esse mortale. In ea tamen opinione sæpe fieri potest causam non esse sufficientem ut a peccato omnino excuset, sed a mortali excusare; id judicandum est ex circumstantiis.

SECTIO SECUNDA. — *De obligatione restituendi ratione usuræ.*

In tribus classibus facile comprehenduntur hi omnes qui ratione usuræ ad restitutionem teneri possunt : in prima ponitur ipse usurarius; in secunda ipsius hæredes et ab eo causam habentes; in tertia ad usuram cooperantes. De his in triplici puncto dicemus.

*Punctum primum.* — An usurarius restituere teneatur.

Duplex distinguitur usurarius, mentalis et realis. Usurarius *mentalis*, ille est qui aliquid ex mutuo tanquam debitum desiderat, sperat, intendit, sine ullo pacto externo quod usuram contineat; ille vero dicitur usurarius *realis*, qui aliquid ex mutuo vi mutui revera accipit.

I. DE USURARIO MENTALI. — 1° Certum est usurarium mentalem, qui nihil accepit, ad restitutionem non teneri; nec enim rem alienam possidet, nec damni injusti fuit causa efficax.

2° Non minus certum est illum ad restitutionem non

teneri, quamvis aliquid supra sortem cum affectu usurario acceperit, qui sufficientem tunc reipsa habuit titulum; in hac enim hypothesi damnum mutuatario non intulit, ut patet. Hæc decisio est contra *Collet* et plures alios. Item, si mente usuraria aliquid tanquam ex mutuo debitum acciperet, et mutuatarius proprio motu hoc illi donaret, graviter quidem coram Deo peccaret, sed ad restitutionem non teneretur. Si vero dubitet quo motivo auctarium istud a mutuatario sibi tribuatur, illud accipere non potest; nam in dubio possessionem alicujus rei percipere non licet. Vera igitur donatoris intentio quærenda est.

II. De usurario reali. — Usurarius realis omnes quas percepit usuras restituere tenetur. Omnes quas percecepit usuras restituere tenetur, si illarum dominium non acquirat : atqui usurarius non acquirit dominium usurarum quas percepit; si enim illarum dominium acquireret, vel ratione mutui, vel ratione donationis liberæ, siquidem supponitur nullum existere titulum extrinsecum : atqui neutrum dici potest : non ratione mutui, cum mutuum in se pretio æstimari nequat; non ratione donationis liberæ, nam mutuatarius auctarium istud non præcise dat sicut amicus amico, ex plena liberalitate, sed illud solvit ut aliquid promissum et debitum. Ergo.

In hujusmodi restitutione facienda, eædem sequendæ sunt regulæ quas in Tractatu *de Restitutione* instituimus pro possessore bonæ fidei, malæ fidei, dubiæ fidei, et pro injusto damnificatore, juxta circumstantias.

*Hinc* 1° qui lucrum ex mutuo in bona fide percepit, id unum restituere tenetur ex quo factus est ditior. Itaque, si illud donaverit, vel consumpserit et rebus suis inde non pepercerit, ad nihil tenebitur. Qui, v. g., ex usuris in bona fide perceptis ita vixit ut lucrum sufficiens ad vivendum aliunde certo percepisset, si talem contractum esse prohibitum scivisset, ad nihil obligatur. Nam usuras non habet, eas accipiendo et consumendo non peccavit, ex illis non evasit ditior, cum idem quod habet capitale pariter haberet si usuras non percepisset. Ergo. Sic Coll.

Paris., t. III, qui testatur triginta Sorbonæ doctores hanc approbasse decisionem.

*Hinc* 2° qui lucrum ex mutuo in bona fide percepit, et postea dubitat an sit legitimum illudque retinere valeat, ad restitutionem pro ratione dubii probabiliter tenetur, juxta id quod diximus in Tractatu *de Restitutione*, p. 86. Item si cum fide dubia usuras possidere incœperit, et dubium excutere nequeat. Vide Tractatum *de Restitutione*, p. 80. Unde qui dubitat an talis contractus sit usurarius nec ne, illum inire non potest, et initum, quamprimum rescindere debet.

*Hinc* 3° qui usuras in mala fide percepit, non solum id restituere tenetur ex quo factus est ditior, sed id omne quod accepit, sive nunc habeat, sive non, exceptis fructibus industrialibus. Tenetur insuper omnia reparare damna quæ mutuatarius passus est propter usuras quas injuste solvit. Si rem frugiferam in usuram accepisset, universos fructus naturales redderet.

*Punctum secundum.* — De hæredibus usurarii et aliis ab ipso causam habentibus.

Præter naturales usurarii hæredes, alii ab ipso causam habentes sunt legatarii, donatarii et ii quibus vendidit aut in solutionem tradidit rem vel pecuniam in usuram acceptam. De his paucis verbis dicendum est. Quod autem de usuris dicturi sumus, de quibuslibet aliis injustitiis reparandis pari ratione intelligi debet.

I. De obligatione hæredum. — 1° Naturales usurarii hæredes omnes usuras secundum vires hæreditatis restituere debent; non plus habent enim juris in bona hæreditatis quam defunctus cui succedunt, siquidem collective sumpti illum repræsentant : atqui defunctus omnes usuras restituere variis modis tenebatur, prout bonæ, malæ vel dubiæ erat fidei. Eodem modo igitur eas restituere debent hæredes quo ipse restituere debuisset. *Ita omnes.*

Diximus *secundum vires hæreditatis;* hæredes enim in-

tantum restituere debent pro defuncto inquantum illum repræsentant: atqui illum non repræsentant, nisi secundum vires hæreditatis, id est, secundum illius valorem. Non tenentur ergo restituere ultra quod acceperunt, et sic de aliis debitis.

2° Gravis hic movetur quæstio inter theologos, an scilicet hæredes teneantur in solidum restituere pro defuncto. Affirmat Sylvius cum pluribus aliis, q. 78, art. 6, concl. 1, et contendit unum hæredem totum defectu aliorum restituere debere, si pars hæreditatis quam accepit ad totum sufficiat, et etiamsi non sufficiat, illam integram reddere teneri; nam, inquiunt, omnia bona defuncti huic obligationi erant obnoxia: ergo nullus hæres ea aut eorum partem retinere potest, quin prius istiusmodi obligationi satisfactum fuerit.

Alii vero theologi communissime docent hæredes alios pro aliis in solidum non teneri, et hæc sententia non tantum probabilior, sed certa nobis videtur; nam obligatio restituendi aut debita solvendi afficit immediate personam debitoris, et mediate tantum ipsius bona. Unde hæredes non contrahunt obligationem restituendi, nisi quatenus personam defuncti repræsentant: personam autem defuncti non repræsentant, nisi ratione qua in hæreditatem veniunt, pro dimidia, tertia aut quarta parte, etc., prout duo, tres vel quatuor sunt hæredes in eodem gradu. Ergo.

Et vero, eo instanti quo inter se dividunt hæreditatem, omnes æqualiter ad restitutionem tenentur: si unus autem aut plures obligationi suæ desint, non videtur quo fundamento istud cohæredi fideli imputaretur. Ergo injustum esset illum pro aliis ad restitutionem astringere. Ita Lessius, l. II, c. 20, n. 174; S. Ligorius, n. 790; *Habert*, Coll. Paris., *Collet*, *Billuart*, etc. Idem pro foro externo statuitur in Codice civili, art. 870 et 1220.

Si vero de re aliena substantialiter existente ageretur, hæres qui illam pro parte obtineret, eam integram reddere deberet, quia res clamat domino; haberet tantum jus æquam a suis cohæredibus petendi compensationem.

Pariter, si creditores hypothecam haberent in bona debitoris, ipsius hæredes in solidum debita solvere tenerentur, id est, unus pro cæteris in foro externo cogi posset. *Cod. civ. art.* 873. Sed in foro interno et ante sententiam judicis unus pro aliis in solidum non sic teneretur; si enim non existeret hypotheca, non tenerentur in solidum, ut vidimus : at hypotheca naturam obligationis principalis non mutat : in securitatem duntaxat traditur, ut creditor semper habeat unde solutionem obtinere queat : si ergo ad medium istud non recurrat, hoc sibi imputare debet, et rationabiliter conqueri non potest quod unus pro suis cohæredibus totum, etiam ante sententiam judicis, non solvat. Multi tamen theologi, ut Coll. Paris., *Collet*, *Billuart*, etc., contrarium sentiunt, sed firmas non videntur afferre rationes.

3° Cæterum usurarii hæredes restituere non tenentur, nisi sciant defunctum usuras absque legitimo titulo percepisse, nemo enim præsumitur reus, et aliunde, si hæredes, pro variis supervenientibus dubiis, ita ad restitutionem obligarentur, infiniti propemodum inter timoratos nascerentur scrupuli et anxietates. Nisi ergo positivis rationibus constet usuras absque titulo perceptas fuisse, hæredes ad eas restituendas non sunt damnandi. Ita Coll. Paris., t. III, *troisième remarque*.

II. De obligatione legatarii. — 1° Legatarius universalis cunctas usuras ut tales cognitas restituere debet : id patet. Legatarii titulo universali pro parte sua eodem modo ac hæredes restituere debent, v. g., qui tertiam partem hæreditatis per testamentum accepit, tertiam partem usurarum, sicuti aliorum debitorum, refundere debet; non enim jus habet ad hæreditatem dividendam, nisi deducto ære alieno. Ergo.

2° Qui titulo particulari sunt legatarii, ad nihil tenentur, si bona relicta adhuc sufficiant usuris restituendis, aliis debitis solvendis, et portionibus hæredibus necessariis reservatis, nempe ascendentibus et descendentibus : hæredes enim non necessarii nullum in hæreditatem jus habent, nisi omnibus deductis oneribus et legatis. Ergo.

III. De obligatione donatarii. — Donatarii inter vivos ad nihil etiam tenentur, si tempore donationis usurarius adhuc sufficienter habuerit unde restituere potuisset si voluisset; nam tunc valide et absque ulla erga suos creditores injuria donabat : atqui donatio semel valida est irrevocabilis, nisi forte portio hæredibus necessariis a lege reservata tempore mortis non reperiatur integra. Præterea, si usuræ non restituantur, id donatariis in eo casu imputari non potest. Si, e contra, donator par restitutioni faciendæ jam non esset, donatarius accipere non potuit, propter rationem oppositam : ergo ad restitutionem tenetur inquantum plus accepit quam accipere poterat. Si donatarius habeat rem ipsam usurariam a donatore acceptam, eam reddere tenetur, quia res clamat domino.

IV. De obligatione aliorum causam habentium. — Qui titulo oneroso cum usurario contraxit, aliquando ad restitutionem tenetur, nempe si rem in usuram acceptam ab illo emerit, quia res clamat domino ; aliquando vero onus restituendi non incurrit, videlicet si pecuniam ex usura provenientem in solutionem alicujus boni ejusdem valoris accipiat. Ad restitutionem enim tunc non tenetur, si prædictam accipiendo pecuniam nullam mutuatario inferat injuriam : atqui nullam mutuatario infert injuriam ; nam ubi de rebus usu consumptibilibus et præsertim de pecunia agitur, homines non solent ad species physicas attendere, sed ad earum valorem numericum : atqui usurarius in casu nostro eumdem apud se conservat valorem, ut supponitur, proindeque eadem facilitate restituere potest. Ergo qui prædictam accipit pecuniam, nullam, etc. Unde talis contractus cum usurario initus, est validus. Ita S. Thomas, 2 2, q. 78, art. 3; *a fortiori* validi sunt contractus quos facit usurarius propria bona vendendo.

Secus dicendum foret si usurarius, per contractus etiam titulo oneroso initos, impotens vel insufficiens ad restituendum fieret; illi enim contractus essent contra jus alterius cui restitutio facienda est. Hinc caupones, mer-

catores, artifices, qui aliquid vendunt aut faciunt ad ebrietates, comessationes, luxum et pompas usurarii, restituere tenentur, si certo sciant illum jam sufficienter non habere unde restituere possit : si vero ipsius insufficientiam non certo cognoscant, aut si ea duntaxat illi suppeditent quæ ad strictam sustentationem ejus sunt necessaria, contra justitiam non peccant erga creditores, ut patet. Vide Sylvium, loco citato, et Coll. Paris, t. III. Ex iisdem principiis, judicandum est utrum ille qui filiam usurarii in matrimonium duxit, dotem accipere valeat ; utrum qui filios ejus in suo habet collegio, pensiones pro illis percipere possit, nec ne, etc.

V. De obligatione uxoris. — 1° Si usurarum particeps fuerit, quia illas consuluit, vel alio modo in mariti determinationem positive influxit, eodem modo ac maritus et in solidum cum illo restituere et damna reparare tenetur : hoc evidenter patet.

2° Si agendi rationem mariti formaliter improbaverit, et usurarum minime particeps fuerit, ex propriis nec restituere, nec damna reparare tenetur.

3° Si marito supervivat, et dimidiam partem communitatis accipiat, dimidiam partem usurarum restituere debet, quia illius dominium acquirere non potuit. Alteram vero partem, quam hæredes mariti suscepturi sunt, ex justitia restituere non tenetur ; ex justitia enim teneri non potest illam restituere, nisi ratione culpæ aut ratione rei alienæ. Atqui neutrum dici potest : non ratione culpæ, cum criminis mariti particeps non fuerit ; non ratione rei alienæ, siquidem hanc partem usurarum non obtinet. Ergo. Hæc decisio est contra Coll. Paris., t. III. Si tamen prævideret hæredes mariti has usuras non restituturos, eas ex charitate restituere debet, si commode possit, præsertim quando de propriis liberis agitur ; eos namque a tentatione bonum alienum injuste detinendi liberaret.

4° Juxta plures viros graves, pios ac doctos, si uxor rationabiliter timeat ne ante maritum decedat, instituere debet testamentum quo medietatem usurarum mutuata-

riis restituat; hæc enim medietas, ipsius nomine transiret ad hæredes ejus, qui forte illam non restituerent : ergo impedire debet ne eam obtineant. Ita *Pontas*, v° *Usure*, *cas* 35. Si tamen non nisi difficillime testamentum facere possit, v. g., quia scribere nescit, et valde timet maritum vel liberos, damnanda nobis non videretur, quia testamentum non institueret, dummodo hæredes ad faciendam hanc restitutionem fortiter hortaretur. Si enim hæredes non restituant, non videtur creditores rationabiliter damnum inde sibi proveniens imputare posse mulieri, quæ sufficientes habuit rationes ut efficaciori medio illud non impediret. Ergo.

*Punctum tertium.* — De cooperantibus ad usuram.

Usurarius ante omnes cooperantes restituere tenetur.

At si restituere non possit aut nolit, quicumque ad usuras positive cooperati sunt, illius defectu restituere debent, secundum principia in Tractatu *de Restitutione* statuta pro cooperantibus ad damnum. Itaque,

I. De diversis cooperantibus ad usuram. — 1° Qui mutuantem ad usuras petendas inclinaverunt, sive mandato, sive consilio, sive id esse licitum asserendo, pro ipso ad restitutionem tenentur in solidum. Item qui pecuniam dat usurario ad usuras exercendas, onus restituendi incurrit; nam illarum fuit particeps. Secus, si pecuniam apud usurarium deponeret tantum ut custodiretur, de usura non cogitando, aut saltem illam non intendendo; tunc enim illius non est causa positiva. Nec pariter injustitiæ reus esset, quamvis pecunia ab ipso ad usuram exercendam peteretur, si illam absque gravissimo incommodo recusare non posset; sufficientem enim tunc haberet rationem ponendi actionem in se bonam, cujus prævideret abusum. *Ita pro his casibus communiter theologi.*

2° Advocati qui patrocinium usurariis præbent, judices qui mutuatarios ad solvendas usuras cogunt, contra justitiam peccant et ad restitutionem tenentur, si usuræ taxam legis excedant; revera quippe sunt causæ damni

positivæ, efficaces et injustæ. At si usuræ taxam legis non excedant, prædicti advocati et judices non sunt damnandi; quotiescumque enim lex non evidenter est injusta, magistratus non solum possunt, sed tenentur illius exsecutionem premere : atqui, licet communius doceatur legem civilem sufficientem non creare titulum pro foro interno, dici tamen non potest eam evidenter injustam esse; plures enim auctores, et quidem graviores, contendunt eam valere in conscientia, ut infra dicturi sumus.

Ita olim jam sentiebant plures theologi, Lessius, n. 179; card. *de Lugo*, n. 218; S. Ligorius, n. 787.

3° Propter eamdem rationem, notarii facere possunt actus mutui secundum legis tenorem; non tenentur enim inquirere a mutuante an sufficientem habeat rationem ad 5 aut 6 pro 100 exigendum. Si vero notarius perficeret actum continentem usuram taxam legis excedentem, graviter peccaret contra legem et contra juramentum quo promisit se cunctas leges fideliter servaturum. Sed peccaretne contra justitiam? Distinguendum est : si in voluntatem usurarii influeret illumque ad talem ineundum contractum determinaret, contra justitiam peccaret, atque defectu ejus damnum reparare teneretur. Si autem in voluntatem usurarii minime influat, et hujusmodi actum ad preces mutuatarii faciat, contra justitiam non peccat; scienti enim et volenti non fit injuria. In illo casu mutuatarius petit actum, mutuum enim vult obtinere etiam cum usura : at illud habere non posset si notarius actum non exararet. Est quidem rationabiliter invitus in eo quod mutuans talem petat usuram; sed in hypothesi quod hanc usuram solvere consentiat ut mutuum obtineat, non est invitus in eo quod notarius hujusmodi actum scribat. Ergo. Ita Lessius, n. 180; card. *de Lugo*, disp. 41. n. 20; Sylvius, q. 78, art. 3. *Quæritur*, 6, concl. 4; *Habert*, P. *Antoine*, *Billuart*, etc.

4° Communiter docent theologi principales usurariorum ministros, qui pecunia indigentes quærunt eosque ad usurarios ducunt et famulos qui nomine heri usura-

rios ineunt contractus, vel mutuatarios usuram solvere cogunt, ad restitutionem teneri, quia injustitiæ fiunt causæ efficaces et in ipsomet crimine domini participant.

Qui autem mutuatarii partes agere videntur, v. g., qui mutuantes quærunt ad subveniendum indigenti, vel qui non nisi remote et mediate ad usuras cooperantur, sicut qui pecunias mutuatario tradendas numerant, eas portant, schedulas faciunt, solutionem usurarum simpliciter accipiunt, et inscriptionem in libro rationum faciunt, qui pignora conservant ne deteriora fiant, etc., nullo modo contra justitiam peccant. *Ita communiter theologi.*

5° Qui domum suam locat usurario ut tali cognito, sicque medium illi suppeditat quo feneratitiam artem exerceat, ad usuras injuste cooperatur, et onus restituendi incurrit; nam, inquit Sylvius, loco citato, concl. 5, *idem est ac præbere instrumenta actionis injustæ*. Ita etiam Coll. Paris., t. III, contra card. *de Lugo*, disp. 25, n. 222; sed requiritur ut usuræ sint manifestæ.

II. De illis quibus usuræ sunt restituendæ. — 1° Nullum est dubium quin usuræ eis restitui debeant qui inviti eas solverunt, nec obligationi suæ satisfaceret usurarius, sive malæ, sive bonæ sit fidei, si in pias causas illas impenderet. *Ita omnes.*

2° At si ageretur de illo qui ad opes augendas mutuum petiit, ex illo magnum reportavit lucrum et libenter usuras solvit, S. Th. 2 2, q. 62, art. 5, ad 2, Coll. Andeg., *Sainte-Beuve*, t. II, *cas* 185, etc., affirmant hujusmodi usuras pauperibus esse dividendas, quia mutuatarius propter suum peccatum eas amittere meretur. Cæteri vero, ut Sylvius, *Quæritur* 4, concl. 3, Coll. Paris., *Collet* et alii communius et multo probabilius contendunt non sufficere etiam in hoc casu usuras pauperibus erogare vel in pias causas impendere, nisi de consensu mutuatarii; mutuans enim revera non acquisiit dominium in hujusmodi usuras : porro non licet eleemosynam de bonis alienis facere nec pœnam alicui privata auctoritate imponere : ergo.

3° Si autem constaret mutuatarium, qui usuras sol-

vit, eamdem pecuniam aliis sub majoribus usuris mutuasse, ipsi restitutio non esset facienda, nisi prævideretur restituturus; etenim damnum iis solummodo fuit illatum qui ultimo pecuniam sub usuris habuerunt; ipsis ergo et non aliis facienda est restitutio. Sic Coll. Paris., t. V.

Quotiescumque illi, quibus facienda esset restitutio, inveniri non possunt, usuræ in pias causas impendendæ sunt.

*Quæritur* utrum qui usuras promisit, eas in conscientia solvere teneatur.

*R.* Eas absque dubio solvere teneretur, si certo non constaret mutuantem sufficientes non habuisse rationes easdem exigendi, ob lucrum cessans, damnum emergens, etc.; nam, eas non solvendo, aut clam se compensando, periculo se exponeret injustum damnum mutuanti inferendi; contra vero, si constaret usuras absque titulo fuisse extortas, non peccaret contra justitiam eas non solvendo, vel secreto pro illis se compensando; contra justitiam enim peccaret usurarius eas accipiendo et retinendo : ergo contra justitiam non peccaret mutuatarius eas non solvendo. Ita *Pontas*, v° *Promesse, cas* 6, citans Alexandrum III.

§ II. — De titulis excusantibus ab usura seu de titulis propter quos aliquid ex mutuo supra sortem exigere licitum esse potest.

Ex fusedictis, mutuum est contractus essentialiter gratuitus, et nihil unquam ratione mutui percipere licet. Quoties, e contra, reperitur in mutuo titulus extrinsecus et pretio æstimabilis, toties aliquid valori ejus proportionatum non solum percipere, sed et exigere licitum est. Titulus autem extrinsecus, id est naturæ mutui alienus, ille est sine quo mutuum fieri posse concipitur; et pretio æstimabilis est si in aliis negotiis vel contractibus sufficit ut lucrum ultra contractus obligationem exigi possit; mutuans enim pejoris non fit conditionis mutuando. Nobis igitur sedulo investigandum est quandonam in mu-

tuo sufficiens existat titulus, et quid ratione illius exigi queat.

Plures numerari solent tituli quorum alii sunt veri, alii dubii et alii falsi, scilicet: 1° damnum emergens; 2° lucrum cessans; 3° periculum sortis; 4° donatio gratuita et liberalis; 5° obligatio sortem ante determinatum tempus non repetendi; 6° dilatio solutionis; 7° conventio pœnalis; 8° auctoritas legis. Hos omnes quantum poterimus breviter et lucide expendere debemus.

### Sectio prima. — *De damno emergente.*

I. Quid et an sit legitimus hic titulus. — In eo consistit damnum emergens quod mutuans propter mutuum aliquam in rebus suis patiatur jacturam, v. g., si triticum, quo indiget et quod viliori pretio emisset teneatur postea carius emere.

Certum est apud omnes tale damnum legitimum esse titulum ut æqualis compensatio petatur; qui enim centum mutuando, damnum decem patitur, revera centum et decem concedere censetur, siquidem centum et decem haberet, si mutuum non præstaret: nisi ergo centum et decem ipsi reddantur, æqualitas non servabitur. Præterea, beneficium alteri indebitum cum nostro dispendio tribuere non tenemur. Ergo.

II. De conditionibus requisitis ad hujus tituli legitimitatem. — Plurimæ requiruntur conditiones ut aliquid ex mutuo ratione damni emergentis percipi possit, nempe 1° ut mutuum revera sit causa damni, alioquin mutuatarius illud compensare non teneretur. Unde si mutuans alias habeat aut facile habere possit pecunias ad damnum impediendum sufficientes, nihil a mutuatario exigere potest. 2° Ut servetur æqualitas et solummodo justa damni compensatio exigatur. Hoc vero duplici modo fieri potest: primo, statuendo quod damnum, si reipsa contingat, totum compensetur; secundo, aliquid determinando certum, juxta prudentiam et æquitatem, pro damno futuro et incerto, et tunc sive damnum de facto accidat, sive

non, pretium stipulatum erit solvendum, quia revera periculum exstitit. 3° Requiritur ut mutuatarius præmonitus fuerit et ad compensationem damni se obligaverit; qui enim rem aliquam secundum valorem emit, non tenetur compensare damnum quod dominus ex illius venditione patitur : porro qui mutuum absque ulla conventione accipit, est in casu simili : si ergo mutuans aliquod patiatur damnum, hoc mutuatario imputare non potest, nisi forte mutuum per vim aut dolum extorserit, vel in culpabili mora illud reddendi existat.

Si autem mutuans, de damno vere existente nihil dicens, usuram æquivalentem stipulatus fuisset, contra justitiam non peccasset; verum enim tunc haberet titulum, et mutuatarium per usuræ petitionem sufficienter moneret. Ita Lessius, card. *de Lugo*, et plures alii. Item si mutuans, ignorans se damnum experturum, stipulatus esset usuram, videtur quod eam retinere posset, si de facto damnum pateretur. Revera enim haberet in eo casu titulum quem ignorantia non tolleret; valorem hujus damni mutuatarius solvere debuisset, si monitus fuisset : at quodammodo per petitionem usuræ fuit monitus : ergo nullam patitur injuriam.

### Sectio secunda. — *De lucro testante.*

I. De legitimitate hujus tituli. — Lucrum cessans habet locum quando aliquis, præcise quia mutuum præstat, non percipit emolumentum quod alioquin certo aut verisimiliter percepisset, v. g., empturus erat prædium cujus collegisset fructus, aut merces quas deinde carius vendidisset.

Evidenter hic agitur tantum de lucro cessante legitimo, et non de lucro injusto vel intrinsece illicito. Non datur lucrum cessans prætio æstimabile, nisi adsit potestas et voluntas illud obtinendi.

Nunc communissime docent theologi, contra *Soto* et quosdam alios S. Th. male interpretantes, lucrum cessans legitimum esse titulum ut aliquid supra sortem in

mutuo percipiatur. Etenim pro damno emergente aliquid percipere licet : atqui lucrum cessans verum est damnum emergens; qui enim spe certa aut verisimili et fundata bonum aliquod proxime habendi privatur, eo ipso patitur damnum : ergo sufficientem habet titulum ad compensationem.

II. De conditionibus ad hunc titulum requisitis. — Requiritur 1° ut lucrum revera cesset, alioquin titulus non existeret. Unde qui propter mutuum negotiationem reliquit, sed aliam exercuit artem ex qua æquale et tam facile obtinuit lucrum, nihil exigere potest. 2° Ut lucrum præcise propter mutuum cesset, siquidem sola lucri cessatio est titulus de quo hic agitur. Itaque si mutuans alias habeat pecunias otiosas, præter eas quas ad casus fortuitos rationabiliter pro statu suo potest et vult apud se conservare, compensationem lucri cessantis exigere nequit; nam hæc lucri cessatio non ex mutuo, sed ex ipsius voluntate provenit. 3° Requiritur ut mutuatarius moneatur et in compensationem lucri cessantis consentiat, sicut in sectione præcedenti diximus. 4° Ut non plus exigatur quam valet lucrum cessans, deducto pretio impensarum quæ fieri debuissent, laboris scilicet, molestiæ et incertitudinis. Attamen, si labor vel molestiæ tales essent ut mutuans aliquo pretio ab illis se liberare nollet, nihil a lucro compensando pro illis deducendum est. *Ita communiter theologi*. 5° Ut illa compensatio statim non exigatur, sed tantum tempore quo lucrum revera cessabit, vel si antea exigatur, pro anticipatione minuatur, juxta viri prudentis æstimationem. Duplici modo compensationis stipulatio fieri potest, quemadmodum diximus de damno.

III. De usura quam percipere licet ex hoc titulo. — Ex hoc titulo exigere licet usuram lucro cessanti æqualem, omnibus circumstantiis æque perpensis.

Sic qui prædium rusticum emit, 5 pro 100, deductis expensis et tributis, generaliter non percipit. Attamen, si ab emendo prædio abstineat propter mutuum quod præstat, nobis videtur illum 5 pro 100 exigere posse.

Equidem 5 pro 100 ex prædio non perciperet, sed proprietatem immobilem et permanentem haberet : at oblectamentum inde proveniens valde considerant et pretio æstimant homines : ergo si 5 tantum pro 100 in compensationem lucri cessantis et hujusmodi oblectamenti percipiat, non increpandus est. Ita judicant omnes et tenent in praxi, sive de prædiis agatur, sive de domibus.

Qui vero pecuniam suam erat certe in negotiationem impensurus, vel a negotiatione eam retrahit præcise ob mutuum petenti tribuendum, 6 pro 100 communiter exigere potest ; tale est enim ordinarie lucrum quod ex negotiatione, deductis expensis, laboribus et periculis, percipitur, sicque lex positiva illud æstimat ac determinat.

Diximus *communiter ;* nam si, omnibus attentis et sedulo perpensis, lucrum cessans vere pluris æstimaretur, plus quam 6 pro 100 stipulari et accipere jure naturali ac divino liceret ; siquidem mutuans jus habet ut tantum sibi reddatur quantum propter mutuum amittit. Verum legislatores taxatum *interesse* determinantes, communem instituere voluerunt regulam a qua judices recedere non possunt, nec privati recedere debent, nisi forte agatur de lucro extraordinario cessante. Idem dicendum est de reparatione damni emergentis.

IV. De destinatione lucrativa et hujus tituli legitimitate. — 1° Destinatio lucrativa ea est dispositio mentis quo aliquis, licet nullum actu faciat lucrum nec aliquem modum negotiationis adhuc elegerit, non tamen pecuniam suam intendit relinquere otiosam, sed opportuniorem viam lucrandi quærit, et aliquam se inventurum esse moraliter certus est.

2° Omnes communiter admittunt aliquid proportionatum lucro quod speratur exigi posse, et ordinarie 5 vel 6 pro 100, prout de lucro cessante, saltem quando mutuum a mutuante postulatur ; in hoc enim casu compensationem lucri mutuans exigere potest, si reipsa lucrum ipsi cesset : at reipsa lucrum mutuanti cessat ; licet enim modum lucrandi nondum elegerit, eo ipso quod firmam

lucrandi voluntatem habeat, et modum legitimum invenire possit, jus habet ad lucrum : si ergo jus istud in gratiam alterius cedat aut relinquat, illius compensationem exigere potest. Imo, etiamsi firmum lucrandi propositum efformaret eo solum instanti quo mutuum ab ipso petitur, nihilominus compensationem exigere posset, quia tale propositum est legitimum, et semel efformatum, supposita lucrandi occasione, pretio est æstimabile : ergo mutuans illud gratis deserere non tenetur, ut alteri beneficium præstet.

At si mutuans ipse mutuatarios quærat et illis pecuniam suam offerat, disputant theologi an compensatio exigi possit pro lucro quod mutuans legitime sperabat. Non pauci tamen, inter quos Lessius, c. 20, n. 90 et 101, card. de Lugo, d, 25, n. 107, S. Ligorius, l. III, n. 769, et plures apud eos, affirmant et probabilius, juxta nos : compensationem enim lucri cessantis in illo casu exigere licet si existat titulus a mutuo distinctus : atqui revera existit titulus a mutuo distinctus, nempe voluntas lucrandi cum occasione aut probabilitate occasionis opportunæ. Ergo.

Et vero, mutuans aliquid exigere posset, si mutuum ab ipso postularetur ; quia jus quod in eo casu habet lucrandi gratis concedere non tenetur : at jus istud non amittit, mutuum offerendo. Res illustrari potest comparatione : qui merces suas offert, non ideo tenetur eas dare gratuito; imo eas offerre potest ementi a quos magis se obtenturum sperat : ergo *a pari*, qui in casu a nobis exposito constituitur, mutuum eligere potest ut modum expeditiorem ad pecunias fructuose collocandas.

Videat tamen mutuans ne mutuum eligat tanquam modum faciliorem et lucrosiorem pecuniam fructuose collocandi : qui enim sic agit, in periculo se constituit, cum viam certam relinquat ut saltem dubiam eligat. Sicque ostendit se ab affectu usurario forte alienum non esse.

SECTIO TERTIA. — *De periculo sortis.*

I. QUID ET QUOTUPLEX PERICULUM SORTIS. — Periculum sortis existit quando timetur ne ipsa sors pereat, seu recuperari non possit. — Duplex distinguitur. Scilicet periculum *juris*, quando mutuans sic suscipit in se periculum, ut sors sibi et non mutuatario pereat; et periculum *facti*, quando mutuans timendum habet ne mutuatarius, licet obligatus ad sortem restituendam, non illam restituat. — Ipsum periculum facti duplex est: unum generale et omni mutuo essentiale, v. g., periculum ne incendio, devastatione, etc., cuncta mutuatarii bona pereant, atque sortem postea reddere nequeat: alterum vero mutuo extrinsecum et a causis particularibus pendens, ut, v. g., si mutuum præstetur homini nullius conscientiæ, prodigo, lites amanti, per mare procellosum naviganti, etc.

II. QUID IN CASU PERICULI *juris?* — Quoad periculum *juris*, certum est mutuantem aliquid exigere posse, si periculum ita in se suscipiat, ut sors sibi et non mutuatario pereat; nam periculum istud est pretio æstimabile et a mutuo distinctum. Imo hujusmodi contractus non est proprie mutuum, sed potius quædam assecurationis vel societatis species, siquidem mutuatarius dominium pecuniæ non acquirit.

Contra hanc decisionem quam omnes admittunt objicitur communiter caput *Naviganti*, de Usuris, Decretal. l. v, tit. 19, cap. 19, ubi Gregorius IX sic ait: « Navi» ganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ » quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, re» cepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censen» dus: » ergo mutuans pro periculo in se suscepto nihil exigere potest.

Huic objectioni multiplex datur responsio; nam 1° multi graves theologi asserunt mendum ibi irrepisse et legendum esse: *usurarius non est censendus*, quod indicare videntur verba textum citatum sequentia: *ille quo-*

*que non debet usurarius judicari*, etc. 2° Alii multi dicunt hunc textum pro foro externo tantum esse intelligendum, adeo ut qui pro tali periculo auctarium paciscitur, tanquam usurarius in foro externo sit habendus, quia ex intentione usuraria sic agere præsumitur, ideo dicitur: *usurarius est censendus*. 3° Supponi potest, cum innumeris theologis, quod ibi agatur de eo qui mutuatarium cogit ad hujusmodi pactum, nec vult aliter mutuare; quod est usurarium. In tribus autem responsionibus istis nihil ex objecto textu contra assertionem nostram sequitur.

III. QUID IN CASU PERICULI *facti?* — Quoad periculum *facti*, certum est ut omnes fatentur nihil pro communi periculo exigi posse, alioquin vana esset lex divina quæ prohibet ne quid supra sortem exigatur.

Tota igitur quæstio est utrum periculum extraordinarium amittendæ sortis sit titulus legitimus quo aliquid supra sortem exigere liceat. Sententiam negantem multi alim tenuerunt, inter quos D. *Soto*, l. VI, q. 4, *Collet*, in Cont. Tourn. t. I, part. 2, et alii. Sententia tamen affirmans verior videtur et nunc communius tenetur. His probatur argumentis:

1° *Ex decisione sacræ Congr. de Propaganda fide*, data die 12 septembris 1645, ad quæsita missionariorum Sinensium. Inter septem quæsita hoc erat numero tertium:

« In præfato regno lege stabilitum est ut in mutuo tri» ginta pro centum accipiantur, absque respectu lucri » cessantis aut damni emergentis. Quæritur utrum Si» nensibus sit licitum pro pecuniarium suarum mutuo, » licet non interveniat lucrum cessans aut damnum emer» gens, prædictam 30 pro 100 regni lege taxatam quan» titatem accipere. Hæc causa dubitationis est, quia in » recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet » quod qui accipit fugiat, quod tardet in solvendo, vel » quod necessarium sit coram judice repetere, vel propter » alia hujusmodi. »

Responsio S. Cong. ad quæsitum istud hæc est:

« Censuit S. Congregatio cardinalium S. R. E. ratione » mutui immediate et præcise nihil esse accipiendum » ultra sortem principalem ; si vero aliquid accipiunt ra- » tione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, » non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio quali- » tatis periculi et probabilitatis ejusdem, ac servata pro- » portione inter periculum et id quod accipitur. »

Innocentius X, tunc in cathedra B. Petri sedens, omnibus missionariis in imperio Sinensi degentibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ jussit ut præsens S. Congr. decretum observarent, illo uterentur et curarent ut ab aliis observaretur ac practicaretur, donec Sua Sanctitas, vel Sedes Apostolica aliud statueret, porro Sedes Apostolica nunquam aliud statuit. Idem dicitur in instructione missa, jussu Benedict. XIV, ad P. Felicem, missionarium in Africa. Hoc pariter sensu S. Pœnitentiaria nobis anno 1815 respondit. Ergo.

2° *Ratione*. Aliquid supra sortem exigere licet, non solum propter damnum emergens, sed etiam, ut vidimus, propter probabile damni emergentis periculum, ita ut si nullum de facto damnum eveniat, pretium tamen stipulatum accipere liceat : atqui verum existit damni emergentis periculum, quando probabiliter timetur ne sors pereat ; nam si revera sors periret, damnum contingeret : ergo periculum sortis est periculum damni emergentis. Ergo.

Quinimo, in præsenti casu, non solum est periculum damni emergentis, sed reipsa damnum emergit : summa enim pecuniæ mutuo data homini qui probabiliter eam non reddet, non tanti valet quanti valeret si mutuo non daretur, vel si ei crederetur qui certo eam redditurus esset : ergo mutuans verum subit damnum, cujus compensationem exigere potest.

*Dices :* In miserrimis temporibus nostris, semper existit grave periculum sortis amittendæ aut laboris suscipiendi vel sollicitudinis exercendæ ad illam recuperandam ; quotidie ditiores foro cedunt ; qui probi ac religiosi judicabantur, irreligiosi, malæ fidei ac nullius conscien-

tiæ esse deprehenduntur : ergo si periculum extraordinarium ut sufficiens titulus admittatur, aliquid supra sortem semper exigere licebit.

Plurimi equidem his rationibus innixi contenderunt in omnibus mutuis, nisi ex charitate fieri debeant, *interesse* a lege taxatum exigi posse, id est, 5 pro 100 in materiis civilibus, et 6 pro 100 in commercio.

*R. Nego ant.* Nam 1° licet improbitas sit nunc frequentissima, quidam tamen adhuc reperiuntur homines omni fiducia digni ; 2° quando sors sufficienter per hypothecam, cautionem aut pignus assecuratur, periculum extraordinarium non existit : atqui sæpe, imo ordinarie mutuantes non omittunt curare ut sors ita assecuretur : ergo tunc nihil exigere possunt ratione periculi.

IV. De conditionibus ad hunc titulum requisitis. — Advertendum est nonnullas, juxta omnes theologos, essentialiter requiri conditiones, ut periculum extraordinarium legitimus sit titulus, videlicet : 1° ut non sit apparens tantum et fictum, sed verum, et probabilibus conjecturis fundatum. 2° Ut animus non sit ex mutuo lucrandi, sed solum se indemnem servandi, alioquin existeret usura mentalis. 3° Requiritur ut mutuatarius ad pasciscendum pro isto periculo non cogatur, sed facultatem habeat sortem alia via assecurandi, per fidejussorem, pignus vel hypothecam; si enim mutuans suam indemnitatem duntaxat sincere quærat, parum curabit qua via sors sibi assecuratur, modo a periculo liberetur. 4° Ut non plus exigatur quam reipsa debetur, juxta viri prudentis judicium, habita ratione qualitatis periculi : unde manifestum est 5 aut 6 pro 100 ab omnibus indiscriminatim sub prætextu illius periculi exigi non posse. Attamen, non improbabilis est sententia plurimorum auctorum qui, aliunde titulum legis non admittentes, legem habent ut regulam determinantem *interesse* solvenda, quando adsunt tituli legitimi, et quidem vim habentem et in praxi sequendam, quia per eam dirimuntur innumeræ difficultates et multæ præcaventur usuræ. Hæc sufficiunt ut princeps hujusmodi regulam ferre potuerit.

Excipiendus esset, saltem, ut jam supra diximus, casus damni extraordinarii, etc. 5° Requirunt theologi ut periculum istud a principali fine mutui, scilicet a paupertate sit diversum; nam sicuti mendicantibus per eleemosynam succurrere debemus, ita Deus voluit ut quibusdam indigentibus per mutuum subveniatur : atqui per mutuum crudeliter illis subveniremus, si quid ratione paupertatis supra capitale exigeremus. Quo pauperiores enim essent, eo magis illos gravaremus, siquidem majus tunc esset periculum sortis amittendæ. Ergo saltem contra charitatem graviter peccaremus.

SECTIO QUARTA. — *De donatione gratuita.*

*Nihil tam nostrum est*, ut fert axioma, *quam quod libenter nobis fuit donatum*. Unde unanimi ore docent theologi mutuantem ea retinere posse quæ liberali donatione a mutuatario accepit, etiam casu quo sciret tale donum ob mutuum duntaxat sibi fuisse præstitum; quotidie enim inter homines vel strictioris conscientiæ dantur et accipiuntur munera ob beneficia præstita : atqui mutuum gratis datum est beneficium majus vel minus, secundum circumstantias : ergo ob illud licet munus offerre et acceptare.

Cum autem hæc donatio ex plena liberalitate procedere debeat, nonnunquam circa illius motivum exsurgit dubium, quod ex variis circumstantiis solvi debet. Itaque,

1° Si mutuatarius sit consanguineus, affinis vel amicus mutuantis, et quid moderatum illi tribuat, si indole sit ad donandum proclivis, et talia soleat gratitudinis præstare munera, donatio haberi potest ut gratuita.

2° Si, e contra, grave solvat auctarium, præsertim annuum et antequam mutuum reddiderit, si sit pauper vel indigens, atque mutuum ad suæ necessitati subveniendum postulaverit, donatio præsumi non potest gratuita; multo probabilius est eam fieri vel ne statim mutui restitutio exigatur, vel ut facilius aliud mutuum deinceps obtineri possit.

3° Donatio reputari non debet mere gratuita quando per formale pactum mutuans stipulatus est auctarium, nec quando sufficienter ostendit se aliquid ex mutuo tanquam debitum, vel secundum morem receptum, exspectare; quidquid enim virtute pacti expliciti vel impliciti solvitur, eo ipso a sola liberalitate non procedit.

*Quæritur* 1° an aliquid a mutuatario gratis donandum sperare liceat.

*R.* 1° Si mutuans simpliciter speret se aliquid tanquam beneficium ex liberalitate mutuatarii accepturum, nullomodo peccat; nam illud absque peccato desiderari potest quod absque peccato accipi potest : atqui hujusmodi donum absque peccato accipi potest : ergo et desiderari. — Si tamen ita mutuans donum intendat, ut alioquin nam mutuaret, ab usura mentali, ac proinde a peccato excusari non potest; ita judicat S. Ligorius, n. 762.

*R.* 2° Si mutuans manifestet mutuatario aliquid se sperare ab eo, sed tanquam purum donum, stricte poterit accipere, quia non proprie exigitur, et ideo liber remanet mutuatarius ad donandum : unde posset mutuans mutuatario dicere : tale obsequium a te exspecto : spero fore ut in simili circumstantia mutuum vice tua mihi præstares, etc. Ita *Billuart*, S. Ligorius, n. 762, et plures alii.

*R.* 3° Si mutuans omnino declaret se aliquid exigere, licet non ex justitia, sed ex liberalitate debitum, non potest legitime accipere, — a) quia obligatio cum mera liberalitate implicare videtur; — b) quia Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, n. 42 : « Usura non » est dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex be» nevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exiga» tur tanquam ex justitia debitum. » Ergo.

*Quæritur* 2° utrum mutuans a restitutione eximatur, si mutuatarius, sive rogatus, sive non rogatus, declaret se nihil velle, se nihil exigere, se plenam condonationem facere.

*R.* Si indicio aliquo moraliter judicare possit mutuans condonationem non esse plene liberam a restitutione non

eximitur : ratio patet. Judicare autem debet condonationem non esse plene liberam, si usuræ sint excessivæ, si mutuatarius sit pauper, si mutuum nondum sit redditum et illud mutuans repetat, etc. Non verisimile est enim mutuatarium in his casibus ex pura liberalitate prædictas usuras solvere.

Si vero mutuatarius non sit pauper, nec usuræ sint excessivæ, v. g., non ultra taxam legis, condonatio ut mere gratuita haberi potest, quando mutuum jam est redditum, vel ubi mutuans illud non repetit, etiam ex hypothesi quod nihil ipsi solvatur. Usurarius enim non deterioris est conditionis quam fur : atqui fur a restitutione rei furatæ eximitur, quando talem obtinet condonationem, etiamsi illam a domino petat. Ergo *a pari* usurarius a restitutione liberatur, quando mutuatarius libenter declarat se plenam condonationem facere, præsertim si condonatio per tertiam personam, v. g., per confessarium petatur.

Hanc viam sæpe consuluimus, maxime cum de usuris in bona fide perceptis ageretur.

### Sectio quinta. — *De obligatione mutuum ante tempus determinatum non repetendi.*

I. Quandonam usuram percipere non liceat in hoc casu. — Ex definitione mutui superius exposita, constat illud ante certum tempus repeti non posse; alioquin vanum esset et nugatorium. Certum est autem apud omnes nihil pro illa obligatione exigi posse : cum enim hæc obligatio mutuo sit intrinseca, semper aliquid supra sortem exigi posset; sicque lex divina illusoria foret.

At si mutuans se obliget ad mutuum non repetendum ante longum tempus, v. g., triennium, ut ait S. Ligorius, potestne pro illa obligatione quam sibi imponit aliquid stipulari? Plures theologi affirmant, ut videre est apud card. *de Lugo*, et S. Ligorium.

Communiter alii negant et sententiam suam probant :

1° Ex condemnatione propositionis sequentis ab Alexan-

dro VII, decreto diei 18 martii 1665, n. 42 : « Licitum » est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget » ad non repetendum sortem usque ad certum tempus. » Verum cum ibi dicatur, *usque ad certum tempus*, non vero *usque ad longum tempus*, recte observat S. Ligorius firmam probationem ex damnatione illius propositionis erui non posse.

2° *Ratione*. Eodem modo se habent relative ad mutuum tempus et quantitas materiæ, in omni enim mutuo necesse est ut aliqua materia tradatur pro certo tempore retinenda : porro quantum ad materiam, non mutatur natura mutui, sive materia sit parva sive magna, ut dictum est; ergo *a pari*, nec si tempus sit longum vel breve.

Et vero, nihil ob longum tempus supra sortem exigi potest, si spatium istud non sit respectu mutuantis pretio æstimabile : atqui longum spatium temporis non est pretio æstimabile respectu mutuantis ; semper enim supponitur mutuantem pecuniam relicturum otiosam : in ista autem hypothesi, ipsius non refert quod pecunia apud se vel apud alterum existat, secluso periculo. Ergo.

*Dices :* Obligatio mutuum ante certum tempus non repetendi, ejusdem est naturæ ac obligatio in futurum mutuandi : at obligatio in futurum mutuandi est pretio æstimablis, ita ut qui illam in mutuo imponeret mutuatario, reus esset usuræ. Ergo. Hæc objectio est ratio fundamentalis qua sententiæ oppositæ patroni nituntur.

*R. Nego maj.* Nulla est enim paritas instituenda inter duas dictas obligationes. Posterior enim, scilicet obligatio in futurum mutuandi, est onus mutuo etiam in particulari spectato extrinsecum et ab illo distinctum; nam perfecte concipitur mutuum etiam in individuo spectatum, absque hujusmodi onere vel obligatione existere posse; contra vero obligatio mutuum ante certum tempus non repetendi, mutuo est intrinseca, sicut diximus, atque pretio æstimari non posset quin aliquid ex mutuo vi mutui percipiatur. Ergo.

II. Quandonam in casu auctarium percipere licet. — *Notandum est* tamen quod sæpe aliquid supra sortem percipere liceat ex mutuo ad longum tempus præstito; nam, ex antea dictis, aliquid stipulari licet ob periculum probabile lucri cessantis : at sæpe existit periculum lucri cessantis, quando mutuum ad longum tempus præbetur, v. g., ad decem annos; quia pauci sunt qui pecuniam suam per tot annos relicturi sint otiosam. Eam aliquo modo impenderent, vel ad emendum prædium, vel ad negotiationem, vel ad liberalitatis actus exercendos; facultas autem hæc faciendi est pretio æstimabilis. Ergo pro illa mutuans pacisci potest. Unde, v. g., ad pontem vel ad publicum ædificium construendum, publica per magistratus urbis aperitur subscriptio; cives qui pecunias habent invitantur ad mutuum præbendum, *interesse* ipsis promittuntur, et asseritur quod intra sexdecim annos sors restituenda sit, communiter cives sub his conditionibus mutuum præbere possunt. Interest urbis ut mutuum præbeant; illud autem gratuito præbere non tenentur, 1° quia aliquod subeunt periculum sortem aut illius partem amittendi aut tempore statuto eam non recuperandi; intra tam longum enim temporis spatium multæ contingere possunt circumstantiæ improvisæ; 2° quia fere nullus est qui per tantum intervallum nihil ex pecunia facere velit et possit. Ergo, etc.

### Sectio sexta. — *De solutionis dilatione.*

Omnes generaliter conveniunt solutionis dilationem per se pretio æstimabilem non esse, ac proinde nihil præcise ob illam exigi posse. At plures nihilominus circa hoc punctum nascuntur difficultates, et plurima sunt notanda.

1° Quando in ipsomet venditionis contractu partes determinant tempus solutionis et statuunt *interesse* solvenda, hæc conventio videtur legitima; quia *interesse* et summa capitalis unicum sunt objectum contractus et pretium venditionis : si pretium sit nimium, adest quidem inju-

stitia, sed non usura. Hinc inquietandi non sunt juvenes qui ad militiam pro aliis se locantes, stipulantur *interesse* summæ principalis sibi, durante militia, solvenda esse, summam vero sibi, post tempus militiæ expletum, vel suis hæredibus, si moriantur, tribuendam. Secus dicendum, si summam statim acceperint et eam alteri cum obligatione solvendi *interesse* tradiderint.

Sæpe tamen summa principalis et *interesse* unicum non efficiunt objectum quod dici possit venditionis pretium. De illa difficultate fere statim dicturi sumus.

2° Qui rem frugiferam, v. g., agrum, suam officinam, etc., vendit credito et eam tradit, stipulari potest ut valor fructuum sibi solvatur usque dum pretii solutionem obtinuerit. Nam ante rei traditionem jus habet ad fructus; non tenetur illos gratis concedere. Ergo pro illis pacisci potest, et ordinarie 5 pro 100 exigere, si agatur de agris vel de domibus, quamvis sæpius hæc bona non tot producant, quia aliquando etiam plus producunt, et, præterea, compensatio pro solutionis dilatione sic in hoc casu lege taxatur, sicque ab omnibus æstimatur. Ergo. *Ita communiter theologi contra nonnullos.*

Si autem dominus rei frugiferæ eam absque conventione pro fructibus vendiderit ac tradiderit, sperans fore ut statim pretium sibi solveretur, et tamen non solvatur, potestne compensationem fructuum exigere, etiamsi pretium utiliter impendere non intendat?

Ex jure positivo conceditur auctarium venditori. *Cod. civ. art.* 1652; ex jure autem naturali videtur pluribus venditorem nihil exigere posse quia res ad emptorem pertinet, et res fructificat domino. Sic Lessius, l. II, c. 21, n. 109, et *Billuart*, uterque plures alios citans.

Alii vero melius contendunt fructuum compensationem seu pretii *interesse* exigi posse; nam eo casu venditor rem tradere non tenetur nisi pretium sibi solvatur, etiam si pretio non indigeret. Ergo si emptor pretium solvere nolit, venditor potest vel rem suam retinere et fructus ejus percipere, vel, si eam tradat, compensationem fructuum exigere; jus enim ad hujusmodi fructus habet et

eos gratis concedere non tenetur. Ita ferme *Collet*, cap. de Venditione, art. 5; S. Ligorius, n. 798, et multi apud eum. Unde venditor retinere potest *interesse* quæ auctoritate judicum sibi ob dilationem solutionis assignantur, quando de re frugifera agitur.

3° Si res vendita non sit frugifera, v. g., si agatur de mercibus quas mercatores, secundum morem inter eos communiter receptum, credito carius vendunt, non concordant auctores.

Multi docent sic vendere licitum esse; nam pretio currenti et communi hominum æstimatione determinato vendere licet : at communi hominum æstimatione determinatum est merces carius vendi credito quam numerata pecunia, tum propter detrimentum quod mercatores ordinarie patiuntur, tum propter periculum quod plus minusve incurrunt : unusquisque ergo merces suas sub conditionibus communiter receptis vendere potest. Si nullum de facto patiatur detrimentum, nullumque periculum incurrat, hoc per accidens evenit, et valor rei ejus non ideo minuitur, cum a communi æstimatione pendeat, non vero a particularibus circumstantiis. Sic Lessius, l. II, c. 21, n. 56; card. *de Lugo*, disp. 26, n. 107; S. Ligorius, l. III, n. 811, et multi apud eos; sic etiam *Nicole*, in parvo hac de re tractatu, *Essais de morale*, t. VI.

Multi vero contrariam tenent sententiam, et dicunt prædictos mercatores carius vendere non posse credito quam numerata pecunia, licet mos iste sit receptus; nam, inquiunt, venditio facta credito in verum resolvitur mutuum, siquidem venditor majus non exigit pretium, quia merces majorem in se habent valorem, bene vero quia pretium non statim solvitur : ergo idem est ac si pretium istud ad tempus determinatum mutuaret.

Hæc opinio magis consentanea est veris circa usuram principiis : eam tuentur *Habert*, cap. 22, § 2, *Quær.* 11; *Collet*, de Venditione, sect. 3; *Billuart*, etc. Attamen mercatores sic agentes inquietandos non esse arbitramur, propter rationes superius expositas, et quia in dubio prudentia non sinit conscientias sic turbari.

Quod de venditione facta credito dicitur, pari ratione dicendum est de emptione quæ minori fit pretio ob anticipatam solutionem.

*Quæritur* 1° utrum creditor, tuta conscientia, retinere possit *interesse* sententia judicis sibi ob solutionis dilationem assignata, si nullum reipsa detrimentum patiatur.

*R.* 1° Si debitor non sit in mora culpabili, vel quia terminus nondum est elapsus, vel quia tempore statuto solvere non potuit, creditor *interesse* sibi assignata retinere non potest; nam hæc sententia falsa præsumptione facti innixa est.

*R.* 2° Si debitor sit in mora culpabili, creditor, juxta multos, retinere potest *interesse* sibi assignata, etsi nullum patiatur incommodum : nam judicis sententia justo innixa motivo legitimus est titulus : atqui sententia judicis, in suppositione nostra, justo innititur motivo, nempe culpa debitoris, ut illum puniat ac diligentiorem reddat, sicut aliquando juste præcipiuntur mulctæ in vindictam delicti : ergo. Ita *Cabassut*, l. VI, c. 7, n. 7; *Pontas*, cas 14; *Collet*, de Usura, c. 3, s. 3, *Quær.* 1°; *Billuart*. Hæc sententia probabilior nobis videtur.

*Quæritur* 2° quid sentiendum sit de contractu *Mohatra*.

Contractus quem Hispani vocant *Mohatra*, in eo consistit quod pecunia indigens merces carius emat credito, et statim eas eidem mercatori viliori pretio, sed numerata pecunia, vendat.

*R.* Contractus ille nihil aliud est quam mutuum vix palliatum, quando mercator, res suas credito vendendo, obligationem imponit emptori easdem sibi viliori pretio statim revendendi; nam idem est ac si talem mutuo præstaret summam cum obligatione auctarium super eam solvendi, ut evidenter patet. Unde Innocentius IX hanc damnavit propositionem, n. 40 :

« Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejus» dem personæ, et cum contractu retro-venditionis præ» vie inito cum intentione lucri. »

SECTIO SEPTIMA. — *De pœna conventionali.*

I. DE HUJUS TITULI LEGITIMITATE ET CONDITIONIBUS. — Pœna conventionalis est ea de qua partes conveniunt a mutuatario solvenda, si tempore præfixo mutuum sua culpa non reddat.

*Quæritur* an mutuans auctarium istud per modum pœnæ impositum retinere possit, quamvis nullum propter dilationem expertus sit detrimentum. Pauci negant; cæteri communiter affirmant, modo quædam adsint conditiones requisitæ.

*Prob.* Mutuans auctarium legitime impositum retinere potest: at auctarium de quo agitur legitime imponitur, ut pœna ad optimum finem assequendum constituta; namque per illud firmitati contractus consulitur; et quando mutuatarius propria culpa mutuum tempore dicto non reddit, justæ deest conventioni et gravis injuriæ erga mutuantem est reus : igitur merito punitur. Ergo.

Conditiones requisitæ, sunt : 1° ut mutuans sub illo prætextu ex mutuo lucrari non intendat, sed interno affectu sincere exoptet quod tempore statuto mutuum sibi reddatur ; 2° ut de facto culpa mutuatarii intercedat; nam si mutuum tempore præfixo reddere non potuerit, mutuans pœnam exigere non debet, nisi detrimentum patiatur, quia pœnæ innocentibus non juste decernuntur ; 3° ut pœna sit moderata ac mutuo proportionata, nec tota exigatur si mutuum ex parte fuerit redditum : si hæc pœna ad aliquod *interesse* reducatur, constat ex antea dictis ejus taxationem 5 aut 6 pro 100 excedere non posse, et huic regulariter standum esse.

Positis his conditionibus, non timendum est ne sub prætextu illius pœnæ conventionalis semper usura palliari possit, sicque ratio fundamentalis adversariæ opinionis penitus ruit.

Multo probabilius est mutuatarium pœnam conventionalem ante judicis sententiam solvere teneri; nam jure

naturali et ante judicis sententiam tenemur conventiones justas adimplere. Sed communiter dicunt theologi debitorem hanc pœnam solvere non teneri antequam mutuans eam expresse vel tacite petat, quia talis est mos inter homines receptus ubi de pœnis agitur.

II. De pacto legis commissoriæ. — Quæstio olim hic movebatur circa pactum *legis commissoriæ*, quo scilicet pignus in securitatem sortis tradebatur, seu *committebatur*, sub ea conditione ut esset creditoris, si debitor sua culpa determinato tempore non solveret.

Jure naturali eodem modo de illo pacto ratiocinandum nobis videtur ac de pœna conventionali : itaque, si valor pignoris non excedat quantitatem quæ in pœnam rationabiliter statui potuisset, et aliæ conditiones requisitæ inveniantur, creditor non erit inquietandus. *Ita plures theologi*, solum jus naturale attendentes.

Olim hujusmodi pactum legibus positivis stricte prohibebatur. Nunc etiam irritatur si fiat eo sensu quod mutuans possit pignus sibi vindicare absque recursu ad judicem. *Cod. civ. art.* 2078. Nihil amplius circa illud pactum statuit lex civilis.

Hæc nullitas lata est motivo boni communis, ad præcavendos abusus ex parte mutuantium et ad cohibendas usuras quæ sub eo pacto palliari potuissent : valet igitur in conscientia.

### Sectio octava. — *De auctoritate legis.*

Cum lex civilis nunc positive permittat ut 5 vel 6 pro 100 ex omni mutuo exigantur, nova inter nos exorta est quæstio, an scilicet hæc 5 vel 6 pro 100, vi legis, tuta conscientia percipere liceat.

I. Exponitur et probatur sententia affirmans. — Multi affirmant in Gallia, in Germania, in Hollandia, in Anglia et in aliis regionibus in quibus tales existunt leges. Sic *Holden*, *Pichler*, *Zech*, *Haunold*, *Taner*, *Lacroix*, *Gobat*, *Ledesma*, etc. In afferendis rationibus non omnes sibi concordant; sed colligendo varias probationes

quibus utuntur, sic eorum sententia exhiberi et propugnari potest :

Auctoritas legis civilis sufficiens est titulus ad lucrum ex mutuo percipiendum, si legislatores necessariam ad hoc habeant potestatem, veram habuerint voluntatem et sufficientia adsint motiva talem exercendi potestatem : atqui hæc constant.

1° *Necessariam legislatores habent potestatem :* vi enim alti sui dominii princeps disponere potest de bonis subditorum, quando id requirit bonum publicum, præsertim si libenter consentiant subditi et fiant generatim indemnes : atqui hæc tria constant. Primum et secundum magis infra exponentur. Tertium patet, siquidem mutuatarii libere mutuum accipiunt, ipsi mutuare possunt, et sæpissime majus lucrum ex mutuo percipiunt. Sic fere ratiocinati sumus ubi de præscriptione, et revera ex iisdem principiis solvenda est quæstio præsens, quæ in multis eodem modo ac prior institui potest.

2° *Vera in eis adest voluntas.* Verba legis sunt generalia nec ullam supponunt restrictionem. Ergo legislatores secundum totam potestatem suam agere voluerunt, statuendo ut 5 vel 6 pro 100 ex omni mutuo percipi possent. Sic ab initio semper intellexerunt jurisperiti ; sic apprehendunt generaliter fideles, persuasum habentes se non peccare, *interesse* legale petendo. Ex diversis Codicis articulis præcipiuntur *interesse* solvenda, etsi nulla adfuerit conventio, nec probetur ullum adfuisse damnum. Ergo dubitari nequit quod vera adfuerit voluntas, etc.

3° *Sufficientia existunt motiva.* Motiva enim legis sunt : — a) Generalis præsumptis tituli et hoc est primarium et fundamentale legis motivum ; res enim ita nunc sunt ut fere semper existant tituli extrinseci ad lucrum ex mutuo exigendum ; optimum est ergo ad securandas conscientias ut vi auctoritatis publicæ statuatur regula valorem titulorum determinans, et quandoque, si opus sit, dominium auctarii transferens ; — b) utilitas mutuatariorum : admisso enim titulo legis, permulti sunt pecuniam ad mutuum offerentes, et inde sequitur quod non tan-

tum mutuatarii pecuniam facilius inveniant, sed et cum inferiori auctario, ut patet; — c) utilitas mutuantium; nam multæ personæ quæ per se commercium exercere non possunt, ex hac incapacitate detrimentum non patientur, si titulus legis pro conscientia admittatur; — d) utilitas publica; mutua enim ad favendum commercium et bonum publicum procurandum valde nunc utilia et sæpe necessaria, melioribus conditionibus et multo facilius efficiuntur; — e) usuræ demum magis ac magis impediuntur, non tantum quia lege determinatur auctarii quantitas, sed et præcipue quia viri probi et ipsi adducuntur ad pecunias suas mutuo dandas, unde usurariorum detestabilis industria multum resecatur. Ergo.

Hoc clarius patebit si attendatur quod omnes moraliter cives libenter huic regulæ consentiant, sive mutuum dent, sive accipiant. Si ergo lex non habeat vim dominium auctarii transferendi, supposito quod nullus existat titulus sufficiens extrinsecus, saltem adest mutua condonatio cujus est expressio et determinatio ab omnibus admissa.

Hinc prædicti auctores concludunt nunc sicut olim non ratiocinandum esse, propter circumstantiarum mutationem; antiquas et novas leges a se quoad sensum et vim discrepare, nec tamen legem divinam usuras prohibentem offendere, sed tantum materiam ejus, in quibusdam limitibus statutis, subtrahi, sicut fit in præscriptione.

Denique juxta eosdem theologos, non est dubium quod SS. Patres nunc verbis et factis non insurgerent, sicut in prioribus sæculis, contra lucrum ex mutuo, juxta legis taxam perceptum, quia constitutio societatis est valde diversa.

II. Sententia negans probatur. — Alii vero multi negant auctoritatem legis creare titulum sufficientem. Ita S. Thomas 2 2, q. 78, ad 3$^{um}$; Lessius, l. v, cap. 20, n. 23; *de Lugo*, disp. 25, n. 13; *Bossuet*, *Gaïtte*, *Gerdil*, etc., qui sententiam suam sic adstruunt.

1° Concilia et SS. Patres, qui totis viribus et constan-

ter, ut vidimus, usuras reprobaverunt, non distinxerunt inter usuras prohibitas et usuras lege permissas; porro incredibile est quod omnes sic injuste prohibuerint lucrum in se licitum, jugum Christi aggravaverint et fideles sine causa contra se et contra doctrinam christianam concitaverint.

2° Non solum titulum legis non agnoverunt, sed pluries illum expresse rejecerunt, damnantes centesimas, decimas aliasque usuras lege permissas vel etiam præscriptas. Sic S. August., Epist. 153 : « Quid dicemus de » usuris quas etiam ipsæ leges et judices reddi jubent? Hæc » atque ejusmodi male utique possidentur. » S. Chrysost. : « Ne mihi leges externas objicias, publicanus eas servat » et tamen dat pœnas. »

Similiter auctoritatem legis rejecit Gregorius XIII, Guillelmo, Bavariæ duci, eum consulenti sic respondens : « Nulla lege aut consuetudine excusari possunt, cum ille » contractus sit jure divino et naturali prohibitus. » Videatur quid sentiat Bened. XIV, de Synodo diœces., l. IX, cap. 11, n. 1.

3° Falso dicunt adversarii principem habere potestatem instituendi titulum de quo hic agitur : Deus enim omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum strictissima lege prohibens, eo ipso potestatem legislatorum civilium sub hoc respectu limitavit. Potestas autem legislatoribus attributa contra legem divinam prævalere non potest : atqui prævaleret, si legitimum crearet titulum aliquid in omni mutuo supra sortem percipiendi, siquidem materiam legis divinæ auferret et finem ejus impediret.

4° Non minus falso asseritur legislatorem habuisse voluntatem auctarii dominium transferendi : hæc enim voluntas nullo fundamento adscribitur viris qui ex communi persuasione agentes, toti fuerunt in ipso auctario determinando, et neutiquam cogitaverunt de dominio ejus transferendo. Ergo.

Hinc Congreg. S. Officii, 11 mart. 1704, duo damnavit opera in quibus vis purgandi usuras legibus civilibus tribuebatur.

Eamdem tuentur sententiam præclari jurisperiti, inter quos *Domat* et *Pothier*. Ipse Grotius ait : « Lex impuni-» tatem dare potest, non vero jus. »

Circumstantiæ quidem nunc eædem non sunt ac olim : sed non ideo eliditur vis testimoniorum a nobis allatorum quæ argumentis adversariorum expresse opponuntur. Numquid supponi potest SS. Patres non nisi phantasmata agressos vel ambigue tantum circa hoc punctum locutos fuisse? Veteres feneratores leges civiles invocabant : quomodo refelli potuissent si tunc exstitisset persuasio auctoritatem civilem habere potestatem hujusmodi titulum instituendi?

Si ergo argumenta rationis expendantur, non videntur argumenta ex auctoritatibus deprompta elidere, et concludendum est legem civilem non nisi permittere lucrum ex mutuo perceptum et limites ejus determinare ad vitandum majus malum.

Tales sunt duæ auctorum sententiæ circa præsentem quæstionem. Posteriori ut probabiliori adhæsimus et adhæremus, præsertim ob majores quæ adducuntur auctoritates. Fatendum est tamen gravia esse momenta ad tuendam priorem allata. Non citius ergo inter utramque pronuntiandum est, nec inquietandi sunt qui priorem sequuntur in praxi, æstimantes bona fide illam veriorem esse. Eo sensu judicatum est Romæ, ut videbitur ex variis responsis in § sequenti referendis.

III. Quæstiones practicæ ex titulo legis nascentes. — *Quæritur* 1° quandonam liceat petere 6 pro 100, uti permittitur pro mutuis commercii.

*R.* Hæc mutua non satis clare definiuntur, nec semper *materia civilis a materia commercii* facile discernitur. Nos autem censemus eum qui pecuniam suam retrahit e commercio ut tribuat alteri petenti, vel duo negotiatores rem inter se habentes, 6 p. 100 exigere posse. Si privatus tribuat negotiatori pecuniam in ejus commercio impendendam, plures dicunt 6 pro 100 exigi posse propter pericula commercii, lucrum majus mutuatarii, et quia tale mutuum vulgo dicitur *prêt de commerce*. Hæc sententia

nobis probabilis videtur. Eam tamen non admitteremus, si dicta pecunia assecurata fuisset.

*Quæritur* 2° quid agere debeat tutor qui in fine tutelæ 5 pro 100 pupillis reddere cogitur.

*R.* Non magis licere *in genere* ex bonis minorum percipere auctarium absque titulo quam ex aliis pecuniis; usura enim prohibetur absque ulla restrictione in Scripturis et in traditione, nec ulla potest allegari ratio valida cur in gratiam minorum exceptio admitteretur; igitur nullum est dubium quin tutor viam legitimam lucrum ex pecuniis istis percipiendi totis viribus inquirere debeat, v. g., negotiando, vel potius census a gubernis solvendos et semper redimibiles emendo (*des rentes sur l'Etat au cours de la Bourse*). Ubi tutor firmam habet voluntatem aliquam ex his viis eligendi et prudenter judicat se eam invenire posse, sufficientem habet titulum exigendi lucrum ab eo qui pecuniam minorum postulat aut conservare desiderat.

At si nulla via legitima pecuniam minorum fructuose collocare queat, potestne eam mutuo dare et 5 pro 100 exigere?

Plures dicunt quod debeat concilium familiæ convocare, et angustias quibus premitur illi exponere. Sed non videtur cur concilium familiæ convocaretur et consuleretur: tutor enim absolute obligatur, nec facultatem habet concilium familiæ illum ab obligatione sua liberandi. — Dici potest, juxta alios, tutorem non habendum esse ut mutuantem principalem, sed tantum ut cooperatorem, seu ut executorem legis et mandatarium legalem minoris. Hoc autem posito, satis probabile videtur eum excusari posse a sua cooperatione, ratione damni cui alioquin ipse exponeretur. Sic *Carrière*, n. 573. — Forsan sapientius esset statim dicere difficultatem solvendam suppositam potius esse quam realem, quia nunquam desunt apud nos viæ legitimæ pecuniam minorum fructuose collocandi. Ideo enim talem obligationem legislator imposuit tutori, quia ipsa lex auctarium determinans in præsumptione generali tituli fundatur. Unde si hujus-

modi media ex pecuniis legitime auctarium percipiendi aliquando esse desinerent, nec stare posset lex tutorem obligans, sed mox vel nova lege vel usu contrario abrogaretur.

Quidquid sit de illa controversia, certum est in præsenti rerum statu tutorem qui pecuniam minorum dat mutuo juxta taxam legis minime inquietandum esse. Vel enim valet titulus legis, et nulla est difficultas; vel insufficiens est in se, ut multi volunt, sed tamen valet in praxi, ut magis patebit ex infra dicendis.

*Quæritur* 3° an officiarii publici qui cautionem in assecurationem præbere tenentur, *interesse* a gubernio soluta tuta conscientia percipere possint.

*R. affirmative.* 1° Quia sæpe has non habent summas, sed eas ex mutuo cum *interesse* obtinere debent; 2° si eas possiderent, non relinquerent saltem indefinite otiosas; 3° quia hæc *interesse* a gubernio soluta haberi possunt tanquam pars stipendii concessi. Ergo.

Quando gubernium, civitates aliæque publicæ administrationes postulant ut pecuniæ mutuo cum *interesse* sibi dentur, qui habent capitalia communiter sic ea tuta conscientia collocare possunt, quia ea non relinquerent otiosa et ad promovendum bonum publicum concurrunt.

### § III. — De regulis in praxi circa mutuum et usuram sequendis.

In universa theologia morali nulla fuit unquam quæstio majoris momenti et magis agitata : omnes quidem fatentur dari usuram lege divina et naturali prohibitam atque obligationem restituendi inducentem. Sed mirum est quam varie, in ultimis præsertim temporibus, opinati fuerint doctores et confessarii, et quot angustiis vexatæ fuerint conscientiæ fidelium, maxime in Gallia. Multi et pluribus vicibus scripserunt Romam, ad summum Pontificem, ad sacras Congregationes S. Officii et S. Pœnitentiariæ, ad cardinales, ad insigniores theologos, et frequenter aut nullum obtinebant responsum, aut ad epistolam encyclicam Benedict. XIV, *Vix pervenit*,

simpliciter remittebantur. Quædam tandem prodierunt responsiones, quæ non sunt quidem judicium definitivum, sed nihilominus faciliores tradunt agendi regulas. Eas quoad substantiam hic referendas esse duximus, deinde nonnullas addemus annotationes.

*Decisiones ad usuram spectantes.*

I. QUÆDAM CITANTUR DECISIONES. — 1° Quædam mulier Lugdunensis sua capitalia quibusdam tradiderat, ut ex illis fructus juxta taxam a lege civili præscriptam percipiperet : ipsius director absolutionem ei denegavit, donec fructus sic perceptos restitueret, et a percipiendis abstineret. Re ad Em. card. *Galetti* exposita, ipse a S. Congr. S. Officii quæsiit, 1° an dicta mulier ad restitutionem perceptorum fructuum esset obligata; 2° an duntaxat postquam ejus bona fides desierat; 3° quandonam cessatio bonæ fidei locum haberet; 4° an sufficeret de ea audivisse, etiamsi loquentis opinio non fuisset adoptata. S. Congr. decrevit, die 3 julii 1822 quod responsa ad casus propositos tempore opportuno oratrici darentur : interea eam, restitutione non peracta, a confessario sacramentaliter absolvi posse, *dummodo vere parata esset stare mandatis.*

2° Episcopus Rhedonensis eidem sanctæ Congr. exposuit anno 1830, eamdem non esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data; de sensu epistolæ *Vix pervenit* acriter disputari; ex utraque parte momenta afferri ad tuendam eam quam quisque amplexus erat sententiam tali lucro faventem aut contrariam. Inde nasci querelas, dissensiones, denegationem sacramentorum plerisque negotiatoribus isto ditescendi modo adhærentibus, et innumera damna animarum : inter confessarios, nonnullos pœnitentes de istius modi lucro consulentes ab eo deterrere, et si videant eos in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus perseverare, sub prætextu quod hæc opinio multos habeat patronos, nec a Sancta Sede fuerit condemnata, eosdem absolvere, modo promitterent se filiali

obedientia obtemperaturos judicio summi Pontificis, si intercederet, qualecumque esset; et si pœnitens non confiteretur de tali lucro et videretur in bona fide, eum nihilominus absolvere nulla interrogatione facta, quando timent ne admonitus restituere aut tali lucro cessare recusaret. Petiit itaque :

1° Utrum posset horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare ; 2° utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa hortari posset, ut istorum agendi rationem sequerentur donec Sancta Sedes expresse ea de quæstione judicaverit.

S. Congr. ex audientia summi Pontificis Pii VII, *audita relatione superiorum dubiorum, una cum voto eminentissimorum cardinalium inquisitorum generalium, respondit*, die 18 aug. 1830, *ad primum, non esse inquietandos, et ad secundum, provisum in primo.*

3° D. *Denavit*, presbyter societatis S. Sulpitii, in seminario Lugdunensi theologiæ professor, ad sacram Pœnitentiariam recursum habuit, eique exposuit, die 25 maii 1830, quod super cuncta dubia circa materiam proposita ipse pro omni responsione semper remittere soleret ad doctrinam S. P. Bened. XIV, addens hanc doctrinam revera sat claram et perspicuam esse pro iis qui bona fide eam perscrutari volunt ;

Sed quosdam esse presbyteros qui contendunt *licitum esse percipere auctarium* 5 *pro* 100 *solius vi legis, absque alio titulo vel damni emergentis, vel lucri cessantis, quia, inquiunt, lex principis est titulus legitimus cum transferat dominium auctarii sicut transfert dominium in præscriptione.*

Orator subjungebat sibi videri legem divinam et legem ecclesiasticam, quæ usuras prohibent, sic prorsus annihilari, seque, existimantem nullo pacto licitum esse recedere a doctrina Bened. XIV, absolutionem sacramentalem denegare *presbyteris qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis*, atque sacram Pœnitentiariam humiliter supplica-

bat ut sequentia dubia solveret : 1° *Utrum possit in conscientia denegare absolutionem præfatis presbyteris ;* 2° *utrum debeat.*

*Sacra Pœnitentiaria, diligenter ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit : Presbyteros de quibus agitur non esse inquietandos quoadusque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.*

*Datum Romæ, in Pœnitentiaria, die* 16 *sept.* 1830, etc.

Idem professor ad sacram Pœnitentiariam iterum scripsit die 24 septembris 1830, asserens se responso ejus humiliter acquiescere.

*Attamen,* aiebat, *salvo sacræ Pœnitentiariæ responso præfato, consultis auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium seminariorum Galliæ, ac præsertim eorum quæ a presbyteris congregationis S. Sulpitii diriguntur, sententia quæ rejicit titulum legis civilis tanquam insufficientem videtur longe probabilior, securior et sola in praxi tenenda, donec Sancta Sedes definierit.*

*Quapropter fidelibus qui a me consilium petunt utrum possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum, præter titulum legis civilis, respondeo eos non posse præfatum auctarium exigere, et denego absolutionem sacramentalem si exigant. Pariter denego absolutionem iis qui, perceptis hujusmodi usuris, id est vi solius tituli legis, nolunt restituere.*

*Quæritur* 1° *utrum durius et severius me habeam erga hujusmodi fideles ;* 2° *quæ agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec Sancta Sedes definitivam sententiam emiserit ?*

Responsum :

*Sacra Pœnitentiaria, perpensis dubiis quæ ab oratore proponuntur, respondet :*

*Ad primum, affirmative : quandoque, ex dato a sacra Pœnitentiaria responso, liquet fideles hujusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos,*

*Ad secundum, provisum in primo: unde orator priori sacræ Pœnitentiariæ responso sub die* 16 *septembris* 1830, *sese in praxi conformare studeat.*

*Datum Romæ, die* 11 *nov.* 1831.

4° Eodem sensu sacra Pœnitentiaria respondit die 15 augusti 1831 episcopo Veronensi.

5° Episcopus Vivariensis, responsione ad episcopum Rhedonensem sibi cognita, plures subjecit observationes S. Congreg. S. Officii quæ per decretum diei 31 aug. 1831, a S. P. Greg. XVI approbatum, respondit provisum esse in decretis feriæ IV, 17 augusti 1830, et danda esse decreta.

6° S. Officium pariter respondit, per decretum diei 31 augusti 1831, a S. P. Gregorio XVI die 7 septembris 1831 approbatum, ad quæsita capituli collegiatæ Locarnensis in Italia, non inquietandos esse, dummodo parati sint stare mandato Sanctæ Sedis, canonicos aliosve beneficiarios qui capitalia suas dotes constituentia tribuunt personis *solvabilibus*, hypothecas sufficientes præbentibus, et nihilominus interesse 4 aut 5 pro 100 exigunt, et eam decisionem extendi posse ad ecclesias, monasteria, pia loca, pupillos, et alias personas quæ in similibus constituuntur circumstantiis, nempe opus habent fructibus ex pecunia provenientibus ut honeste sustentari possint.

7° Sacra Pœnitentiaria a D. Awario, theologiæ doctore et regio professore Pinerolii, die 22 januarii 1832, consultata, respondit die 16 februarii ejusdem anni se opportunum censuisse ad illum transmittere *resolutiones alias datas ad quædam dubia circa usuras*, et ei transmisit responsiones supra recensitas. Eodem modo respondendum esse voluit die 23 novembris 1832 Aquensi episcopo, a Sancta Sede petenti normam circa varias quæstiones quæ de usura diversimode ab auctoribus definiuntur, idque pro quiete tam fidelium quam confessariorum.

Episc. Atrebatensis exposuerat S. Pœnitentiariæ quosdam suæ diœcesis confessarios absolvere pœnitentes qui mutuum exercent cum firma persuasione legem civilem legitimum creare titulum aliquid supra sortem exigendi;

absolutionem vero denegare iis qui, re minime perpensa nec consilio a viro capaci petito, 5 pro 100 exigunt, absque titulo a theologis admisso : petierat an severior habenda esset eorum agendi ratio? S. Pœnit. respondit, die 6 junii 1834 : *Provisum esse per decreta S. Inquisitionis, in quibus semper supponitur bona fides,* addens : *In reliquis consulat* (episcopus) *probatos auctores, aut adeat peritos theologos.*

Episcopus Vivariensis ad Sanctam Sedem de novo recurrit anno 1835; exposuit quosdam suæ diœcesis sacerdotes in publicis concionibus prædicare licitum esse auctarium legale ex pecunia mutuo data exigere, nullam faciendo mentionem de clausula, *modo sint parati*, etc., et petiit an hi sacerdotes essent improbandi. Card. *di Gregorio* respondit, die 7 martii 1835, hos sacerdotes sua potius quam Sanctæ Sedis placita exponere, et ideo probari non posse, quia *privata auctoritate definiunt quæstionem quam Sancta Sedes nondum voluit definire.*

Episcopo Nicæensi sciscitanti *an pœnitentes qui moderatum lucrum, solo legis titulo, ex mutuo dubia vel mala fide perceperant, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis,* S. Pœnitentiaria, die 17 januarii 1838, respondit *affirmative, dummodo parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis.*

II. Ex his decisionibus conclusiones eruuntur. — Porro in his decretis statuitur 1° confessarium denegare non posse absolutionem presbyteris qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem aliquid percipiendi supra sortem, donec Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere; 2° non inquietandum esse confessarium qui, licet Bened. XIV et aliorum SS. Pontificum decisiones de usura noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito, percipi posse, præter sortem, lucrum 5 pro 100, etiam ab iis qui nullum omnino alium, præter quam legem civilem, titulum mutuo extrinsecum habent; nec eum qui in bona fide

dimittit pœnitentem ex mutuo lucrum lege taxatum, absque alio titulo extrinseco, exigentem, dummodo ipse et pœnitens parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis; 3° hæredes hominis qui ex pecuniis mutuo datis lucrum lege determinatum perceperat ab omni reparatione exemptos se existimare posse, donec Sancta Sedes definitivam emiserit decisionem, cui parati sint obedire; 4° episcopum hortari posse rigidiores confessarios ipsum consulendi causa adeuntes, ut aliorum hac in materia benigniorum, qui videlicet putant lucrum lege taxatum ex mutuo percipi posse, aut saltem pœnitentes non esse inquietandos, agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat.

*Notanda.*

1° Nullum moveri potest dubium circa dictarum resolutionum authenticitatem : earum quæ ad episcopum Rhedonensem directæ sunt vidimus instrumenta authentica. Archiepiscopus Taurinensis omnes collegit, easque imprimendas curavit cum omnibus authenticitatis characteribus.

2° Præfatæ resolutiones, licet a summis Pontificibus Pio VIII et Gregorio XVI approbatæ et sibi perfecte concordes, definitivam non continent Sanctæ Sedis decisionem, ut patet ex earum forma, natura et terminis. Attamen qui consuetam agendi rationem Ecclesiæ Romanæ norunt, persuasum habere debent Sanctam Sedem contrarias decisiones nunquam edituram esse.

3° Positis hujusmodi resolutionibus, unusquisque potest tuta conscientia rigorosam opinionem circa lucrum ex mutuo proveniens et lege taxatum in speculatione defendere ut probabiliorem et securiorem; sed adversam damnare non potest ut doctrinæ catholicæ contrariam, nec restitutionem sub denegatione absolutionis exigere ab iis qui parati sunt judicio Sanctæ Sedis se submittere.

4° Cum nulla sit ratio judicandi talem restitutionem

aliquando præscribendam esse, arbitramur pœnitentes in bona fide existentes de hoc non esse interrogandos, si prævideatur eos admonitos non futuros esse paratos mandato Sanctæ Sedis obtemperare, quia tunc monitio ad nihil prodesset et multum obesset.

5° Nunc igitur, quoad praxim, restitutionem lucri legalis ex mutuo percepti non præscribimus, neque exigimus ut qui contractus mutui cum stipulatione lucri lege taxati jam inierunt, eos irritent, aut a perceptione lucri cessent, modo parati sint judicio definitivo Sedis Apostolicæ se subjicere, et frequenter eos nulla interrogatione vexamus, ne saluti eorum noceamus. Unica igitur restat difficultas, scilicet quid dicendum sit iis qui petunt an tuta conscientia mutuum eligere possint tanquam viam fructum ex pecuniis suis percipiendi. Si aliam viam certo licitam habere possent, eos hortaremur ad illam potius eligendam, et tamen id exigere nollemus, si persuasum haberent se, mutuum præferendo, non peccaturos, sive quia ipsi, rationibus hinc et inde perpensis, convictionem obtinuerunt, sive quia aliorum exemplo et argumentis in bona fide constituti sunt. Imo communiter hujusmodi homines nunc arbitrio suo relinquuntur.

Si vero de iis agatur qui aliam viam non habent et fructibus ex pecunia sua provenientibus indigent, durius nobis a fortiori videretur eos a tali collocatione prohibere; nam inde sequeretur eos deterioris futuros esse conditionis quam cæteri homines præcise ob suam pietatem, simplicitatem, bonam fidem et docilitatem. Itaque, licet sacrarum Congregationum responsiones et decreta huc usque non pergant, ex firma convictione existimamus æquitatem postulare ut hujusmodi personæ a mutuo cum *interesse* legali non prohibeantur, modo sint paratæ ultimæ Sanctæ Sedis decisioni, si interveniat, obtemperare.

6° Doctrina Ecclesiæ et notanter Encyclicæ Benedicti XIV circa usuram manet inconcussa; in eo enim consistit ut nihil percipiatur ex mutuo vi mutui : at præfatæ de-

cisiones et resolutiones supponunt aliquem existere titulum ipsi mutuo extrinsecum, quamvis theologi non sint concordes in eo assignando : alii nempe dicunt legem civilem dominium auctarii in mutuantem transferre, eo modo quo rerum dominium ex uno in alium transfertur per legitimam præscriptionem; alii circumstantias esse mutatas et bonum publicum absolute exigere ut in præsenti statu moderatum lucrum ex mutuo, quod charitate non debetur, percipi possit; usuram vere lege divina prohibitam in eo consistere ut lucrum excessivum, vel ex mutuo charitate debito percipiatur. Alii ultroneum ac mutuum totius societatis generatim consensum invocant; constat enim mutuantes et mutuatarios, præsertim eos qui modo pecunia abundant, et modo indigent, multo magis velle ut lucrum moderatum ex mutuo perceptum sit licitum quam prohibitum : sic ubique et palam fere omnes confitentur : porro unusquisque de rebus suis prout sibi libuerit disponere potest. Alii consuetudinem in orbe catholico fere ubique receptam, etiam apud homines timoratæ conscientiæ, afferunt tanquam titulum sufficientem. Alii alias exponunt rationes, ut D. *de la Luzerne*, *Mastrofini*, etc.

Insuper addi posset quod si, in præsenti rerum ordine, mutuum cum moderato lucro bonis Christianis non permitteretur, paulatim accideret omnia capitalia ab eis ad alios minus timoratos transitura esse : nam timorati a mutuo cum *interesse* legali refugientes, sunt parvi numero : mutuum ab aliis obtinere non possunt absque legali *interesse* : et si pecuniam habeant, eam mutuo dare non possent, ex hypothesi, cum stipulatione lucri. Ergo ingens paterentur discrimen et brevi ad completam deducerentur ruinam. Unde commune pro ipsis, ex circumstantiarum mutatione, nascitur damnum emergens aut periculum damni emergentis, sicque salva Ecclesiæ doctrina circa usuram prohibitam, sufficiens nunc datur ratio lucrum lege taxatum ex mutuo charitate non debito exigendi.

Saltem negari non potest hanc opinionem rationibus

non spernendis esse fundatam, a multis Pontificibus, piis confessariis et doctoribus catholicis probatam, et in praxi fere ubique receptam : si autem confessarius indebitam restitutionem temere præscribens, damnum pœnitentis reparare teneatur, ut communiter docent theologi, similiter et qui pœnitentem ad se cum fiducia recurrentem a licito lucro retrahit.

His omnibus momentis ducti, firmiter persuasum habemus lucrum lege taxatum ex mutuo charitate non debito nunc prohibendum non esse, ac timoratos sapienter esse dirigendos, ne sua simplicitate et nimia confessarii rigiditate detrimentum patiantur.

7° Interea definitivum Sanctæ Sedis humiliter exspectamus judicium, cui parati sumus ex totis præcordiis obtemperare.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE CONTRACTIBUS MUTUO AFFINIBUS.

Tres sunt contractus specialem habentes affinitatem cum mutuo, videlicet census, cambium et contractus societatis; de his in hoc articulo dicemus.

### § I. — De censu (*Rente*).

I. CENSUS DEFINITUR. — Census sic dicitur a *censeo* seu *æstimo*, quia bona civium olim æstimabantur, ut cum debita proportione tributa principi solverentur; unde tributa ipsa census vocabantur, sicut videtur. Matth. XXII, 17 : *Licet censum dare Cæsari an non?* Recte autem definitur : *Jus annuam pensionem ex re vel persona frugifera percipiendi.* Nomine sensus (*rente*) quandoque intelligitur ipse contractus dans jus ad pensionem et sæpius quotitas singulis annis solvenda. Qui ad solvendam pensionem se obligat dicitur *censuarius*, vel *debitor*, aut census *venditor*; qui vero jus ad illam percipiendam acquirit, vocatur *censualista, creditor, emptor* census.

Dicitur 1° *jus annuam pensionem*, etc., censualista enim substantiam rei non emit, nec proinde illius fit proprietarius, sed tantum quodam modo usufructuarius : imo fructus rei proprie non emit, bene vero jus ad eos percipiendos; nam impossibile foret omnes fructus agri in perpetuum sic per fictionem collectos æstimare; e contra jus ad fructus annuos est quid hic et nunc existens, et juxta prudentum hominum judicium æstimabile. Ergo.

Dicitur 2° *de re*, etc. Res autem illa potest esse vel mobilis, ut greges, vel immobilis, ut ager.

Dicitur 3° *vel de persona frugifera;* non ipsa venditur persona, nec proprie ipsius labor vel industria, sed tantum jus ad pensionem annuam ex labore vel industria ejus percipiendam.

Hinc colligendum est censum, licet in *Cod. civ. art.* 1909, velut omino affinis cum mutuo habeatur, ab illo tamen essentialiter differre : in mutuo enim pecunia tradita post certum tempus restitui debet mutuanti; in contractu censuali autem pecunia omnino alienatur, et ideo habenda est velut pretium, quo mediante, jus acquiritur ad pensionem annuam. Census igitur ex hac parte refertur ad venditionem et non ad mutuum.

II. Census dividitur. — Census in genere dividitur in reservativum et consignativum. Reservativus (*rente foncière*) est pensio annua in pecunia vel in fructibus percipienda, quam aliquis sibi reservat in re cujus dominium alteri transfert, sive donatione sive venditione, v. g. : do tibi agrum meum sub conditione quod quindecim modios tritici vel quinquaginta francos quotannis mihi solvas.

Census consignativus (*rente constituée*) est jus quod, mediante pretio, quis acquirit annuam percipiendi pensionem ex re vel persona alterius, v. g. : mille francos tibi trado, ut quinquaginta francos singulis annis mihi retribuas. Consignativus appellatur, quia censuarius jus illud censualistæ consignat.

Census etiam dividitur : 1° in realem, personalem et mixtum; 2° in perpetuum et temporarium; 3° in redi-

mibilem et irredimibilem; 4° in pecuniarium et fructuarium.

Census *realis* ille est qui constituitur in re aliqua frugifera mobili vel immobili, ex qua annualis pensio solvenda est; illam immediate afficit, eamque semper sequitur, donec legitime redimatur, vel destruatur res in qua constituitur.

*Personalis* est ille qui personam directe et immediate afficit; in illius industria et labore fundatur, et in bona ejus non nisi mediate cadit. Itaque in priori casu, censualista habet actionem in rem ipsam censu gravatam; in posteriori vero, actionem habet in censuarii personam, et defectu personæ tantum, in illius bona, etiamsi census esset per hypothecam assecuratus, quia hypotheca est duntaxat contractus accessorius.

Census *mixtus* est ille qui in personam censuarii et in bona ejus simul constituitur, ita ut, re pereunte, persona maneat obligata, et creditor jus suum integrum servet. Tales sunt ordinarie census qui nunc creantur.

Census *perpetuus* est jus ad pensionem perpetuam, quod sola redemptione legitima exstingui potest.

*Temporarius* vero est jus ad pensionem annuam, sed per quoddam solummodo tempus duraturam, sive tempus illud sit certum, v. g., viginti annorum; sive sit incertum, ut vita censualistæ, vel censuarii, vel alterius personæ; sic census vitalitius qui appellatur *rente viagère;* hujusmodi census, adveniente tempore statuto, certo vel incerto, exstinguitur absque ulla capitalis restitutione.

Census *redimibilis* ille est qui ad nutum unius vel utriusque contrahentis redimi potest, juxta conditiones stipulatas, v. g., si censuarius facultatem habeat a censu quem solvere tenetur, capitale refundendo, se liberandi, aut si censualista eum ad censum sic redimendum cogere possit. Hæc postea examinabimus.

Census est *irredimibilis*, si, ex statuto, ipse censuarius ab illo se liberare non possit, restituendo capitale. Dispositio ista expresse in novo Codice, art. 1911 prohibetur.

Census est *pecuniarius*, quando in pecunia pensio est solvenda ; est autem *fructuarius*, si in fructibus pensio solvi debeat, v. g., tot modii tritici, vel tertia, quarta aut quinta pars fructuum agri aut prædii.

III. An et quomodo census sit licitus declaratur. — *Certum est* 1° censum reservativum, sive perpetuum, sive temporarium, sive pecuniarium, sive fructuarium, esse licitum; qui enim proprietatem rei transfert, partem fructuum aut illius partis valorem sibi reservare potest, modo pretium pro ratione hujus reservationis imminuat: hoc evidentissime patet, et ita Joseph cum Ægyptiis fecisse legitur. Gen. xlvii, 23 et 24.

*Certum est* 2° censum realem fructuarium esse licitum; hujusmodi enim census nihil aliud est quam ususfructus aut pars ususfructus alicujus rei : atqui procul dubio licet alicujus rei usumfructum aut partem ususfructus emere : ergo.

*Certum est* 3° censum realem pecuniarium esse licitum: ille enim census est licitus, si quis vendere possit jus ad pensionem annuam ex re sua solvendam : atqui unusquisque jus ad talem pensionem ex re sua solvendam vendere potest; — a) nam Martinus V, Calixtus III, Nicolaus V et Pius V hujusmodi censum approbarunt ; — b) jus illud tanquam aliquid pretio æstimabile donare potest, ut multi quotidie faciunt : atqui illud tam vendere quam donare potest; siquidem in illo reperiuntur ea quæ ad venditionem essentialiter requisita sunt, nempe utriusque consensio, merx seu quid æstimabile, et pretium determinatum; — c) unusquisque vendere potest jus ad partem fructuum rei suæ, ut nemo diffitetur : atqui eadem ratione vendere potest jus ad fructuum valorem; nam eodem modo de valore morali fructuum ac de ipsis fructibus pacisci licet. Ergo.

Et vero, si hujusmodi census non esset licitus, maxime quia censualista per decursum temporis plus accipit quam dedit, v. g., si 5 pro 100 singulis annis percipiat, post triginta annos 3000 pro 2000 habebit : atqui hæc ratio nulla est, nec arguit injustitiam in tali contractu ; nam

quicumque rem frugiferam emit, ita per decursum temporis plus accipit quam dedit, et tamen non est injustus : atqui censualista in casu nostro vere emit jus ad pensionem. Quamvis ergo plus decursu temporis accipiat quam dedit, non ideo est injustus.

Præterea, pecunia sic per minutas partes et intra longissimum duntaxat temporis spatium recuperanda, non ejusdem est valoris, juxta omnium hominum æstimationem, ac summa integra quæ tota simul datur et tota simul accipitur, ut in mutuo; multis periculis objicitur, omnia impediuntur lucra quæ aliter fieri legitime potuissent. Infinitum est igitur discrimen inter istiusmodi contractum et mutuum.

Infra, in speciali quæstione, de censu vitalitio tractabimus.

4° Non ita certum est de censu personali et mixto an sit licitus; communiter tamen affirmant theologi, saltem attento jure naturali, dummodo adsint debitæ conditiones.

Hoc comprobari videtur unanimi theologorum consensu ; ubique enim publice docetur, et in praxi tenetur hunc contractum ex natura sua nihil habere vitii : atqui valde temerarium esset dicere illicitum et injustum contractum qui sic ubique ut licitus habetur.

Aliunde, si iste contractus illicitus foret, vel quia in eo lateret usura, vel quia aliquam injustitiam contineret, vel naturæ et dignitati humanæ contrarius esset. Atqui nihil horum dici potest; — a) nam in eo non latet usura; usura enim in solo mutui contractu reperitur : et contractus de quo hic agitur nullam habet mutui rationem. — b) Nulla est in eo injustitia, tam potest enim esse æqualitas ex utraque parte in hoc contractu, quam in aliis conventionibus. — c) Denique nihil in eo invenitur quod naturæ aut personarum dignitati opponatur ; vendere enim censum personalem nihil aliud est quam vendere jus ad pensionem ex industria, labore, aut bonis censuarii obtinendam; hoc autem non magis personam afficit quam aliæ obligationes ex contractibus sequentes.

Diximus 1° *attento solo jure naturæ*. Jure enim positivo hujusmodi census potuerunt prohiberi, et revera prohibiti sunt auctoritate S. Pii V, constitutione *Cum onus*, ut concedunt auctores; timebat enim ille Pontifex ne in illis usura lateret; at certissime constat hanc constitutionem nullam decisionem circa jus naturale continere, sed tantum legem positivam.

Diximus 2° *si debitæ adsint conditiones*. Præter ea quæ lege civili statuuntur et attente servanda sunt, eædem requiruntur jure naturali conditiones ad hujusmodi censum, quæ ad venditionem et emptionem sunt necessariæ, scilicet : — a) bona fides in utroque contrahente et plena libertas ; — b) sufficiens assecuratio ex parte censuarii erga censualistam pro censu solvendo; — c) justum pretium. Pretium istud ex communi hominum æstimatione jure naturali determinatur, sicut in omnibus aliis venditionibus : unde crescere potest vel decrescere secundum varias quæ sæpe occurrunt circumstantias.

IV. Quæstiones practicæ. — Nunc plura quærenda sunt, nempe specialiter de censu redimibili et de censu vitalitio, item de pretio quo census sit constituendus, vel post priman constitutionem possit iterum vendi aut redimi, etc.

*Quæritur* 1° utrum census redimi possit.

*R.* 1° Census ex natura sua non est essentialiter redimibilis ; nam census est vera venditio, ex dictis : atqui venditio non est essentialiter redimibilis. Est, e contra, ex natura sua irredimibilis ; qui enim rem aliquam vendidit, non potest, secluso speciali pacto, ab emptore invito eam redimere. Ergo *a pari*, etc.

*R.* 2° Jure positivo statutum fuit censum ex parte censuarii semper redimi posse ; ita olim leges civiles habebant, et hæc dispositio expresse renovata fuit, *Cod. civ. art.* 1911 ; semper igitur censuarius potest pro nutu a censu se liberare, capitale refundendo. Inter se tamen convenire possunt contrahentes quod census ante tempus determinatum non redimatur; sed tempus istud ultra decem annos protrahi non potest in censibus pro pecunia

constitutis, *art.* 1911; nec ultra triginta annos in censibus reservatis, seu pro boni immobilis pretio fundatis. *Cod. civ. art.* 530.

In utroque casu similiter convenire possunt contrahentes redemptionem fieri non posse, quin censualista certo antea tempore prænmonitus fuerit : si vero istius generis conventio non existat, censuarius pro libitu capitale refundere poterit et sic liberabitur.

Fabricæ ecclesiarum et communitates mulierum summas pecuniæ in censuum exstinctionem receptas, ad novos census creandos applicare non possunt sine approbatione imperatoris, vi edicti regii diei 14 januarii 1831 adhuc vigentis. Per hoc edictum derogatum fuit legi diei 2 januarii et edicto regio diei 1 aprilis 1817, in eis quæ spectant statuta ecclesiastica et communitates mulierum legaliter approbatas.

*Quæritur* 2° utrum censualista debitorem cogere possit ad redimendum censum.

*R.* 1° Jure positivo eum in triplici casu sic cogere potest, scilicet : — a) si per duos annos censum debitum non solvat; — b) si promissam assecurationem, hypothecam, v. g., vel cautionem non tradat, *art.* 1912; — c) si foro cedat, vel debitis solvendis fiat impar (*tombe en déconfiture.*) *Art.* 1913. Dispositiones illæ legis civilis, æquitate naturali fundatæ clare videntur. Ergo censualista in his casibus potest, tuta conscientia, debitorem ad censum redimendum cogere. Sed, triplici illo casu excepto, facultatem eum sic cogendi jure positivo non habet.

*R.* 2° Plures contendunt non repugnare, solo attento jure naturali, censum ex parte emptoris seu censualistæ redimibilem esse, sicut ex parte venditoris; nam ille contractus est legitimus si nulla in illo reperiatur injustitia : at fieri potest ut nulla in eo contractu reperiatur injustitia. Nulla enim est injustitia ubi perfecta utrinque servatur æqualitas : atqui perfecta servari potest æqualitas in censu ex parte emptoris redimibili, sicut in omnibus venditionibus; quando enim venditor facultatem redimendi sibi reservat, non ideo tollitur æqualitas, quia

pretium rei pro ratione oneris imminuere censetur : emptor autem deterioris non est conditionis quam venditor, et pretium rei pro ratione oneris augere potest : ergo perfecta in eo casu existere potest æqualitas, sed requiritur ut emptor rectam habeat intentionem, nempe ut vere censum emere velit, et non tantum pecuniam in mutuum tradere. Ergo. Ita Lessius, lib. II, c. 22, l. 56; *Layman*, lib. VIII, tract. 4, c. 18, n. 8; S. Ligorius, lib. III, n. 843, et plures alii. Ita etiam respondit cardinalis *Caprara* ad episcopum Carcassonensem, die octava maii anni 1807.

Quidquid sit de illa opinione speculative sumpta, in praxi admitti non debet; quia illa semel admissa, unusquisque lucrum ex pecunia alteri tradita percipere posset, quamvis facultatem eam repetendi semper haberet, dummodo mutuum non intenderet, sed censum emere vellet; tunc autem Ecclesiæ doctrina circa usuram nihil aliud esset quam vana subtilitas. Ergo. *Ita valde communiter theologi*. Imo defensores alterius sententiæ fatentur illam in praxi non esse tutam. Ergo.

*Quæritur* 3° quid sentiendum sit de censu vitalitio, *rente viagère*.

*R.* Census vitalitius, sic dictus quia pendet a vita, ille est qui per mortem unius aut plurium personarum finiendus est, v. g. : do tibi 1800 fr. ut 100 mihi solvas singulis annis quoad vixero, vel quamdiu ego et frater meus vixerimus.

Ille contractus, juxta omnes, ex natura sua est licitus; est enim contractus aleatorius sicut sponsio : atqui contractus aleatorius ex natura sua est licitus; ergo et contractus vitalitius, modo æqualitas et bona fides utrinque serventur. Contractus hujusmodi frequentissimus est inter homines, et jure positivo approbatur. *Cod. civ. art.* 1968 *et seq.*

Lex pretium hujus census non determinat; declarat e contra, *art.* 1976, quod partes contrahentes illud pro suo beneplacito determinare debeant : habenda est autem ratio variarum circumstantiarum, ætatis, sanitatis, com-

plexionis personæ super cujus caput constituitur census.

Ordinarie census ille est ab 8 usque ad 15 pro 100, prout major vel minor est probabilitas proximæ mortis censualistæ.

Censuarius non habet facultatem a censu isto se liberandi quatumcumque sit onerosus, etiamsi capitale offerret et annuas pensiones jam solutas relinqueret, nisi censualista in id consentiat. *Art.* 1979. At, vice versa, censualista cogere non potest censuarium ad refundendum capitale et censum exstinguendum, excepto tamen casu in quo promissas non daret securitates. *Art.* 1977. Non vero si solummodo pensiones solvere omitteret : in hoc enim ultimo casu exigere posset duntaxat ut bona debitoris venderentur, et sufficiens collocaretur summa ad solutionem census assecurandam. *Art.* 1978.

Si census vitalitius titulo gratuito sive per donationem inter vivos, sive per testamentum, constitueretur, iisdem subjiceretur regulis ac ipsæ donationes : eodem modo igitur nullus, rescindibilis vel reductibilis esset. *Art.* 1969 *et* 1760.

Census titulo oneroso constitutus potest esse vel in favorem illius qui pecuniam aut rem aliquam ad censum emendum dedit, vel in favorem alterius qui pretium non dedit, et tunc respectu illius est donatio gratuita. Attamen in eo casu ille contractus regulis pro donationibus institutis non subjicitur, exceptis incapacitate et reductibilitate; non est enim in se gratuitus, cum pretium ipsisu solvatur, sed inquantum duntaxat alteri personæ applicatur. Ergo. *Cod. civ. art.* 1973.

Si tempore quo census super caput alicujus personæ constituitur, jam persona illa sit mortua, nullus est contractus; causa enim illius est falsa. Item nullus est, si persona intra viginti dies ex eo moriatur morbo quo jam detinebatur tempore creationis census. *Art.* 1974 *et* 1792.

Si vero morbus hoc tempore non existeret, et persona postridie moreretur, contractus nihilominus esset validus et census pro uno die tantum deberetur, juxta proportionem factam inter omnes unius anni dies, nisi forte ex

speciali conventione census per anticipationem (*d'avance*) solvi deberet; tunc pro anno solvendus esset. *Art.* 1980. Pariter, si persona, licet mortali jam correpta morbo tempore contractus, non nisi post vigenti dies moriatur, contractus erit validus. *Art.* 1975.

Qui jus ad censum vitalitium habet, illius solutionem exigere non potest nisi sufficienter ostendat se adhuc existere, vel mortuam non esse personam a cujus vita census ille pendet. *Art.* 1983. Qui est absens, censetur mortuus donec contrarium probetur. Præscriptio contra ipsum currit, et per quinque annos absolvitur pro redditibus annuis (*arrérages*), et per triginta annos pro ipso censu. Hæc equidem in foro externo locum habent, juxta principia quæ exposuimus ubi de præscriptione. *Art.* 2277.

Xenodochia accipere possunt sub censu vitalitio summas pecuniæ quas pauperes in ipsis viventes tradere volunt, modo census 10 pro 100 non excedat.

*Quæritur* 4° quid sentiendum sit de censu ad tempus determinatum, v. g., pro decem aut viginti annis.

*R.* 1°. Census realis ad tempus determinatum est licitus, si vera sit intentio emendi et vendendi; nam, sicut venditio fructuum aut partis fructuum agri in perpetuum est licita, pariter illicita esse non debet eadem venditio pro tempore determinato. Licet agrum pro pluribus annis locare : ergo et fructus ejus pro pluribus annis vendere. Ita card. *de Lugo*, disp. 26, n. 37, et multi alii. Sed requiritur ut vera sit intentio vendendi et emendi; si quis enim pecunia indigens fructus prædii sui offerret ut pecuniam obtineret, ordinarie ille contractus ut purum haberi deberet mutuum.

*R.* 2°. Census personalis ad tempus determinatum ex solo jure naturali judicandus est. Si ad longum tempus constituatur, v. g., ad viginti annos, non videtur illicitus; nam census realis esset licitus, ut modo probavimus : atqui eodem modo census personalis debet esse licitus; tam enim licet fructus industriæ et laboris pro tempore determinato vendere quam fructus agri. Ergo

Sic Lessius, c. 22, n. 43; *Collet*, in Cont. *Tournely*, de Censibus, art. 4, concl. 2, etc.

Multum tamen cavendum est ne in hujusmodi censu lateat et pallietur usura : talis igitur contractus non facile admittendus est in praxi, et nunquam, si ad breve sit tempus, v. g., ad tres, quatuor aut quinque annos, nisi legitimus existat titulus quo aliquid supra sortem in mutuo percipere liceret; alioquin omnis usura facile excusari posset.

*Quæritur* 5° quonam pretio census sit constituendus.

*R.* Census pecuniarius olim fuit in Gallia 10, 12, 13 pro 100, ut videtur in Extrav. Martini V. Sed Ludovicus XIV statuerat, anno 1665, ut 5 tantum pro 100 acciperentur. Hæc dispositio nunc etiam existit in lege condita die 3 septemb. an. 1807 (*Bulletin*, n. 6740); statuitur enim quod *interesse* conventionale sine ulla exceptione 5 pro 100 excedere non possit in materia civili. Ergo.

In censibus olim creatis, debitor unum ex quinque a die 22 septembris anni 1796 (1er *vendémiaire an* v) retinere potest, et quidem legitime; censualista enim tributa ratione census non solvit, nec ulla sustinet onera. Ex variis decisionibus excipiendi videntur ab ista reductione census ad onera spiritualia explenda destinati.

Nunc autem 5 pro 100 absque ulla restrictione stipulari licet; lex enim huic dispositioni non opponitur, et sic inter timoratos communiter receptum est.

Non licebat olim censum fructuarium pro summa pecuniæ stipulari; nam, cum valor fructuum crescere possit, leges civiles talem prohibuerant contractum propter usuræ periculum : at prohibitio ista non fuit renovata. Ergo non existit, ac proinde non videtur cur censum fructuarium stipulari non liceret, modo 5 pro 100 moraliter non excedat. Valor fructuum potest quidem crescere, sed potest etiam decrescere : itaque, si census secundum pretium commune et medium determinetur, nulla erit injustitia.

*Quæritur* 6° an liceat censum infra pretium quo fuit

creatus emere, v. g. : Petrus censum 50 fr. vendidit Paulo pro 1000 fr.; potestne illum 800 vel 900 fr. redimere, si Paulus consentiat?

*R.* 1° Si Petrus a censu se liberare intendat, et tamen contrarium simulet ut imminutionem a Paulo obtineat, vel si indigentia Pauli utatur ut minus solvat, peccat contra justitiam et ad restitutionem tenetur. Nullum enim habet titulum ad hanc capitalis partem quam retinet.

*R.* 2° Si censum redimere sibi non proponat, et illum redimere non possit quin aliquod patiatur detrimentum, vel si malit pecuniam habere quam censum juxta primam creationem redimere, rationabilem et proportionatam petere potest imminutionem, nam revera cedit aliquid pretio æstimabile.

*R.* 3° Si census sufficienter non sit assecuratus, vel aliter solutu sit difficilis, persona a censuario distincta illum minori emere potest pretio; nam periculum quod existit vel prævidetur exstiturum pretio est æstimabile, et pro illo pacisci licet. Item dicendum, si hæc persona hujusmodi census non æstimet, et sincere præferat eos non habere quam supra tale pretium emere; illi enim census sunt velut merces : sed qui mercibus non indiget, nec eas desiderat, non tenetur illas emere secundum valorem quem respectu aliorum haberent; nam ut diximus supra, p. 366, *merces ultroneæ vilescunt.* Ita solum spectando jus naturale, *Sainte-Beuve,* t. V, cas 40; *Pontas,* v° *Achat,* cas 6; *Collet, Billuart,* etc., ubi de censibus tractant. Caveat tamen emptor ne alterius abutatur miseria et angustiis ut lucrum faciat.

Diximus *solum spectando jus naturale;* nam si lex positiva obstaret, sic contrahere non liceret; at lex positiva obstare non videtur ne census jam creati infra capitale redimantur. In lege enim anni 1807, supra citata, agitur tantummodo de contractu quo pecunia datur cum stipulatione *interesse.* Ergo.

In ipsa autem census creatione tali imminutione uti non licet, quia lex positiva id prohibet, ut vidimus; sed

cum taxa legis in favorem venditoris seu censuarii constituatur, ne videlicet necessitate pressus, viliori pretio censum vendat ut pecuniam obtineat, minime contra legem peccabit si majori pretio censum vendat, si, v. g., 1000 fr. obtineat pro censu 40 fr. *Hoc omnes fatentur.*

*Quæritur* 7° an liceat census annuos in gubernio fundatos currenti pretio emere (*au cours de la Bourse*).

*R.* Id procul dubio licitum est. Nam illi census publice venduntur et emuntur tanquam merces ordinariæ, non solum in Gallia, sed in Anglia, in aliisque regionibus; pretium eorum crescit aut decrescit secundum circumstantias, et prout homines communiter judicant majus vel minus in censibus istis existere periculum. Verum igitur censuum illorum pretium ex communi hominum existimatione determinatur : ergo illos currenti pretio emere et vendere licet, sicque illorum negotiatio per se licita est, sicut negotiatio mercium. Multi etiam timorati hanc eligunt viam fructuose pecuniam suam collocandi; census hujusmodi habent velut proprietates quas emunt et quas postea vendunt vel retinent pro nutu. Ergo.

Quod de censibus dicitur, pari ratione dicendum est de actionibus (*actions de la Banque*); pecunia enim non datur ad terminum sicut in mutuo, sed verum jus ad redditus annuos pluris vel minoris emitur secundum circumstantias; ipsi etiam redditus sunt modo majores, modo minores, et aliquod semper incurritur periculum. Ergo realis existit titulus ad lucrum percipiendum, ac proinde legitimæ sunt illæ actiones dictæ *de la Banque*, et legitima est in se earum negotiatio, sicut negotiatio censuum gubernii.

*Quæritur* 8° quid sentiendum sit de negotiatione actionum, v. g., *de la banque de France*, et earum quæ constituuntur in viis ferreis, in ephemeridis, in operibus industrialibus, etc., vel de collocatione pecuniæ *aux caisses d'épargnes*, *banques de prévoyance*, *assurances sur la vie*, etc.

*R.* 1° Negotiatio actionum est licita. Illæ enim actiones sunt jus ad emolumenta sperata, pretio determinato

et justo acquisita : jus istud est sane pretio æstimabile. Ergo.

*R.* 2° Collocationes pecuniæ in quæstione expositæ pariter sunt licitæ : societates enim quibus committuntur dictæ pecuniæ, vendunt collocantibus jus ad pensionem annuam redimibilem et quandoque insuper jus ad emolumenta indeterminata partienda. Si pecuniam a se alienatam iterum habere volunt, societates habendæ sunt ut redimentes census a se venditos, quos sæpe ad alios statim transferunt : fit ergo vera venditio et emptio census. Imo S. Pœnitentiaria, die 25 februarii 1836, specialiter de collocatione *aux caisses d'épargnes* interrogata, respondit, prout jam alias responsum fuit, *nihil obstare.*

Ubique, omnibus approbantibus, fiunt hujusmodi pecuniarum collocationes.

### § II. — De cambio.

I. Quid et quotuplex cambium. — Cambium idem est ac permutatio (gallice, *le change*), et licet in diversis rebus locum habere possit, mos tamen prævaluit ut in pecuniis tantum sic diceretur, et recte definitur : *Permutatio pecuniæ pro pecunia diversa cum lucro campsoris* (gallice, *du changeur*).

Pecunia diversa esse potest 1° ratione quantitatis, si nempe minor detur moneta pro majori; 2° ratione qualitatis, si, v. g., novi pro antiquis dentur nummi ejusdem quantitatis; 3° ratione speciei, si, v. g., argentum pro cupro, aurum pro argento detur; 4° ratione loci, si videlicet detur pecunia præsens pro absente aut vice versa.

Differt a venditione in qua fit mutatio rei pro pecunia vel pecuniæ pro re aliqua; differt etiam a mutuo; nam 1° mutuum habere potest pro objecto res quaslibet usu consumptibiles, et cambium solummodo circa pecuniam exercetur; 2° mutuum fit ad aliquod tempus, et cambium statim consummari potest, dando pecuniam præsentem pro pecunia præsente; 3° in mutuo res ejusdem

speciei et qualitatis reddi debet, non vero in cambio.

Duplex distinguitur cambium, siccum seu fictum, et reale. Cambium *siccum*, ita dictum quia non habet humorem ex quo fructum producere valeat, est illud quo fingitur pecuniam de loco in locum transferri, dum revera non transfertur. Quia leges civiles mutuum cum stipulatione lucri olim non permittebant, hic modus cambiendi ad palliandum usuram fuerat excogitatus; nunc autem ad tale effugium non reccurritur.

Cambium *reale* dicitur quando reipsa pecunia pro pecunia mutatur, et duplex est, minutum scilicet et locale seu per litteras. *Minutum* est illud quo mutatur pecunia præsens cum pecunia præsente, v. g., æs cum argento, argentum cum auro, moneta extranea, Hispaniæ, Angliæ, etc., cum moneta Galliæ, et vice versa.

Cambium *locale* seu per *litteras* est illud quo mutatur pecunia præsens cum absenti vel absens cum præsenti, v. g., accipio Parisiis pecuniam quæ Lugduni mihi debetur, vel, e contra, solvo Parisiis pecuniam quam debeo Lugduni. Distinguitur adhuc cambium *temporale* seu ad terminum, in eo consistens ut campsor vel mercator hodie det pecuniam ea lege quod, tali elapso tempore, v. g., his aut illis celebratis nundinis, reddatur cum majori vel minori lucro, prout distant nundinæ assignatæ. Cambium istud aliquando vocatur Lugdunense, Francofurtense, Nannetense, etc., e locis ubi exercetur. Notissimæ sunt illæ cambii litteræ (*lettres de change*). Tres in eis saltem necessario interveniunt personæ, nempe ille qui pecuniam transferandam solvit (*le donneur*); qui onus pecuniam transferendi suscipit, litterasque cambii tradit, est campsor (*banquier*); et ille ad quem litteræ diriguntur, *le correspondant du banquier*. Qui litteras cambii habet easque præsentat, dicitur *le porteur :* eas alteri transferre potest inscribendo : *Payez à l'ordre de****, et vocatur *endosseur*.

II. Utrum cambium sit licitum. — 1° Certum est cambium siccum nunquam fuisse licitum; nihil enim aliud erat quam mutuum palliatum.

2° Item dicendum est de cambio temporali seu ad tempus determinatum, ut patet : lucrum ex illo perceptum licitum esse non potest nisi ob causam extrinsecam, quæ tamen nunc communiter adest in nostra societate, uti, occasione mutui, jam advertimus.

3° Cambium reale, sive minutum, sive locale, per se licitum est; valde enim utile est societati et nihil præ se fert inordinati. — a) Valde utile est societati : multi namque sunt qui minutas quærunt pecunias pro majoribus, vel majores pro minutis, v. g., argenteas pro æreis, aureas pro argenteis; multo plures sunt qui indigent ut pecuniæ suæ in loca remota transferantur, vel ab aliis locis referantur : hæc autem commodissime fiunt per cambium, sicque remotissimæ urbes promptum secum habent commercium. Ergo. — b) Nihil præ se fert inordinati. Inordinatio quippe veniret ex defectu tituli legitimi ad percipiendum lucrum : atqui campsor legitimos habet titulos ad percipiendum lucrum. Ars enim campsoria sumptuosa est et periculosa : — sumptuosa, ingentes enim campsor semper habere debet pecunias ad cambium paratas, et ab omni alio lucro sejunctas; famulos et ministros conducere, correspondentes in diversis regionibus habere, multosque alios sumptus facere tenetur. — Est periculosa, tum ex parte imminutionis quam identidem moneta subit in variis regnis, tum ex parte furum et latronum, tum ex parte debitorum qui, sive infortunio, sive mala fide, solvere nolunt aut nequeunt et foro cedunt (*font banqueroute*). Certe hæc omnia sunt pretio æstimabilia. Ergo.

Præterea, cambium hujusmodi ubique est in usu nemine reclamante, a Roma usque ad Peruvium : porro talem usum sic ubique receptum improbare non debemus.

Qui vero, artem cambiendi non exercens, potest absque damno vel incommodo pretio æstimabili commutare pecunias pro pecuniis, sive majores pro minutis aut minutas pro majoribus, sive præsentes pro absentibus, nihil exigere valet; nullum enim tunc habet titulum quo aliquod percipere possit incrementum.

III. De conditionibus requisitis ut cambium sit licitum. — Ut campsor, suam exercendo artem, non peccet, plurimæ requiruntur conditiones, videlicet : 1° bona fides et ut cambium sit reale ; 2° ut nihil accipiatur præcise pro solutionis dilatione ; 3° ut justum servetur pretium lege, consuetudine vel judicio prudentum legitime determinatum. Cum enim officium campsoris sit licitum, eodem modo de illo ratiocinandum est ac de cæteris officiis in quibus lucrum percipitur : at in cæteris officiis totum lucrum consuetudine receptum vel legitime determinatum, et nihil ultra, exigere licet ; ergo et in cambio. Conditiones istæ jure naturali sunt præscriptæ : alias insuper S. Pius V præscripserat bulla *In eam*, an. 1571 ; sed cum hæc bulla nunquam in Gallia fuerit in usu, campsores nostros non obligat.

IV. Quæstiones cambio affines. — *Quæritur* 1° quid per Montes pietatis sit intelligendum, et utrum sint liciti.

*R.* 1° Montes pietatis sunt notabilis cumulus pecuniæ aliusve rei mutuabilis in gratiam indigentium collectus, ut per mutuum necessitati eorum subveniatur, nec usuris opprimantur ; ideo vocati sunt Montes pietatis.

Montes pietatis conflari possunt vel ex solis eleemosynis et piis legatis, et olim dicebantur *Italici*, quia Perusii in Italia nit muiihabuerunt, anno 1450 ; vel ex pecuniis ad censum acceptis, et *Belgici* appellabantur, quia in Belgio, anno 1600, erecti fuerunt ; vel coadunari possunt ex eleemosynis, piis legatis, simulque ex pecuniis ad censum acceptis, et vocantur mixti : tales sunt communiter Montes pietatis nunc existentes.

Mutuum in montibus istis non datur nisi sub certis conditionibus : — a) nempe ad tempus determinatum et fixum, v. g., ad sex menses, ad annum, etc. ; — b) pignus æquivalens semper exigitur in assecurationem capitalis ; — c) si tempore præfixo capitale non reddatur, pignus acceptum venditur, ex pretio ejus quod debitum est sumitur, et reliquum mutuatario redditur ; — d) sive capitale tempore dicto reddatur, sive non, semper aliquid supra sortem accipitur, propter diversos sumptus qui necessario

faciendi sunt, ad amplam domum conducendam, ad ministros competentes et numero sufficientes habendos, ad annuos census solvendos, etc. Propter ultimam hanc conditionem, acriter plures theologi olim contenderunt Montes pietatis ab usuræ labe non esse immunes : pro quo definiendo.

*R.* 2° Montes pietatis, prout eos exposuimus, ab omni usuræ labe sunt immunes : nam Leo X in conc. Lateran. V eos expresse approbavit; et concil. Trid., sess. 22, cap. 9 de Reform., eosdem inter pia loca recenset. Ab omni usuræ labe sunt immunes, si nihil ratione mutui exigatur : atqui nihil ratione mutui exigitur, siquidem ut supponimus, nihil accipitur ultra id quod ad impensas necessarias stricte requiritur. Ergo. *Ita nunc omnes theologi*, contra Cajetanum et D. *Soto*.

Alius etiam in quibusdam locis existit modus indigentibus per mutuum subveniendi. Opulenti mercatores publicam ex propriis pecuniis aperiebant mensam cum auctoritate principis, et juramento se obstringebant ad mutuum petentibus tribuendum sub conditionibus pro Montibus pietatis præscriptis. Aliquid pro lucro cessante supra sortem percipiebant, sicut Montes pietatis aliquid exigunt pro solutione censuum, quando aliquos solvere debent. Montes hujus generis dicebantur *Lombardi*, quia in Lombardia originem habuere.

Montes isti erant procul dubio liciti, sicut Montes pietatis et propter easdem rationes. An autem aliquis propria auctoritate talem aperire posset mensam? Res non videtur dubia, quia eædem recurrunt rationes quæ campsionem reddunt licitam, videlicet sumptus et pericula.

*Quæritur* 2° utrum negotiationem chirographorum commercii (*des billets de commerce*) facere liceat.

Chirographa hujusmodi ubique in plateis commercii, ut aiunt, publice exponuntur et plus minusve infra valorem eorum numericum venduntur, prout plures vel pauciores sunt ementes aut vendentes, prout tempus solutionis magis vel minus distat, prout denique solutio ista plus vel minus certa judicatur; quæstio est utrum liceat

hæc chirographa currente pretio emere, et deinde carius ea revendere, si pretium currens augeatur, vel tempus solutionis exspectare et totum valorem numericum tuta conscientia suscipere.

*R.* Vel chirographa illa ad extraneam diriguntur plateam commercii (*à une autre place de commerce*), ut dicitur, vel non : si ad extraneam dirigantur plateam commercii, videtur quod ea currenti pretio emere liceat. Nunc enim pecunia e loco in locum transferenda est, quidam sumptus idcirco sunt faciendi, quædam pericula incurruntur : atqui hæc pretio sunt æstimabilia, et eorum valor ex communi hominum æstimatione determinatur : ergo prædicta chirographa currente pretio emere licet. Si quis autem illorum solutionem absque periculo, labore aut damno obtinere possit, id per accidens evenit, et lucrum quod facit non ideo respectu ipsius est illicitum; non enim jus habet ad lucrum quia damnum patitur, sed quia talia chirographa periculum sibi adjunctum habent aut laborem vel industriam ex natura sua exigunt, ac proinde sub illo respectu sunt vendibilia : facilitas autem specialis quam aliquis habet ut solutionem obtineat, ad ipsum et non ad venditorem pertinet : ergo.

Superius quidem diximus, p. 496, privatum qui in aliquo casu particulari pecunias præsentes pro absentibus, vel majores pro minutis absque ullo incommodo commutare potest, nihil exigere debere; in cambio enim præcipuus ad percipiendum lucrum titulus ex parte campsoris desumitur, quia scilicet artem suam gratis exercere non potest quin detrimentum patiatur; privatus autem in suppositione nostra talem non habet titulum. Sed ubi de chirographis publice vendendis et ad extraneam urbem directis agitur, titulus ad lucrum percipiendum ex parte ipsorum chirographorum desumitur, nempe ex eo quod labor et pericula eis annectantur. Porro hæc rem vendendam afficiunt juxta communem hominum æstimationem, atque efficiunt ut in se minoris sit pretii. Ergo.

Si vero illa chirographa ad extraneam plateam non di-

rigantur, sed in eadem urbe solvi debeant; vel eorum solutio est incerta, periculosa aut difficilis, vel est omnino tuta et facilis. Si prius, ea infra valorem numericum emere licet; nam incertitudo, periculum et difficultas sunt aliquid pretio æstimabile. Pro illis igitur pacisci licet secundum communem hominum æstimationem : porro communis hominum æstimatio in eo casu manifestatur per currens pretium chirographorum. Ergo.

Si autem solutio prædictorum chirographorum sit certa aut facilis, major est difficultas. Ea tamen infra valorem numericum emere non licet, secluso speciali titulo, si publice non exponantur vendenda; nam talis emptio nihil aliud esset quam mutuum cum lucro, ut attente consideranti evidenter patebit, v. g. : pecunia indiges, chirographum 1,000 fr. ad sex menses certo et facile solvendum possides, illud mihi transfers pro 950 fr. quos hic et nunc tibi solvo : itaque 1,000 fr. pro 950 fr. post sex menses certo accipiam; nonne contractus iste verum est mutuum? Ergo.

At si hæc chirographa publice exponantur vendenda, communius admittitur negotiationem eorum per se licitam esse. Nam, per se licita est, si chirographa sic publice exposita ut merces haberi debeant : atqui ut merces haberi debent; ita enim ab omnibus et vendentibus et ementibus judicantur, et eorum pretium crescit aut decrescit secundum varias circumstantias. Præterea, negotiatio hæc licita est si nulla injuria vendentibus inferatur : atqui nulla injuria vendentibus infertur. Statim enim atque sua chirographa publice sic exposuerunt, rationabiliter sperare non possunt aliquem ea supra currens pretium accepturum esse : ergo ipsorum interest quod pretium currens augeatur. Porro eo magis augebitur quo plures erunt ementes : ergo qui talia emunt chirographa, nullam inferunt vendentibus injuriam, sed e contra favorem illis præstant. Ergo.

Hæc opinio sat probabilis nobis videtur, ut eam sequentes inquietare nolimus.

*Quæritur* 3° quid sentiendum sit de iis qui tempore

turbationis Gallicæ chartas nummarias (*papier monnaie*) emerunt pro pecuniis et eas vendiderunt atque lucrum sic reportaverunt.

*R.* Si chartas emerint ut debita legitime contracta extinguerent, videndum est quod diximus in Tractatu *de Restitutione*.

Si vero simpliciter chartas istas currente pretio emerint, et easdem pariter currente pretio vendiderint ac lucrum fecerint, lucrum istud non est injustum; nam chartæ illæ erant depretiatæ : valor earum identidem augebatur, et postea magis ac magis minuebatur. Itaque haberi debebant ut merces ordinariæ, saltem ut chirographa periculosa in platea publice exposita. Negotiatio igitur de illis in bona fide facta erat licita.

### § III. — De societate.

I. Quid sit societas in quantum contractus. — Societas est contractus quo duæ vel plures personæ conveniunt de re aliqua in communi ponenda ad honestum faciendum lucrum, secundum justam proportionem inter eos dividendum. *Cod. civ. art.* 1832.

Dicitur 1° *contractus;* est enim contractus synallagmaticus et solemnis; sola partium conventione perficitur : sed probatio ejus in foro externo non admittitur, nisi per scriptum, si centum et quinquaginta fr. excedat. *Art.* 1834.

Dicitur 2° *quo duæ vel plures personæ;* quia societas duas saltem exigit personas; sed multo plures esse possunt.

Dicitur 3° *conveniunt;* nam si una persona aliquid ad societatem contribueret, sed absque ulla conventione, ut socius haberi non posset : ad summum, laboris vel industriæ suæ pretium exigere valeret.

Dicitur 4° *de re aliqua in communi ponenda;* id est de re pretio æstimabili, qualia sunt pecunia, cujusdam generis merces, instrumenta, labor, industria, etc. Hæc enim ad societatem constituendam suo modo concurrere possunt.

Dicitur 5° *ad honestum faciendum lucrum;* finis enim societatis commercii, de qua hic agitur, est aliquod facere lucrum: at lucrum istud necessario debet esse honestum, alioquin societas esset nulla, *art.* 1833; nullum enim potest esse vinculum proprie dictum ad aliquod malum.

Dicitur 6° *Secundum justam proportionem dividendum.* Omnes enim personæ quæ societatem inter se constituunt, jus habent ad lucrum quod inde provenit, sed non habent jus æquale, nisi ex hypothesi quod æqualiter ad societatem concurrant; si una plus contribuat et altera minus, ut sæpe contingit, lucrum inter se juxta proportionem geometricam in bona fide dividere debent. Eadem proportione damnum, si quod accidat, in omnes socios refundi debet. Si vero res ipsa in societatem adducta pereat, ei ad quem pertinet perire debet, seclusa alia speciali et legitima conventione; nam res perit domino.

II. QUOTUPLEX SIT. — Societas dividitur in universalem et particularem. Societas *universalis* duplex est: alia quæ omnia bona præsentia complectitur, sive mobilia, sive immobilia, et beneficia ex iis provenientia. Potest etiam alia comprehendere lucra futura, non vero bona per hæreditatem, legatum aut donationem adventura, nisi quoad eorum fructus. Omnis stipulatio contraria est nulla, excepto quod diximus de sponsis ex art. 1084. Vide Cod. civ. art. 1836 et 1837.

Altera societas universalis, quæ dicitur societas lucrorum, habet pro objecto omnia lucra quæ contrahentes acquisituri sunt per societatis decursum, sive industria propria aut communi, sive quovis alio titulo. Hæc societas continet necessario cuncta bona mobilia et usumfructum bonorum immobilium quæ partes possident tempore quo initur conventio. *Art.* 1838. Talis semper censetur quælibet societas universalis, nisi contrarium clare exprimatur. *Art.* 1839.

Societas universalis aliquo modo naturæ donationi participat. Difficile est enim unam partem non plus conferre ad lucrum quam alteram; ideo prohibitum fuit ne hujusmodi societas inter eos iniretur, qui ad donandum

et accipiendum sunt erga se invicem inhabiles, v. g., inter mulierem et filium ejus naturalem, inter patrem et unum ex liberis ejus vel etiam inter patrem et extraneum; quia paterfamilias de omnibus bonis suis titulo gratuito erga extraneum disponere non potest. *Art.* 1840.

Societas *particularis* est illa quæ habet pro objecto res aliquas determinatas, vel rerum usum, vel fructus percipiendos. *Cod. civ. art.* 1845. Plurimæ sunt regulæ pro societate ista in Codice civili statutæ; cum fere omnes ad forum externum respiciant, eas hic prætermittemus.

Pro foro interno autem requiritur et sufficit ut æqualitas inter socios juxta viri prudentis æstimationem servetur, et omnes conditiones, de quibus convenerunt, in bona fide ex utraque parte adimpleantur.

III. An contractus societatis sit licitus. — Certissimum est societatem prout supra fuit explicata, esse licitam. Hujusmodi enim societas est in usu apud omnes gentes, et neque auctoritas civilis, neque auctoritas ecclesiastica eam unquam reprobavit. Ad bonum publicum valde utilis est; nam multa sunt opera multæque negotiationes maximi momenti, quæ suscipi vel ad felicem exitum deduci non possunt, nisi ope talium societatum. Ergo.

Quinque tamen communiter assignantur conditiones necessario servandæ, scilicet : 1° ut negotiatio ad quam datur pecunia sit realis et ad lucrandum serio sit formata, alioquin esset mutuum palliatum; 2° ut hæc negotiatio sit tam in se quam in circumstantiis licita; 3° ut singuli socii aliquid utile ad attingendum scopum conferant; 4° ut omnes, secundum justam proportionem, idem habeant jus ad lucrum et debitum ad onera; 5° ut ita ineatur societas, quod ante tempus rationabile, aut tempus determinatum socii repetere non valeant ea quæ contulerunt : id enim exigunt natura et finis societatis, salvo tamen art. 1869.

IV. De obligationibus sociorum et juribus. — Præcipuæ sociorum obligationes sunt : 1° ut unusquisque societati asserat rem promissam, si sit corpus determinatum : si

agatur de pecunia quæ non solvatur, debentur *interesse*, alioquin læderetur æqualitas; 2° ut res societatis gerat cum ea diligentia quam ad res proprias adhiberet. *Art.* 1846 *et* 1850. Hinc in Gallia socius tenetur tantum, specialibus seclusis conventionibus, de culpa lata et de dolo. Sedulo servandæ sunt regulæ in Codice civili statutæ.

Ea solum dividenda sunt lucra quæ e societate immediate oriuntur, non vero ea quæ ex alia parte sociis obvenire possunt.

Ubi nulla existit specialis conventio circa lucrorum divisionem, partitio fieri debet juxta uniuscujusque participationem. Si, e contra, inita fuerit conventio, ei standum est, etsi primum partitio videatur inæqualis, salvis tamen exceptionibus in art. 1853 positis.

Qui solam contulit industriam, tantum censetur dedisse quantum qui minus dedit, et non reprobatur conventio vi cujus de damno non tenetur, quia ea conventione non obstante, incurrit periculum amittendi fructum suæ industriæ.

Quandonam præcise res in societatem collata periculo sit ipsius societatis, vel adhuc periculo conferentis, statuitur in Cod. civ. art. 1846, 1850 et 1851.

V. De extinctione societatis. — Societas legitime contracta sequentibus modis exstinguitur: 1° ipso adveniente tempore determinato; 2° per negotiationis consummationem et per destructionem rei quæ est objectum aut materia societatis, *art.* 1865; 3° per mortem unius sociorum; tunc societas erga omnes dissolvitur, nisi in principio conventum fuerit quod in hoc casu societas inter cæteros socios et hæredes defuncti permaneret, vel inter cæteros socios duntaxat, et tunc hæredes defuncti statim e societate retrahent ea quæ ad illum in instanti mortis pertinebant, *art.* 1868: in hoc puncto jus novum veteri derogat: nam in jure veteri societas necessario per mortem unius sociorum exstinguebatur; 4° si unus socius interdicatur, vel debitis solvendis impar fiat et declaretur, societas dissolvitur; 5° potest etiam dissolvi ad nu-

tum unius aut plurimorum sociorum, modo hanc dissolutionem in bona fide tempestive petant suamque voluntatem aliis omnibus sociis manifestent. *Cod. civ. art.* 1869. Mala fide petere censetur socius qui ideo renuntiat, ut solus habeat lucrum quod omnibus futurum erat commune; vel intempestive renuntiat, quando scilicet interest societatis, attento negotiorum statu, quod dissolutio non statim locum habeat.

Attamen si societas ad tempus determinatum condita esset, tunc illius dissolutio ante hoc tempus exigi non posset, nisi gravis supervenisset mutatio, v. g., continua unius socii infirmitas, vel mala illius agendi ratio vel infidelitas, etc. *Art.* 1871.

*Quæritur* quid sit triplex contractus et an sit licitus.

*R.* Duplex contractus societati adjici potest, unus scilicet assecurationis capitalis et alter assecurationis lucri, seu venditio lucri majoris ex societate sperati pro minori lucro, sed certo et assecurato. Sic illi contractus institui possunt: Petrus 50,000 fr. ponit in societate cum Paulo, juxta conditiones requisitas; ex societate ista 15 circiter pro 100 sperat: at timens ne sors sua pereat, secundum init contractum cum eodem Paulo et 5 pro 100 illi promittit ut assecurationem sortis in se suscipiat. Hinc si lucretur 15 pro 100, 10 tantum percipiet; si lucretur 10, 5 solummodo, si nihil lucretur, 5 ex propriis solvet Paulo: igitur, societate inita, et contractu assecurationis ipsi superaddito, potest adhuc Petrus plus minusve lucrari, vel nihil lucrari. Tunc tertium eidem Paulo proponit contractum quo illi lucrum majus incertum pro minori vendit, v. g., sperat adhuc 10 pro 100 circiter, sed modo plus, modo minus percipiet, modo nihil; convenit cum Paulo de 5 certis sibi quotannis solvendis, et quidquid supererit ad Paulum pertinebit pro utroque contractu emptionis lucri incerti et assecurationis capitalis. Petrus itaque, quidquid accidat, 5 pro 100 certo percepturus est.

Tres illi contractus, societatis, assecurationis sortis et venditionis majoris lucri incerti pro minori lucro certo,

notissimi sunt in scholis et vocantur gallice, *les trois contrats*. Eos excogitasse dicitur Martinus Navarrus, celeber juria canonici professor, ut placeret Lusitaniæ regi, qui vehementer quærebat medium quo subditi sui ad mutuum mercatoribus præbendum allicerentur.

Nunc quæstio est an triplex ille contractus sit licitus: ut autem solvatur observandum est tres. Circa licitatem horum contractuum observandum est tres illos contractus fieri posse cum diversis personis.

1° Si fiant cum diversis personis, v. g.: Petrus legitimam init societatem cum Paulo; deinde contractum assecurationis capitalis facit cum Jacobo; postea lucrum incertum vendit Philippo: tunc contractus isti sunt liciti. *Ita omnes* et ratio patet.

2° Item licet duos ex tribus prædictis contractibus inire simul cum eadem persona, nempe societatem et venditionem lucri, sorte non assecurata, vel societatem et assecurationem sortis, lucro non vendito. Etenim in utroque casu subsistit societas legitima, et contractus licitus.

3° Legitima societate semel inita, duos contractus assecurationis capitalis et venditionis lucri, cum eodem tertio inire licet; nam est simpliciter venditio juris pretio æstimandi.

4° Probabile videtur tres contractus cum eadem persona successive iniri posse, si bona sit fides; quia nihil aliud est quam duplicem contractum licitum alteri etiam licito adjicere. Diximus *si bona sit fides*, id est, si hæc agendi ratio non adhibeatur ut occulta sit usura.

5° Tres contractus cum eadem persona simul initi ut illiciti et usurarii in praxi haberi debent; nam in illo casu societas resolvitur in mutuum; et lucrum quod inde provenit est lucrum perceptum ratione mutui.

# CAPUT QUARTUM.

## DE CONTRACTIBUS ACCESSORIIS.

Contractus accessorii ii sunt qui fuerunt initi in assecurationem alterius contractus qui ideo dicitur principalis. Tres distinguuntur, nempe fidejussio, pignus et hypotheca .

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE FIDEJUSSIONE.

I. De natura fidejussionis. — Fidejussio, gallice *cautionnement*, est contractus quo unus vel plures ad obligationem alterius adimplendam, ex hypothesi quod illam non impleat, se adstringunt.

Unde contractus iste est accessorius et a contractu principali, cui adjicitur, omnino pendet. Est simul cum illo validus aut invalidus, cum illo reducitur, cum illo exstinguitur.

Si tamen contractus principalis irritari possit ob exceptionem personalem obligato, non ideo fidejussio rescindetur, v. g.; Petrus pro minore spopondit, pro illo facultate rescissionis utente solvere tenebitur. *Art.* 2012. Instituitur ordinarie fidejussio pro debito principali, sed nihil impedit quin instituatur in prioris fidejussionis assecurationem. *Art.* 2014.

II. De extensione fidejussionis. — Extendi non potest fidejussio ultra debitoris principalis obligationem; id sequitur ex natura hujus contractus; si tamen aliter fidejussio instituta fuisset, non ideo est nulla, sed ad principalem obligationem reducitur. Potest e contra fidejussio ad unam partem tantum debiti limitari. *Art.* 2013. Si verbis indefinitis et generalibus exprimatur, ad omnia

debiti accessoria se extendit, etiam ad *interesse* si debeantur, et ad omnes sumptus quos creditor facere vel solvere tenetur. *Art.* 2014 *et* 2016. Hæc fidejussoris obligatio ad ipsius hæredes transmittitur, excepta tamen corporis apprehensione, si usque ad illam se adstrinxisset. *Art.* 2017.

III. De his qui in fidejussores dari et accipi possunt. — Nemo in fidejussorem assumi et dari potest, nisi sit ætate major, sanæ mentis, ad contrahendum habilis, in territorio curiæ imperialis, in qua præbenda est cautio, domicilium habeat, atque bonum immobile possideat sufficiens ut principale debitum solvere queat.

*Hinc* 1° interdicti, minores, mulieres conjugatæ, fidejussores esse non possunt. *Art.* 2018.

*Hinc* 2° si fidejussor a creditore acceptatus fiat impar ad solvendum, debitor alterum præbere tenetur, nisi priorem creditor ex conventione exegerit. *Art.* 2020.

*Hinc* 3° qui fidejussores se constituunt, cum solvendi sint incapaces, præsertim si dubitent an principalis debitor solvere queat, graviter peccant, ac proinde, si creditor ex ista fidejussionis larva damnum aliquod patiatur, illud reparare tenentur.

Si tamen ageretur de fidejussore, vi obligationis antecedentis, legis aut condemnationis non imposito, sed ex libera partium stipulatione præstito, omnes supradictæ conditiones non requirerentur, v. g., non requireretur ut in territorio ejusdem curiæ suum haberet domicilium, ut bona immobilia possideret, etc. *Cod. civ. art.* 2018.

IV. De effectibus fidejussionis. — Effectus fidejussionis spectari debet inter fidejussorem et creditorem; inter fidejussorem et debitorem; denique inter fidejussores, si plures sint.

1° Quia fidejussor non nisi defectu alterius solvere tenetur, si quædam debitoris principalis bona immobilia noscat in territorio curiæ in quo debitum est solvendum sita, ea creditori indicare potest et exigere ut prius vendantur quam ipse solvat : sed omnes justitiæ sumptus præstare debet. Hanc facultatem, quæ vocatur *bénéfice*

*de discussion*, semper habet fidejussor, nisi expresse illi renuntiaverit, vel in solidum pro debitore se obligaverit, tunc enim ad illum creditor statim habet recursum. *Art.* 2021 *et* 2023.

2° Fidejussor qui pro debitore solvit, omnibus creditoris subrogatur juribus; igitur recursum semper habet in debitorem ad pretium quod solvit repetendum, ad *interesse*, sumptus quoscumque et compensationem omnium damnorum quæ passus est, exigendum. *Cod. civ. art.* 2028 *et* 2029.

3° Quando plures pro uno debitore et eodem debito constituti sunt fidejussores, unusquisque ad totum debitum tenetur. Attamen si unus beneficio divisionis conventione expressa non renuntiaverit, exigere potest a creditore ut actionem suam contra omnes fidejussores dirigat. Si unus e fidejussoribus ante divisionem actionis solvendo sit impar, obligatio ejus in cæteros confidejussores refundetur; si vero post actionis divisionem ad solvendum fiat impotens, solus creditor damnum inde exsurgens patitur. Item si ipse creditor actionem proprio motu inter omnes fidejussores diviserit, et unus aut plures partem suam solvere nequeant, cæteri pro eisdem non tenentur. *Art.* 2025, 2026 et 2027.

V. De fidejussionis extinctione. — Fidejussio exstinguitur iisdem causis generatim ac cæteræ obligationes, uti dicitur, art. 2034. Cod. civ. Exstinguitur etiam quando, creditoris facto, fidejussor ipsius juribus, hypothecis et privilegiis subrogari non potest; vel quando creditor bonum immobile aut rem aliam in solutionem accepit, etiamsi postea ille creditor evinceretur. *Art.* 2037 et 2038.

*Quæritur* utrum fidejussor aliquid a debitore pro fidejussione stipulari possit.

*R.* Vel certum est nullum periculum incurrendum esse, vel aliquod periculum incurritur; si prius, nihil exigere potest, quia ipsius actio non est pretio æstimabilis; si posterius, aliquid periculo quod subit proportionatum stipulari potest, nam periculum istud pretio æsti-

mabile est : ergo illud gratuito subire non tenetur, nisi forte ex charitate, si debitor sit pauper. Ita *Habert*, P. *Antoine*, ferme *Collet*, et communius theologi contra *Pontas*, Coll. Paris. et *Juénin*.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE PIGNORE.

I. Quid sit pignus. — Pignus in genere, gallice *nantissement*, est contractus quo debitor rem aliquam creditori tradit ut ex illa solutionem certo habere possit. Res quæ sic traditur, potest esse mobilis vel immobilis. Si sit mobilis, nomen pignoris, *gage*, retinet; si sit immobilis, antichresis vocatur. *Cod. civ. art.* 2071 et 2072.

II. De præcipuis regulis pro simplici pignore. — 1° Qui pignus possidet, facultatem habet solutionem ex illo ante alios creditores obtinendi : sic est privilegiatus. At si creditum centum et quinquaginta fr. excedat, requiritur ut illius existentia certo constet sive per contractum in forma authentica conditum, sive per scriptum sub privato chirographo in acta publica relatum, *enregistré*. *Art.* 2074. Creditor privilegium istud non habet nisi pignus apud ipsum vel apud personam ex utriusque consensu designatam revera manserit. *Art.* 2076.

2° Creditor non habet proprietatem pignoris apud se depositi; proinde illo uti non potest, nec illud propria auctoritate vendere, sed tantum postulare ut, ex sententia judicis, per licitationes vendatur, et solutionem sic obtineat. Quæcumque stipulatio huic dispositioni opposita est nulla. *Art.* 2078.

3° Si pignus ex negligentia creditoris pereat aut deterius fiat, ipsi et non debitori perit aut decrescit, sed debitor solvere debet impensas necessarias et utiles quas creditor in re conservanda aut melioranda fecit. *Cod. civ. art.* 2080.

4° Fructus sive naturales sive civiles quos pignus producit, imputari debent in *interesse* si quæ debitor solvat;

si *interesse* non debeantur, fructus isti debitum pro sua quantitate minuunt. *Art.* 2081.

5° Nisi creditor pignore apud se deposito abutatur, debitor illud repetere non potest, quin integrum solverit debitum; et si novum contrahat debitum cum eadem persona, pignus in assecurationem posterioris crediti sicut et prioris existet. *Art.* 2082 et 2083.

Aliæ sunt regulæ circa pignora quæ traduntur pro debitis ex negotiatione contractis, *art.* 2084, et *Code de Commerce*, *art.* 94 et 96; item aliæ pro mutuis ex Montibus-Pietatis acceptis. Vide decreta *du* 8 *thermidor an* XII, *Belletin* n^os^ 850 et 851.

III. Præcipuæ antichresis regulæ. — 1° Contractus ille in foro externo non admittitur nisi per scriptum constet et probari possit. Creditor proprietatem rei non acquirit, sed tantum jus fructus annuos percipiendi ad solutionem *interesse*, si quæ ipsi debeantur, et ad imminutionem capitalis debiti. *Cod. civ. art.* 2085.

2° Tributa aliaque onera annualia solvere debet nec non reparationes ad rem conservandam necessarias aut utiles facere, alioquin damna inde exsurgentia resarcire teneretur. Ex fructibus perceptis aut percipiendis plene se compensare poterit. *Art.* 2086. Si hæc onera ipsi graviora videantur, semper habet facultatem rem domino remittendi, nisi forsitan altera obstet conventio. *Art.* 2087.

3° Antichresis creditoribus prius hypothecam vel jus aliquod in bonum sic traditum habentibus nocere non potest; qui illud possidet, pretium cum cæteris creditoribus pro ratione et qualitate sui crediti dividet, et nihil ultra accipere potest. *Art.* 2091.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE HYPOTHECA.

I. Quid sit hypotheca. Hypotheca est *jus reale quod habet creditor in bonum aliquod immobile, ut ex illo solutionem obtinere possit, si debitor aliter non solvat.*

Diximus 1° *jus reale*, quia rem sequitur ad cujuscumque manus transierit.

2° *Indivisibile*, quia sic afficit bonum in hypothecam traditum, ut sit totum in toto, et totum in qualibet parte, etiamsi bonum istud inter plures divideretur.

3° *In bonum immobile*, quia bona immobilia solummodo in hypothecam traduntur; *immobilia*, nempe, vel in se, vel ex destinatione, vel boni immobilis accessoria, juxta *art.* 524.

4° *Ut solutionem ex illo obtinere possit*, non enim creditor illius boni proprietatem acquirit, sed tantum jus ut ex illo quod sibi debitum est solvatur.

II. De diversis hypothecæ speciebus. — Triplicis generis distinguitur hypotheca : alia scilicet legalis, alia judicialis, et alia conventionalis.

1° Hypotheca *legalis*, quæ etiam implicita seu tacita dicitur, ea est quæ, vi solius legis, et absque ulla speciali conventione, instituitur. In omnia bona debitoris extenditur, sive præsentia sive futura. *Art.* 2122.

— a) Sic uxores hypothecam in cuncta bona maritorum habent pro dote recuperanda; — b) minores et interdicti in bona tutorum, pro legitima tutelæ administratione; — c) gubernium, xenodochia, aliæque communitates hypothecam habent in bona teloniorum et administratorum, pro justa ac prudenti gestione illis commissa. *Art.* 2121.

2° Hypotheca *judicialis* est illa quæ ex quacumque legitima judicis sententia sequitur in gratiam eorum qui sententiam obtinuerunt, v. g. : judex aliquem damnat ad solvendam multam, ad damnum aliquod resarciendum; tunc vi illius sententiæ cuncta bona immobilia damnati, præsentia et futura, gravantur hypotheca pro multa solvenda vel damno reparando.

Sed requiritur ut illa judicis sententia apud conservatorem hypothecarum inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim habet. *Art.* 2134.

3° Hypotheca *conventionalis*, seu quam partes mutua conventione inter se statuunt, est contractus accessorius et solemnis quo una persona ad contrahendum habilis,

bonum aliquod vel bona aliqua immobilia, quæ specialiter designat, in assecurationem alicujus obligationis determinatæ obstringit. Locum habere non potest pro bono nondum existente. *Art.* 2129.

Contractus ille dicitur solemnis, quia lex nonnullas præscribit formalitates quæ sub pœna nullitatis observari debent. *Art.* 2127 *et* 2129.

Qui bona sua alienare non potest, ea in hypothecam tradere nequit; hinc minores, interdicti et uxores nullas in propria bona instituere possunt hypothecas.

Hypotheca conventionalis bona præsentia tantum afficit et nunquam futura. Si tamen bona præsentia obligationi assecurandæ essent imparia, debitor posset, hanc insufficientiam exprimendo in actu, bona ventura in hypothecæ supplementum assignare. *Cod. civ. art.* 2130.

III. De inscriptione hypothecæ. — Ut autem effectum suum consequatur hypotheca, necesse est omnino ut inscribatur apud conservatorem territorii, in quo sita sunt bona quæ in hypothecam traduntur. Ratio est ne quis per fraudem tradat in hypothecam bona non sua, vel jam aliis hypothecis gravata. Unde unusquisque facile cognoscere potest utrum bonum quod sibi in hypothecam proponitur jam sit gravatum, necne.

Omnes hypothecæ cujusvis generis sic inscribi debent; excipitur tamen hypotheca *legalis* in gratiam uxorum, et eorum qui sunt sub tutela, sive minores sint, sive interdicti. *Art.* 2135. At, lege diei 23 martii 1855, si vidua, minor majoritatem adeptus, interdictus, cessante interdictione, aut eorum hæredes vel causam habentes, inscriptionem fieri non curaverint in anno post dissolutionem matrimonii aut cessationem tutelæ proxime elapso, hypotheca legalis valere cessat contra tertium acquisitorem, nec potest deinceps currere nisi a die inscriptionis postea exaratæ Annus autem ille incipit a die quo primum potuisset fieri exsecutio legis.

Inscriptio autem sic requiri et obtineri potest : creditor per se vel per alium repræsentat conservatori actum judicialem, vel contractum in quo hypotheca fuit stipulata,

cum duabus schedis (*bordereaux*) continentibus indicia requisita ad designandum tum ipsum creditorem, tum debitorem, tum obligationem quæ per hypothecam assecuratur, tum speciem et naturam bonorum quæ gravantur. *Art.* 2148.

Creditor sumptus inscriptionis primum solvit, sed illorum restitutionem a debitore exigere potest, nisi contrarium inter eos statutum fuerit; inscriptio autem est pro decem annis duntaxat, quo temporis spatio exspirante, ipso jure fit nulla, si non fuerit renovata. *Art.* 2154.

Iidem pro renovatione ac pro prima inscriptione debentur sumptus. Cum hypotheca legalis in favorem minorum, interdictorum et uxorum, inscriptione non indigeat, eo ipso renovationem non exigit; non cessat nisi per legitimam debitoris satisfactionem. Ita *Delvincourt*, t. II p. 676. Excipitur tamen casus in quo tutores vel mariti bona sua alienarent; tunc acquisitores hypothecas etiam legales purgare possent utendo viis ad hoc in Codice statutis, art. 2181 et seq.

Hypotheca privilegium inter creditores ejusdem debitoris a die inscriptionis tantum ordinat, et quando plures sunt ejusdem diei inscriptiones, tunc creditores sunt ejusdem rationis quoad privilegium. *Art.* 2134.

IV. De extinctione hypothecæ. — Extinguuntur hypothecæ 1° per solutionem debiti principalis, pro cujus assecuratione data est hypotheca; 2° per renuntiationem creditoris; 3° per adimpletionem formalitatum præscriptarum ut bona ab hypotheca purgentur, *art.* 2181 *et seq.*; 4° per præscriptionem, quæ nempe acquisita est debitori per tempus sufficiens ad præscribendum ipsum debitum principale; tertio autem detentori, per illud tempus quod requiritur ad præscriptionem boni immobilis. *Art.* 2180.

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

# TRACTATUS DE CENSURIS.

in duplicem partem dividetur hic præsens de censuris tractatus; in priore tractabitur de censuris in genere, in posteriore, de censuris in specie.

## PARS PRIMA.

### DE CENSURIS IN GENERE.

De censuris in genere consideratis absolute disseretur in decurrentibus capitibus, prout sequitur : 1^um^ erit de notione generali censurarum ; 2^um^ de potestate ferendi censuras; 3^um^ de his in quo censuræ ferri possunt; 4^um^ de modo ferendi censuras; 5^um^ de causis a censuris excusantibus; 6^um^ de cessatione censurarum.

## CAPUT PRIMUM.

### DE CENSURIS NOTIO GENERALIS.

I. Censura definitur. — Vox *censura*, a verbo *censeo* derivata, apud veteres Romanos erat usitata et significa-

bat sententiam censoris mores corrigentis : quem enim censor in censu seu in descriptione senatorum, equitum, etc., non computabat, is infamia erat notatus, et ex ordine suo ejiciebatur. Hanc vocem usurpavit Ecclesia ut exprimeret pœnam qua filios suos delinquentes corrigere niteretur. Unde censura ecclesiastica communiter definitur : *Pœna spiritualis et medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti et contumaci, aufertur usus quorumdam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1° *pœna*, et per hanc vocem significatur quod censura essentialiter habeat rationem coercitionis delicti; unde differt ab irregularitate, quæ, ut infra fusius explicabitur, sive ex defectu sive ex delicto oriatur, non est aliud nisi inhabilitas quædam ad suscipiendos ordines vel ad eos exercendos.

Dicitur 2° *pœna spiritualis*, quia ex se censura est exclusio a participatione bonorum spiritualium, et ideo pertinet ad ordinem spiritualem ; sed hoc non impedit quin a censuris inducantur quandoque effectus temporales, v. g., privatio fructuum beneficii. A fortiori censura non dicitur pœna spiritualis, quasi Ecclesia pœnas temporales decernere non posset. Hanc equidem potestatem ab Ecclesia adimere ausi sunt quidam malæ famæ auctores, ut *Van-Espen, Nuytz;* sed alibi, nempe in tractatu de Ecclesia, ubi de potestate imperii, demonstravimus Ecclesiam eam habere potestatem infligendi pœnas quæ animam et corpus simul attingant. De hoc non dissentiunt catholici. Vid. bullam *Auctorem fidei*, prop. 5, et decretum diei 25 Aug. 1851, contra *Nuytz*.

Dicitur 3° *medicinalis*, duplicis enim generis distinguuntur pœnæ ab Ecclesia decretæ, ratione finis. Aliæ sunt *vindicativæ*, quæ ad punitionem delicti, ad vindictam delinquentis et ad procurandum bonum publicum præcipue referuntur. Hujus generis pœnæ plures inveniuntur in jure ecclesiastico; v. g., *inhabilitas* ad beneficia dignitates et officia, vel *privatio* eorumdem si jam obtenta fuerint; *depositio*, *degradatio*, *infamia*, quæ pœnæ spirituales vindicativæ dicuntur, *mulcta pecuniaria*, *incarce-*

*ratio, exilium*, etc., quæ sunt pœnæ temporales. Aliæ pœnæ sunt medicinales, quarum finis principalis est correctio peccatoris. Ad hoc genus pertinent omnes et solæ censuræ proprie dictæ. Itaque in hoc tractatu de censuris tantum loquemur, et de pœnis vindicativis non tractabimus, nisi in quantum sint quibusdam censuris annexæ.

Dicitur 4° *qua homini baptizato;* quia Ecclesia non habet potestatem in infideles, nec igitur eos ope censurarum corrigere potest : bene vero potestatem habet in hæreticos, licet quandoque merito judicetur, ex circumstantiis, illam noluisse eos attingere.

Dicitur 5° *delinquenti;* alioquin pœnam non mereretur, et *contumaci*, id est, obedire recusanti, in peccato perseverare volenti; si enim monitus statim obediret, Ecclesia tenera mater eum censuris non afficeret, ut ex pluribus juris canonici capitibus colligitur. Imo si obedire recusans ignoraret pœnam ideo sibi minatam, communiter docent canonistæ eum non incurrere censuram, quia non est stricte contumax. Vide Ligorium, lib. VII, n. 43 et 44; *Reiffenstuel*, lib. v, tit. 39, n. 13, etc.

Dicitur 6° *aufertur usus quorumdam*, etc.; Ecclesia enim per censuras non privat bonis personalibus, v. g., fide, charitate, meritis acquisitis, sed bonis communibus ipsius administrationi commissis, ut jurisdictione spirituali, suffragiis publicis, participatione sacramentorum et sacrificio Missæ, officiis ecclesiasticis, etc.

II. Dividitur censura. — Censura multipliciter dividitur ratione originis, ratione modi quo fertur et ratione suarum specierum.

1° *Ratione originis*, censura dividitur in censuram a jure et censuram ab homine. Censura *a jure* ea est quæ lege vel statuto permanente in omnes hoc vel illud facientes decernitur; censura vero *ab homine* ea dicitur quæ per modum sententiæ aut mandati specialis fertur, et ordinarie in aliquem determinatum.

2° *Ratione modi* quo ferri potest, censura dividitur in censuram latæ sententiæ, et in censuram ferendæ sententiæ. Censura dicitur *latæ sententiæ*, quando ipsi legis

vel mandati transgressioni adnectitur, ita ut per ipsam vetitam actionem, absque ulla superioris sententia, incurritur, v. g., hominem occidendo, clericum percutiendo. Signa hujus censuræ sunt : — a) istæ voces in textu legis expressæ : *ipso facto*, *ipso jure*, *eo ipso*, vel aliæ similes; — b) verba præsentis vel præteriti temporis, v. g., *sit excommunicatus*, *excommunicatur*, *excommunicationis sententia innodandum duximus*, *noverit se esse excommunicatum.*

Censura *ferendæ sententiæ* ea est quam superior jubet infligi, vel minatur se inflicturum : ipso facto non incurritur ; sed per judicis sententiam infligi debet. Agnoscitur — a) si verba sint comminatoria, v. g., *præcipimus sub pœna excommunicationis;* — b) si verba futurum tempus exprimant, aut actionem judicis exigant, v. g., *excommunicabitur, excommunicandus erit, excommunicetur*, etc.

Quando verba sunt ambigua, et dubitatur an censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, pronuntiandum est eam esse ferendæ sententiæ ; nam regula juris 49 sic habet : *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

3° *Ratione specierum*, censura dividitur in excommunicationem, suspensionem et interdictum ; in capite enim 20, tit. 40, l. v Decretal., Innocentius III quærenti *quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi*, respondet intelligendum esse excommunicationem, suspensionem et interdictum. Igitur quidquid extra illas pœnas reperitur, etsi quamdam formam pœnæ retineat, ad censuras proprie dictas referre non licet. Sic cessatio a divinis, quia Ecclesia fuit polluta ; prohibitio facta sacerdoti graviter accusato, licet non convicto, ne sacras obeat functiones, ad vitandum scandalum ; prohibitio, sive ad tempus, sive perpetua, ne sacerdos etiam pœnitens et correctus, Deo reconciliatus, sacris fungatur officiis, quia fideles graviter offenderentur, non sunt censuræ proprie dictæ.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE POTESTATE FERENDI CENSURAS.

Hæc potestas considerari potest dupliciter; nempe in Ecclesia in genere, tanquam ei inhærens, et deinde in iis a quibus hæc potestas exerceri potest.

I. DE POTESTATE QUAM ECCLESIA HABET IN GENERE FERENDI CENSURAS. — Hanc quæstionem jam attigimus in tractatu de Ecclesia, ubi probavimus Ecclesiam potestate coactiva divinitus esse donatam. Sed, pro recta rerum dispositione, hic denuo hanc potestatem vindicare haud inutile erit.

Wiclefistæ et Hussitæ potestatem ferendi censuras suggillabant, ut patet propositione n. 30, inter 45 errores a concilio Constantiensi damnatos, sic habente : « Excom» municatio Papæ vel cujuscumque prælati non timenda, » quia est censura Antichristi. » Lutherus contendebat excommunicationem esse pœnam mere externam tuendæ disciplinæ utilem, sed nullum effectum spiritualem habere ; sic enim se habet prop. 89, inter propositiones Lutheri a Leone X, anno 1520, damnatas : « Excommuni» cationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant ho» minem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus. » *Labbe*, t. XIV. Hic ergo statuendum est existere in Ecclesia potestatem ferendi censuras.

#### PROPOSITIO.

*Ecclesia habet potestatem ferendi censuras.*

Hæc propositio est de fide; probatur Scriptura sacra, testimoniis Patrum, praxi Ecclesiæ et ratione.

*Est de fide,* ut pote definita in concilio Constantiensi et in bulla Leonis X.

*Prob.* 1° *Scriptura sacra.* Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Et ibid. XVIII, 17 : *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.* Hic agitur de corripiendis delinquentibus : Ecclesia igitur aliquas in eos ferre potest pœnas, quæ non sunt mere externæ, cum ligent in cœlo : ergo sunt pœnæ spirituales, seu veræ censuræ. Sic interpretes et traditio hunc intellexerunt textum.

Ea potestate usus est B. Paulus tradens Satanæ incestuosum Corinthium in interitum carnis, ut spiritus salvus esset, I Cor. v, 5; item Hymenæum et Alexandrum, ut discerent non blasphemare. I Tim. I, 20. Ergo 1°.

2° *Testimoniis Patrum.* Tertull. Apol. cap. 39 : « Ibidem » etiam exhortationes, castigationes et censura divina : » nam... summum futuri judicii præjudicium est, si quis » ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et con- » ventus, et omnis sancti commercii relegetur. »

S. Aug. lib. de Fide et Operibus, cap. 26 : « Nisi essent » quædam ita gravia ut etiam excommunicatione plec- » tenda sint, non diceret Apostolus: *Congregatis vobis et* » *meo spiritu tradere ejusmodi Satanæ,* » etc. Ergo 2°.

3° *Praxi Ecclesiæ.* A temporibus enim Apostolorum usque ad nos semper viguit usus ferendi censuras, ut constat canonibus dictis Apostolorum, multis conciliis, summorum Pontificum decretis et tota historiæ ecclesiasticæ serie. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Ecclesia est societas sapientissime constituta : at omnis societas perfecta habet jus privandi subditos delinquentes bonis communibus : ergo et Ecclesia hanc habet potestatem, non in destructionem, sed in bonum individui, ad coercendam ejus contumaciam, ut spiritus salvus fiat, et in bonum fidelium, ne scilicet modicum fermentum totam massam corrumpat. Ergo.

II. De iis in quibus residet potestas ferendi censuras. — Omnis et solus superior ecclesiasticus, habens jurisdictionem sive ordinariam sive delegatam in foro externo, censuras ferre potest.

Diximus 1° *omnis habens jurisdictionem in foro externo*, nam potestas ecclesiastica fori externi instituta est ad servandam disciplinam per leges, præcepta et sententias, seu ad gubernandam Ecclesiam : at talis potestas incompleta et infirma esset, si pœnis rebelles coercere et ad obediendum compellere non posset : ergo quicumque hujusmodi habet jurisdictionem censuras ferre potest.

Diximus 2° *habens jurisdictionem ordinariam vel delegatam*. Etenim qui ordinariam habent potestatem censuras ferendi, eam alteri clerico delegare possunt, quia de natura est jurisdictionis ordinariæ ut per alium idoneum exerceri valeat. Sic aliunde expresse statuitur in Sexto, l. I, tit. 16, cap. 7, *Cum episcopus*. Ex variis autem juris capitibus, laicus delegari non potest, nisi a Papa, qui, ex plenitudine suæ potestatis, juri canonico derogare potest.

Communius et probabilius tenent auctores feminam nec ex suo officio nec etiam ex delegatione pontificali censuras ferre posse, quia feminæ potestatis clavium jure divino sunt incapaces. Ita *Billuart*, *S. Ligorius*, etc. Hujusmodi igitur facultatem nunquam habuerunt abbatissæ. Unde si dicatur in jure eas ab officio vel beneficio suspendere posse clericos sibi subditos, id intelligendum est de quadam prohibitione celebrandi, aliudve officium exercendi, et non de censura proprie dicta, ut advertunt *Bonacina*, *Layman*, *Billuart*, *S. Ligorius*, l. VII, n. 11, etc.

Unde — a) pro Ecclesia universali ferre possunt censuras summus pontifex et concilium generale. — b) Pro provincia ecclesiastica concilium provinciale, et archiepiscopus, tempore visitationis, et quando ad appellationem causam aliquam recipit. — c) Pro diœcesi, episcopus, etsi non consecratus, dummodo sit confirmatus, quia compos est jurisdictionis in foro externo; officialis episcopi per sententiam judicialem, quia eadem censetur esse persona

cum episcopo in contentiosis; vicarii generales episcopi, ut communiter docetur, quia unum cum episcopo faciunt tribunal, sed tantum extra-judicialiter, quia, ut tales, non habent jurisdictionem contentiosam; capitulum ecclesiæ cathedralis, sede vacante; seu vicarius capitularis, cui cura diœcesis committitur; his enim jurisdictio in foro externo competit. — d) Pro religionibus virorum ab Ecclesia approbatis, generales, provinciales, superiores locorum, congregationes religionum, vel capitula provincialia, secundum propria earum statuta, et approbationem Ecclesiæ, quæ his superioribus istam potestatem sola concedere potest.

Diximus 3° *Solus superior... habens jurisdictionem in foro externo.* Etenim, hæc potestas pertinet ad potestatem imperii, seu fori externi; igitur qui nec ex suo officio nec ex delegatione huic potestati publicæ participant, censuras ferre non valent. Unde parochi, qui ex suo officio jurisdictione in foro interno solum gaudent, censuris innodare non possunt suos parochianos. Id olim eis fuerat concessum, ut supponit Alexander III, in Decretal. lib. I, tit. 31, cap. 3: hoc autem a multo tempore obsolevit.

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE HIS IN QUOS FERRI POSSUNT CENSURÆ.

Censuræ in omnes et solos homines baptizatos, viatores, rationis compotes et subditos ferri possunt.

I. De his in quos feruntur censuræ in genere. — 1° *In homines;* soli quippe homines censuræ proprie dictæ sunt capaces. Unde quando locustæ aliave animalia nociva dicuntur excommunicari vel anathematizari, id non debet intelligi de vera excommunicatione, quæ sit censura, sed de quadam adjuratione pro ipsorum interitu vel ex-

pulsione. Eo sensu adjurari possunt infideles, non vero proprie excommunicari. Sic Calixtus III publicas indicavit preces, anno 1456, contra Turcas, et simul contra calamitates quas populi falso tribuebant cometæ tunc splendenti et anno 1835 redituræ, non autem Turcas et cometam excommunicare intendit, ut celebris quidam in astronomia peritus nuper affirmare non erubuit.

2° *Baptizatos;* censuræ enim sunt actus jurisdictionis ecclesiasticæ: Ecclesia autem nullam habet jurisdictionem in non baptizatos. Ergo.

3° *Omnes baptizatos;* nulla etenim est exceptio : quicumque baptizati sunt, jurisdictioni ecclesiasticæ subjiciuntur : ergo omnes censuris ligari possunt, etiam hæretici, schismatici et apostatæ, quia per suam inobedientiam jus Ecclesiæ nec destruere nec limitare potuerunt.

4° *Viatores;* quia ii soli correctionis sunt capaces. Si ergo mortui quandoque in jure dicuntur excommunicari, id intelligendum est de quadam exsecratione, vel de excommunicationis quam ante mortem incurrerant declaratione, vel de excommunicatione indirecta, qua Ecclesia prohibet ne vivi pro iis orent, vel alia officia christiana ipsis exhibeant.

5° *Rationis compotes;* cum enim censura gravem supponat culpam, eo ipso constat rationis incapaces, ut infantes et perpetuo amentes, eam incurrere non posse. Insani, furiosi, ebrii, dormientes censuram tamen incurrere possunt ob delictum vigente usu rationis commissum, eo scilicet instanti quo producitur effectus.

An impuberes doli capaces censuris ligari possint disputant theologi; probabilior videtur sententia affirmans, quia si Deus peccata impuberum pœnis afficiat, cur Ecclesia eos plectere non posset? De facto impuberes rationis compotes, claustra monialium intrantes vel clericum graviter percutientes, excommunicationem incurrunt, ut constat ex concilio Trid., sess. 25, cap. 5, de Regul. et Monial., et ex Decretal. lib. v, tit. 40, cap. 60.

At communiter docetur censuras generaliter latas, sive a jure, sive ab homine, ab impuberibus non incurri, nisi

hoc fuerit expressum, et eos vi monitorii ad revelationem non teneri.

6° *Subditos;* censura enim est actus jurisdictionis; jurisdictio autem exerceri non potest, nisi in subditos. Ergo.

Hinc — a) Papa censuris ligari non potest, quia nullum habet superiorem, et seipsum ligare nequit. — b) Nec episcopi ligantur censuris ab ipsis emanatis, propter eamdem rationem, nec etiam suspensione aut interdicto a jure latis, nisi expressa de ipsis mentio habeatur, ut Innocentius IV expressis verbis statuit in Sexto, l. v, tit. 11, cap. 4. Hæc non exprimitur exceptio pro excommunicatione. — c) Quamvis reges, reginæ eorumque filii episcopis ordinariis subjiciantur quoad spiritualia, ab eis tamen censura ligari non possunt, quia, ex privilegio, hoc reservatur summo Pontifici, ut communiter docent auctores. — d) Eadem ratione censuris episcopi non subjiciuntur religiosi exempti quoad ea in quibus sunt exempti, non vero quoad ea in quibus pendent ab episcopo, v. g., in administratione sacramentorum.

II. Quæstiones ad subditos respicientes. — *Quæritur* 1° an diœcesani extra diœcesim degentes ligari possint censuris sui episcopi.

*R.* 1° Censuris ligantur diœcesani extra diœcesim existentes, si quid sub censura præscriptum, et in diœcesi faciendum omittant, v. g., residentiam, assistentiam synodo, restitutionem furti, revelationem delicti aut impedimenti, etc., quia ibi delinquere censentur ubi non faciunt quod facere tenentur, et sic habet Innocentius III, in Decretal. l. III, tit. 4, cap. 11.

*R.* 2° Item subditi extra territorium delinquentes, ab Ordinario censura per sententiam plecti possunt, quando citati comparere aut satisfactionem dare recusant. At, si agatur de censura *latæ sententiæ*, vel est a jure, et tunc conveniunt omnes eam non incurri extra territorium, quia lex est localis et mediate tantum attingit personas: vel est ab homine; v. g.: Petrus excommunicatur si hoc vel illud faciat aut omittat, et tunc alii affirmant cen-

suram incurri, quia mandatum est personale; alii negant, dicentes mandatum, etsi aliquo sensu personale, nihilominus intra certos limites circumscribi quoad effectus, idque concludunt ex Sexto, lib. I, tit. 2, cap. 2.

*R.* 3° Episcopus extra propriam diœcesim degens, jurisdictionem contentiosam exercere non potest, ac consequenter nec censuras per sententiam judiciariam ferre. Excipitur si contumacia sit adeo manifesta ut cognitione causæ non indigeat, aut si causa in proprio territorio fuerit instructa, vel si episcopus a diœcesi sua injuste fuerit expulsus, quo in casu totam jurisdictionem suam in vicinioribus locis exercere potest; petita, etsi non obtenta, ab Ordinario loci licentia, ut in Clementin., l. II, tit. 2, cap. unico habetur. Legem autem vel statutum aut mandatum, cum censura ei annexa, pro sua diœcesi, ubicumque decernere potest, quia hujusmodi lex vel mandatum non est actus jurisdictionis contentiosæ.

*R.* 4° Prælati regulares subditos suos ubicumque existentes censuris ligare possunt; est *sententia communis.*

*Quæritur* 2° an advenæ ligentur censuris locorum in quibus delinquunt.

*R.* Advenæ, peregrini et vagi censuris locorum in quibus delinquunt ligantur, id est, censuris a jure, propter rationem allatam, sed probabiliter non censuris ab homine. Dicimus *probabiliter*, quia non liquet eos non ligari censura, si mandato episcopi jubentis, v. g., sub pœna excommunicationis, ut qui noscunt auctores talis furti vel homicidii illos manifestent, parere nolint : non videtur enim cur mandatum eos non ligaret in tali casu sicut statutum permanens. Communiter autem docent eos censura per sententiam plecti posse, si ob crimen ibi commissum citati, satisfacere recusent. Vide Decretal. l. II, tit. 2, cap. 14, et l. V, tit. 17, cap. 1.

*Quæritur* 3° an censura jam ligati possint adhuc alia censura ligari.

*R.* Non repugnat eumdem hominem pluribus simul ligari censuris, sicut non repugnat eum pluribus peccatis mortalibus gratiam sanctificantem amittere, sive ob idem

delictum a pluribus superioribus, v. g., a Papa et ab episcopo vetitum, sive ob transgressionem plurium legum quibus annexæ sunt censuræ ejusdem vel diversi generis, sive ob iterationem ejusdem actus sub censura prohibiti.

---

## CAPUT QUARTUM.

### DE MODO QUO CENSURÆ FERRI DEBEANT.

Hic distingui possunt causa ob quam ferri possunt censuræ, et formalitates juxta quas debeant decerni.

I. De causa ob quam feruntur censuræ. — Censuræ ferri non possunt nisi ob peccatum externum, factum cum contumacia, mortale et in genere suo completum.

1° *Nisi ob peccatum*; censura enim, cum sit pœna medicinalis, supponit culpam. Hoc tamen inter censuras datur discrimen quod excommunicatio incurri non possit nisi ob culpam personalem, et ideo Innocentius IV penitus prohibet, cap. 5, tit. 11, lib. v Sexti, ne sententia excommunicationis in universitatem vel collegium feratur. Contra vero suspensio et interdictum communitati ob illius vel capitis ejus culpam infligi possunt, licet aliqui in ea sint innocentes.

2° *Externum;* censura enim, ut supra diximus, est actus fori externi ad externam disciplinam pertinens : ergo inferri non potest ob culpam mere internam.

3° *Factum cum contumacia;* id evidenter supponit ratio censuræ, quæ non est pœna vindicativa, sed ad corrigendum præcipue destinata.

4° *Mortale,* quia censuræ saltem generatim, sunt pœnæ gravissimæ : ergo gravem supponunt culpam. Dicimus *saltem generatim*, ut excipiamus excommunicationem minorem, suspensionem vel interdictum ad paucos dies, quæ ob culpam venialem incurri possunt.

5° *In suo genere completum;* nisi lex positiva dicat solam attentationem sufficere; quia, ex regula juris 15,

*odia restringi convenit* : unde latam excommunicationem propter homicidium non incurreret qui, ex intentione hominem occidendi, eum graviter tantum vulneraret.

At sedulo attendendus est actus cui imponitur censura, et pensanda sunt verba legis aut sententiæ; nam sæpe mandantes, consilium dantes, vel aliter ad actum principalem, v. g., ad duellum, ad raptum cooperantes, eadem censura plectuntur.

II. De formalitatibus juxta quas decerni debent censuræ. — Istæ formalitates spectant sive ad monitionem delinquentis, sive ad judicis sententiam.

1° Monitio est declaratio talis pœnæ infligendæ pro tali delicto; unde differt a citatione qua delinquens coram judice appellatur. Censura ferri non potest, nisi præmissa aliqua monitione signis externis sufficienter expressa. Aliqua præmittenda est monitio, ut expresse habetur in Decretal. l. v, tit, 39, cap. 48, et ratio est quia censura, cum sit pœna medicinalis, supponit contumaciam; dici autem non potest aliquem esse contumacem, si nullo modo præmonitus fuerit. Diximus signis externis sufficienter expressa; censura enim est actus fori externi; ergo interna voluntas superioris non sufficit, nisi verbo, scripto aliove signo innotescat.

In censuris autem a jure vel etiam ab homine pro culpa futura, non requiritur monitio a lege vel prohibitione superioris distincta : ista quippe lex vel prohibitio quasi perpetua est monitio.

Ubi tamen censura est ferendæ sententiæ, specialis requiritur sententia ad declarandam censuram, et reus citari debet ut facti sui excusationem offerat, nisi, juxta communiorem sententiam, culpa adeo sit notoria, ut constet nullam allegari posse excusationem. Vide *Collet*, Curs. compl., t. XVII, col. 56; Coll. Andeg., etc.

Verum in censuris ab homine, pro culpa præsenti vel præterita, præter citationem omnino requisitam, semper necessaria est monitio necessitate præcepti, ut Alexander III, in Decretal. l. II, tit. 28, cap. 26, relatus statuit. Imo probabilius videtur monitionem canonicam ad essen-

tiam censuræ pertinere, et ipsum Papam aliquem censura proprie dicta valide innodare non posse, nulla monitione præmissa; quia in eo casu nulla existeret contumacia, et censura ferri non potest nisi in contumaces. Ita S. Ligorius, l. VII, n. 53, et multi cum illo.

Ut sententia sit licita, trina requiritur monitio canonica, et tamen una pro tribus sufficit, modo id enuntietur, et tempus æquivalens concedatur, videlicet sex dies. Aliquando tamen si periculum sit in mora, v. g., si clericus ducatur ad mortem, si reprimenda sit violentia hic et nunc exercita, unica sufficit monitio sine tribus spatiis, modo assignetur terminus. Colligitur ex decreto, part. 2, causa 24, q. 3, can. 6, ex pluribus cap. tit. 11, de Sententia excommun., l. v, in Sexto, et ita S. Ligorius, cum pluribus aliis, l. VII, n. 56.

2° *Quoad sententiam*, ad validitatem censuræ nulla præscribitur forma, nisi ut signo sensibili exprimatur et etiam ut persona, crimen et pœna sufficienter determinentur. Verum, si per modum sententiæ judiciariæ pronuntietur, ut sit licita, servandæ sunt solemnitates ab Innocentio IV præscriptæ, et in Sexto, l. IV, tit. 11, cap. 1, relatæ, nempe ut sententia sit scripta, causam censuræ exprimat, exemplar illius superior infra mensem tradere teneatur, si requisitus fuerit, et super hac requisitione det publicum instrumentum seu litteras testimoniales, sigillo authentico consignatas.

## CAPUT QUINTUM.

### DE CAUSIS A CENSURA EXCUSANTIBUS.

Plurimæ sunt causæ quæ a censuris excusant, sive patientem seu censuratum spectantes, sive ipsammet censuram. Dantur :

1° *Ignorantia invincibilis*, sive juris, sive facti, *ut in*

*Tractatu de Actibus humanis probavimus :* a censura vero non excusaret ignorantia vincibilis aut supina, quia non excusat a peccato, et sic statuitur in Sexto, lib. 1, tit. 2, cap. 2.

*Hinc* — a) qui percutit vel occidit clericum, invincibiliter ignorans esse clericum, excommunicationem contra clericorum percussores latam non incurrit, quia licet reus sit homicidii, immunis est a sacrilegio cui annexa est censura : si sciret esse clericum, et ignoraret legem Ecclesiæ, vel pœnam ab Ecclesia decretam, eam probabilius adhuc non incurreret, quia non esset contumax erga Ecclesiam. *Ita communiter auctores.*

*Hinc* — b) qui, in dubio de existentia censuræ, rem cui revera annexa est censura facit, censuram incurrit si mortaliter peccet ; censetur enim contumax erga Ecclesiam.

*Hinc* — c) si ignorantia vincibilis a gravi culpa excuset, eo ipso a censura excusat. Patet ex superius dictis, ubi de culpa ad incurrendam censuram requisita.

*Hinc* — d) si inadvertentia, parvitas materiæ, defectus consensus a gravi peccato excusent, excusant pariter a censura.

2° *Metus respective gravis*, si agatur de præcepto ecclesiastico, plerumque tollit obligationem ac proinde censuram, quia lex ecclesiastica in se sumpta non obligat cum tanto incommodo. Dicimus *plerumque*, quia fieri potest ut obligatio cum metu gravi existat ; v. g., si episcopus sub pœna censuræ jubeat ut parochus, vel ejus defectu vicarius, sacramenta peste infectis administret. Si autem de præcepto naturali aut divino ageretur, plures adhuc dicunt censuram non incurri, quamvis adsit peccatum, quia lex ecclesiastica eam imponens desinit obligare, nec igitur est contumacia contra Ecclesiam. At in utraque hypothesi, si metus, etsi gravis, in contemptum Ecclesiæ incuteretur, a peccato gravi non excusaret, nec igitur a censura.

3° *Impotentia, sive physica, sive moralis,* quia, ex regula juris 6, *nemo potest ad impossibile obligari :* unde talis impotentia excusat a peccato : ergo et a censura.

4° *Appellatio legitime facta.* Censura ferri potest sub conditione, ut patet ex Decretal. l. II, tit. 28, cap. 40, et tunc non existit de facto ante impletionem conditionis. Si autem ante conditionis impletionem fiat appellatio legitima, suspenditur censura; non item post conditionis purificationem, quia censuram jam existentem non aufert appellatio, ut habetur in cap. 53 ejusdem tituli libri modo citati.

Ut appellatio autem sit legitima, tres requiruntur conditiones, — a) videlicet causa sufficiens : nam « appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed » ad præsidium innocentiæ institutum, » ait Honorius III in Decretal. lib. II, tit. 28, cap. 51; — b) ut ab inferiori judice ad superiorem fiat : unde vana esset appellatio ab Ecclesia dispersa vel a Papa, ad concilium generale : hæ appellationes damnatæ sunt a Martino V, a Julio II, a Leone X, a Gregorio XIII (*Ferraris*, v° *Appel.*, art. 3, n. 4, etc.). —c) Ut fiat tempore statuto, id est, de jure communi, intra decem dies a die publicationis sententiæ, ut docent canonistæ ex Sexto, l. II, tit. 15, cap. 8.

5° *Invaliditas evidens censuræ.* Censura evidenter invalida nullatenus obligat, ut ex solis terminis patet et generaliter docent auctores. Attamen si invaliditas sit occulta, censura pro foro interno nulla, suos obtinet effectus in foro externo, propter reverentiam potestati ecclesiasticæ debitam : unde qui propter allegationem falsam fuit excommunicatus aut interdictus, censuram servare tenetur, non vi censuræ, quæ nulla est, sed vi legis naturalis dictantis vitandum esse scandalum. Recurrat ad superiorem, veritatem ei patefacere conetur, et interea ab eis quæ censura prohibet, saltem coram personis quæ invaliditatem ejus ignorant, caute abstineat. Insuper caveat ne sibi illudens, ut invalidam habeat censuram reipsa validam : in eo casu consulendi sunt viri prudentes, et in dubio standum est judicio superioris. Ita ipse S. Ligorius, lib. VII, n. 68, cum pluribus aliis Probabilistis, *quia in dubio possidet potestas judicis.* Unde perniciosæ judicatæ sunt propositiones *Quesnel* in bulla *Unigenitus*, n. 91 et

92 recensitatæ, quibus hortatur ad contemnendam excommunicationem injustam.

Censura potest esse injusta et tamen valida, si nempe ob causam sufficientem, sed ex inordinatis motivis, omissis solemnitatibus requisitis non substantialibus, etc., feratur : tunc superior peccat, et nihilominus censura obligat.

In dubio vero an incursa sit censura, v. g., an percussio clerici satis fuerit injuriosa, an censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, an conditio apposita in sententia sit impleta vel non, communiter docetur eam haberi posse ut nullam, donec pronuntiaverit judex, quia restringendæ sunt pœnæ, ex regula juris 15 : *Odia restringi convenit.*

---

## CAPUT SEXTUM.

### DE CESSATIONE CENSURARUM.

I. Modus quo cessant censuræ. — Censuræ proprie dictæ et jam incursæ non cessant per mortem superioris, nec per emendationem rei, nec per ejus mortem, nec per dispensationem; censura enim est vinculum spirituale animam ligans, quod semel contractum perdurat donec actu jurisdictionis dissolvatur : ille autem actus non est dispensatio, sed vera absolutio : ergo. *Ita omnes*, ex pluribus juris capitibus.

Diximus 1° proprie dictæ, quia censuræ ad tempus duraturæ, ad modum pœnæ vindicativæ, non per absolutionem, sed per tempus elapsum cessant.

Diximus 2° *jam incursæ*, quia si censura sub conditione lata fuisset, et superior decederet, conditione nondum impleta, eo ipso cessaret. Item si superior, qui aliquid sub pœna censuræ mandavit, moriatur antequam contracta fuerit censura, mandatum cum sua pœna exspirat.

Non ita cessaret statutum generale aliquid præscribens aut prohibens sub pœna censuræ.

II. De his qui a censuris absolvere possunt. — 1° A censuris ab homine per sententiam vel per mandatum particulare latis solus qui eas tulit, vel ejus successor aut superior, aut ad hoc legitime delegatus, absolvere potest, quia est causa determinata cognosci cœpta, quæ ideo ab alieno judice terminari non debet, alioquin ordo judicandi turbaretur. Si ageretur de censuris ab homine per modum generalis mandati latis, v. g., in eos qui tale admiserint crimen, multi docent quemvis sacerdotem approbatum ab eis absolvere posse, modo a superiore non fuerint reservatæ. S. Ligorius, l. vii, n. 73, hanc tradit sententiam et probabiliorem.

2° A censuris a jure latis, et non reservatis, quilibet sacerdos approbatus absolvere potest, et idcirco in forma absolutionis sacramentalis his utitur verbis : *Ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, inquantum possum et tu indiges.* Ita generaliter theologi et canonistæ, innixi ultimis verbis c. 29, tit. 39, l. v Decretal. et praxi Ecclesiæ. Quamvis enim simplices sacerdotes, ad audiendas confessiones approbati, jurisdictionem in foro externo non habeant, ad solvenda censurarum vincula certe delegari possunt : atqui, ex usu Ecclesiæ, quicumque ad audiendas confessiones simpliciter approbantur, eo ipso jure delegantur ad absolvendum a censuris non reservatis, et eorum absolutio valet etiam pro foro externo, ut dicunt S. Ligorius, l. vii, n. 70, et multi cum illo. Sed absolutio a confessario data non valet pro foro externo, si censura sit notoria. *Reiff.* l. v, tit. 39, n. 346; Coll. Andeg., t. XIII, p. 88, etc.

3° A censuris reservatis is solus absolvere potest cui reservantur, vel ejus successor, vel ipsius quoad hoc superior, aut legitime delegatus : optime enim intelligitur illusoriam fore reservationem si alius absolvere posset, et aliunde reservatio efficit ut alius jurisdictionem in dictas censuras non habeat. Ergo, etc. Successor autem cum eamdem habeat jurisdictionem, nullum est dubium quin

a censuris a prædecessore suo latis absolvere possit. Item superior quoad hoc, ut dictat ratio et habetur in Decretal. l. I, tit. 31, c. 8. Dicimus *superior, quoad hoc*, quia archiepiscopus, quamvis superior episcopis sibi suffraganeis, eorum subditos tamen absolvere non potest, nisi in casu appellationis aut visitationis ubi est in usu, ut in Sexto, l. v, tit. 11, cap. 7, statuitur. Unde concluditur eos qui habent potestatem absolvendi a censuris summo Pontifici reservatis, non ideo ab eis quas episcopus sibi reservavit absolvere posse.

Tempore Jubilæi, omnes confessarii extraordinariam habent potestatem absolvendi a censuris reservatis; ut extensio illius potestatis noscatur, attendenda sunt verba concessionis prout sunt in bulla summi Pontificis.

III. Qua forma censuræ absolvantur. — Nulla requiritur forma verborum signorumve determinata ut absolutio a censuris valeat; sufficit ut voluntas superioris aliquo sensibili signo manifestetur. Ut autem hæc absolutio sit licita, servanda est forma in Rituali præscripta, si detur in foro externo; si in foro interno, tantum utendum est forma consueta : *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*, etc.

*Notandum* absolutionem a censuris non esse sacramentalem, sed relaxationem vinculi ab Ecclesia impositi; quæ relaxatio pronuntiari potest in absentes per nuntium, per litteras, ut in pluribus juris canonici locis supponitur, et sæpe factum est. Hoc tamen intelligendum est de iis qui habent potestatem ordinariam; delegati enim verbis delegationis vel consuetudini receptæ derogare non debent. Unde simplices presbyteri, ad audiendas confessiones approbati, extra pœnitentiæ tribunal a censuris absolvere nequeunt.

# PARS SECUNDA.

## DE CENSURIS IN SPECIE.

In specie tres dantur censuræ, nempe excommunicatio, suspensio et interdictum. De his dicetur in triplici capite.

## CAPUT PRIMUM.

### DE EXCOMMUNICATIONE.

QUID ET QUOTUPLEX EXCOMMUNICATIO. — *Excommunicatio*, idem significans ac extra communionem, *est censura qua quis usu bonorum spiritualium fidelibus communium totaliter vel partialiter privatur*. Duplex enim distinguitur excommunicatio, major scilicet et minor. Major externa fidelium communione totaliter privat, et facit ut excommunicatus sacramenta Ecclesiæ nec suscipere, nec administrare possit ; minor vero ab eorum participatione passiva tantum privat. Hæc distinctio sæpe invenitur in jure.

Rursum in duplicem classem distinguuntur ii qui excommunicatione majori plexi sunt, alii nempe sunt vitandi et alii tolerati : ii dicuntur vitandi a quorum consortio abstinere jubentur fideles, et tolerati ii sunt quos fideles nullatenus vitare tenentur.

*Notandum* omnes excommunicatos ante concilium Con-

statiennse vitandos fuisse, modo constaret eos excommunicationem incurrisse : sed, ad vitanda scandala et multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingebant, Martinus V, Constitutione incipienti *Ad vitanda scandala*, statuit ut deinceps ii soli vitandi essent qui nominatim et publice fuissent denuntiati et notorii clericorum percussores. Hæc autem Martini V concessio facta est unice in favorem fidelium, non vero in gratiam excommunicatorum. Effectus igitur excommunicationis iidem sunt respectu eorum ac erant antea, sed non respectu fidelium.

Tandem respectu modi quo ferebatur, notandum triplicem olim fuisse excommunicationis speciem, scilicet *simplicem*, quæ solis verbis proferebatur; *anathema*, quod cum solemnitate et pluribus adhibitis cæremoniis, ad ostendendam sceleris admissi enormitatem, pronuntiabatur, et *maranatha*, quo excommunicatus ab Ecclesia derelictus, ad solius Dei judicium remittebatur. Bened. XIV, de Synodo diœces., l. x, cap. 1, n. 7.

Dicemus 1° de excommunicatione minore; 2° de excommunicatione majore; 3° de monitoriis, quæ ad excommunicationem annectuntur.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE EXCOMMUNICATIONE MINORI.

Excommunicatio minor contrahitur ab iis qui modo illicito cum excommunicato non tolerato, de quo infra, communicant, et duplex est tantum illius effectus, scilicet privatio passiva sacramentorum, et privatio passivæ electionis, id est, qui excommunicatione minori est innodatus nec sacramenta suscipere, nec ad officium aut beneficium elegi potest; sed eadem sacramenta administrare, non tamen sine peccato veniali juxta multos, et in electione suffragium suum emittere potest, ut patet ex Decretal. lib. v, tit 27, cap. 10. Quilibet confessarius ab ea excommunicatione absolvere potest, ex Decretal.,

l. v, tit. 39, cap. 29. Hæc de excommunicatione minori sufficiunt.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE EXCOMMUNICATIONE MAJORI.

Rursum seorsim disseremus 1° de effectibus excommunicationis majoris, 2° de præcipuis excommunicationibus a jure latis, ipso facto incurrendis.

#### § I. — De effectibus majoris excommunicationis.

Illi effectus considerari possunt vel respectu excommunicatorum, vel respectu fidelium.

I. DE EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS RESPECTU EXCOMMUNICATORUM. — Effectus qui immediate excommunicationem sequuntur infra enumerantur :

1° *Privatio publicorum Ecclesiæ suffragiorum.* Illa suffragia sunt missæ sacrificium, horæ canonicæ, orationes, indulgentiæ, etc. Hæc enim a ministris, nomine Ecclesiæ agentibus, cunctis fidelibus applicantur; sed excommunicati, sive denuntiati, sive tolerati, ab ea applicatione excluduntur. Licet tamen orare et etiam Missam offerre pro iis omnibus privatim, imo probabiliter quandoque nomine Ecclesiæ pro toleratis, ut agendo de Missæ sacrificio explicavimus. Ecclesia quæ, feria IV in Parasceve, publice orat pro schismaticis, hæreticis et paganis, pro excommunicatis non orat, sicque eos specialiter afficit pœna in hac die immensæ misericordiæ.

2° *Privatio passiva sacramentorum.* Excommunicatus enim etiam toleratus mortaliter peccaret si sacramentum aliquod susciperet, nisi forte gravis causa, v. g., necessitas vitandi scandalum, infamiam, etc., eum excusaret; censura quippe non obligat cum tanto incommodo. S. Ligorius, l. VII, n. 158. Attamen, si susciperentur sacramenta a quodam censurato, valida essent quoad substantiam;

excepto sacramento pœnitentiæ, si prohibeatur recipere priusquam absolvatur a censura. Sic *Busembaum*, lib. VII.

3° *Privatio activa sacramentorum*; id est excommunicatus mortaliter peccaret sacramentum aliquod administrando nisi necessitas, v. g., subveniendi adulto in extremis posito per Pœnitentiam, vel, si confiteri non possit, per Extremam-Unctionem, vel puero per Baptismum, eum excusaret. Valida tamen sunt sacramenta ab excommunicato tolerato administrata, quia suam retinet jurisdictionem in aliorum utilitatem; imo valerent ab excommunicato vitando collata, excepta pœnitentia, quæ, ob defectum jurisdictionis, non valeret, nisi in articulo mortis.

4° *Privatio divinorum officiorum*, quæ in eo consistit quod excommunicatus ea celebrare nequeat, nec eis assistere, v. g., Missæ, horis canonicis, processionibus, consecrationi S. Chrismatis, benedictioni solemni aquæ, cinerum, palmarum, etc., nisi necessitas vitandi infamiam aut scandalum excuset, ex Decretal. l. v, tit. 39, cap. 29 et 43, et ex Sexto, l. v, tit. 11, cap. 24.

Attamen qui ratione Ordinis, voti, vel beneficii horas canonicas recitare tenetur, ab eis per excommunicationem non excusatur; sed privatim eas recitare debet, absque alterius consortio, ut expresse docent theologi. Vide S. Ligorium, l. VII, n. 178. Etsi presbyter vel diaconus sit, dicere debet: *Domine, exaudi orationem meam*, loco *Dominus vobiscum*. Si tamen diceret: *Dominus vobiscum*, aut cum socio recitaret, venialiter tantum peccaret, et nullo modo si esset toleratus, et ab altero rogatus, cum illo recitaret. Ita S. Ligorius et plures cum illo.

*Notandum* quod excommunicatus in sua excommunicatione voluntarie remanens, probabilius peccet contra Ecclesiæ præcepta audiendi sacrum, suscipiendi Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta, quia lex præcipiens auditionem Missæ et sacramentorum susceptionem, eo ipso ad removenda impedimenta ab ipsius voluntate pendentia obligat. Ita *Billuart*, *Collet*, *Dens*, etc. Concionem audire potest, sed ea peracta statim exire debet, vex ex-

pellendus est; id sequitur ex Decretal. l. v, tit. 39, cap. 43.

Excommunicatus potest, ut patet, privatim orare, sacras imagines et reliquias habere easque venerari, aquam benedictam sumere, panem benedictum edere, aliisque sacramentalibus uti, non quidem ut obtineat fructum quem ex benedictione vel institutione Ecclesiæ producunt, sed ut ea ex pietate veneretur. Potest etiam, tempore quo non celebrantur officia divina, ecclesiam ingredi et ibi seorsum orare. Vide S. Ligorium, l. VII, n. 174.

5° *Inhabilitas ad quodvis officium vel beneficium ecclesiasticum;* per hunc effectum excommunicatus, etiam toleratus, cum aliis licite communicare, vel officium exercere non potest; inde sequitur eum ad suscipiendum munus ecclesiasticum inhabilem esse, et ita statuit Innocentius III, in Decretal. l. v, tit. 27, cap. 7. Excipitur si beneficium vel officium a summo Pontifice conferatur, quia summus Pontifex in provisionibus apponere solet clausulam absolutionis a censura quæ effectum concessionis impedire posset. In eo casu valet absolutio censuræ etiam ignotæ, excepta excommunicatione ob hæresim incursa quæ speciali indiget absolutione. Excommunicatio per se non privat beneficio jam acquisito, nec fructibus ejus, ut fert probabilior sententia; verum si excommunicatus uno anno in excommunicatione perseveret, beneficio legitime acquisito privari potest.

6° *Privatio usus jurisdictionis;* si excommunicatus sit non toleratus, usus indebitus jurisdictionis ex ejus parte esset invalidus; unde non potest valide eligere, conferre, præsentare, ferre leges vel sententiam : et qui sic beneficium a non tolerato accepit, dicendus est intrusus, ac proinde tenetur, sine alia juris declaratione, beneficium una cum fructibus relinquere.

Si vero excommunicatus sit toleratus, graviter peccat indebita jurisdictione utendo, absente necessitate; sed probabilius est ejus acta esse valida, propter bonum commune. Sic *Busembaum*, lib. VII, S. Ligorius, lib. VII.

7° *Nullitas rescriptorum apostolicorum* est etiam effectus excommunicationis, ex Sexto, lib. I, tit. 3, cap. 1, et

ideo in rescriptis introducta est clausula absolutionis a censuris.

8° *Privatio sepulturæ ecclesiasticæ*, ut habetur in Decretal. l. III, tit. 28, cap. 12. Polluitur locus sacer in quo sepelitur excommunicatus, et qui eum scienter sepeliunt, excommunicationem etiam majorem incurrunt. Si tamen excommunicatus signa pœnitentiæ ante mortem dederit, absolvi et sepultura donari poterit.

Hæc de excommunicato vitando intelligenda sunt; excommunicatus namque toleratus sepultura ecclesiastica non privatur, nisi ut talis publice cognoscatur, aut alia ratione excludendus sit. In nulla autem hypothesi cœmeterium sepultura hujus excommunicati polluitur jure communi.

9° *Privatio communicationis forensis* excommunicato officit, ita ut excommunicatus non possit esse judex, advocatus, testis, etc., ex Decretal. l. II, tit. 27, cap. 24, et Sexto, l. V, tit. 11, cap. 8. Attamen cum hæc exceptio in foro nostro civili non admittatur, si ab ipso talia requirantur, non peccabit ea præstando, modo curam habeat ut quam primum reconcilietur.

10° *Privatio communicationis civilis* quæ consistit in commercio inter homines in societate viventes solito, v. g., eos visitando, cum illis colloquendo, ad eos scribendo, eos salutando, cum eis cohabitando, contrahendo, laborando, etc. Hæc omnia vetantur excommunicato etiam tolerato, nisi ab ipso in commodum aliorum exigantur. Decret. part. 2, causa 11, q. 3, can. 18; Decretal. l. V, tit. 39, cap. 39, etc.

Præter effectus supra memoratos, duo alii quandoque sequuntur per accidens, nempe irregularitas de qua infra dicemus, et nullitas absolutionis generalis in Litteris Pontificiis expressæ, si excommunicatus uno anno in excommunicatione perseveret.

II. De effectu excommunicationis respectu fidelium. — Quamvis excommunicatus toleratus, sicut vitandus, omnem communicationem cum fidelibus vitare debeat, fideles eum vitare non tenentur, vi Constitutionis Mar-

tini V, *Ad vitanda scandala*, sed dumtaxat excommunicatum non toleratum. In sequentibus autem casibus eum vitare debent.

1° Sacerdotes aliique ministri Ecclesiæ pro eo publice orare aut Missam offerre non debent.

2° Sacramenta Ecclesiæ coram illo ministrare vel officia divina celebrare non licet, et clerici qui admitterent ad officia divina excommunicatum a Papa, excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrerent, ut in Decretal. l. v, tit. 39, cap. 18, statuitur : qui vero alios admitterent excommunicatos, excommunicationem minorem contraherent, et ab ingressu ecclesiæ prohiberentur donec prælato a quo lata fuisset sententia satisfecissent, ex Sexto, l. v, tit. 7, cap. 8.

3° Stricte prohibitum est clericis et laicis divinis officiis coram excommunicato vitando assistere, quia eo ipso cum illo communicarent in divinis. Unde si talis excommunicatus interveniat dum officium celebratur, nec possit excludi, cessandum est. Ipsa Missa esset interrumpenda, saltem ante canonem ; hoc autem incepto, sacerdos cum solo ministro, cæteris abeuntibus, pergeret usque ad communionem inclusive, reliqua vero in sacristia perageret. S. Ligorius, l. VII, n. 177.

4° Prorsus illicitum est sacramenta ab excommunicato denuntiato petere aut accipere, nisi urgeat extrema necessitas, ut supra explicavimus, et alius sacerdos deficiat. Idem dicendum est de excommunicato etiam non denuntiato, qui sectæ publice separatæ et anathematizatæ adhæreret. Videantur quæ in Decalogo dicta sunt de pœnis hæreticorum et schismaticorum.

Ab aliis vero excommunicatis sacramenta petere licet, servatis tamen iis conditionibus quas in Tractatu *de Sacramentis in genere* indicavimus erga eos qui sacrilege administrare præsumuntur.

5° Fideles eum vitare debent non solum in divinis, sed etiam in rebus profanis, prout in sequenti versu exprimitur:

Os, orare, vale, comunio, mensa negatur.

*Os*, per quod intelligitur osculum, colloquium etiam privatum, per nutus, litteras, internuntium, et quodvis benevolentiæ signum.

*Orare*, id est quælibet communicatio in divinis, de qua supra diximus.

*Vale*, quod comprehendit omnem salutationem honorificam, verbo, signo, amplexu, et, juxta multos, etiam resalutationem et urbanitatis signa, quod tamen alii negant, præsertim si excommunicatus sit superior vel persona publica. Vide S. Ligorium, l. VII, n. 192 et 193.

*Communio*, per hanc vocem intelligitur omnis mutua concertatio et quæcumque societas cum excommunicato, ut cum illo collaborare, sedere, habitare, dormire, contractum inire, etc. Si tamen hæc non fierent per modum societatis, sed ex occasione, ex propria necessitate, v. g., deambulare in eadem via, commorari in eodem diversorio, dormire in eodem cubiculo, sine ulla concertatione, prohibita non essent.

*Mensa*, qua intelligitur omnis convictus et convivia per modum societatis et commercii.

Omnia quæ præcedunt statuuntur in Decreto, parte 2, causa 11, q. 3, can. 16, 17, 18 et 24.

Plurimi sunt tamen casus in quibus cum excommunicato denuntiato communicare licet, et sequenti versu exprimuntur :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1° *Utile*, per quod intelligitur utilitas spiritualis vel corporalis ipsius communicantis vel alterius tertii, ut petere ab excommunicato debitum, eleemosynam, consilium, medicinam pro se vel pro aliis, etc. Item utilitas ipsius excommunicati, ut dare ei eleemosynam, consilium, eum ad conversionem exhortari, ægrotantem sublevare, etc. Excommunicatio enim est pœna medicinalis ad excommunicati salutem, non vero ad ejus destructionem.

2° *Lex* significat matrimonium, cujus leges per ex-

communicationem unius conjugis non solvuntur : unde conjux excommunicati denuntiati cum illo habitare, vivere, dormire, etc., potest et tenetur, perinde ac si excommunicatus non esset.

3° *Humile*, hoc verbo intelligitur subjectio; unde liberi communicare possunt cum parentibus excommunicatis, et famuli cum dominis.

4° *Res ignorata*, id est, qui ignorat aliquem esse excommunicatum, non peccat cum illo communicando, nisi ignorantia facile depelli possit.

5° *Necesse*, id est, si aliqua excommunicati vel alterius necessitas physica aut moralis communicationem exigat, v. g., periculum mortis, vel metus alterius gravis aut notabilis damni.

Cunctæ illæ exceptiones reperiuntur in Decreto, parte 2, causa 11, q. 3, can. 103.

Qui extra præfatos casus cum excommunicato denuntiato communicat in divinis, peccat mortaliter; si communicet in profanis, etsi excommunicationem minorem incurrat, venialiter tantum, secluso contemptu, peccare censetur. Ita S. Ligorius, l. VII, n. 196, et plures apud ipsum.

### § II. — De præcipuis excommunicationibus a jure latis et ipso facto incurrendis.

Inter excommunicationes latæ sententiæ, aliæ nulli reservantur, aliæ reservantur episcopis, et aliæ summo Pontifici.

I. EXCOMMUNICATIONES PRÆCIPUÆ NULLI RESERVATÆ. — Usitatiores sunt *contra omnes* : 1° in eos qui vexant clericos directe vel indirecte, eo quod eligere noluerint eum pro quo rogati fuerant, Sexti l. I, tit. 6, cap. 12; 2° in eos qui vocati ad dirigendas monialium electiones, discordias fovent, ibid. cap. 43; 3° in extorquentes absolutionem a censura per vim aut metum, ibid. l. I, tit. 20, cap. unico; 4° in compellentes ecclesiasticos ut jura Ecclesiæ laicis submittant, ibid. l. III, tit. 9, cap. 3; 5° in

docentes leges vel medicinam religiosos qui dimiserunt habitum, vel eos in scholis suis retinentes, ibid. l. III, tit. 24, cap. 2; 6° in sepelientes tempore interdicti, vel interdictos aut excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios, Clem. l. III, t. 7, cap. 1; 7° in impedientes visitatores monialium, Clem. l. III, tit. 10, cap. 2; 8° in contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis vel cum monialibus, Clem. l. IV, tit. unico, cap. unico; 9° in eos qui concilium Tridentinum per glossam interpretantur, ex bulla 73 Pii IV, *Benedictus Deus*, de qua diximus in Tractatu *de Legibus*, part. 2, c. 6, art. 1; 10° in imprimentes libros sine superiorum licentia, ex bulla 12 Leonis X, et in eos *qui libros hæreticos vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerint vel habuerint*, ut fert Regula Indicis X; 11° in cogentes injuste ad matrimonium, conc. Trid., sess. 24, cap. 9 de Reform. matrim.; 12° in falso affirmantes matrimonia filiorumfamilias, sine consensu parentum contracta, esse irrita, ac parentes ea rata vel irrita habere posse, ibid. cap. 1; 13° in abortum fetus animati attentantes, ex Const. Greg. XV, incipiente *Sedes Apostolica;* 14° in docentes necessariam non esse confessionem sacramentalem ante sumptionem Eucharistiæ, concil. Trid. sess. 13, can. 11; 15° in raptores mulierum et in omnes consilium et favorem eis præbentes, ibid. sess. 24, cap. 6 de Reform. matr.; 16° in ingredientes septa monialium, cujuscumque generis, conditionis, sexus vel ætatis fuerint, sine licentia episcopi vel superioris scriptis data, ibid. sess. 25, cap. 5 de Regul. et Monial.; 17° in cogentes mulieres ingredi monasterium et profiteri, et in impedientes, sine justa causa, sanctam voluntatem mulierum emittendi votum, vel accipiendi velum, ut fusius explicatur ibid. c. 18; 18° in dominos temporales concedentes in terris suis locum pro duello, ibid. cap. 19 de Reform.

*Contra clericos :* 1° in clericos in dignitate constitutos et sacerdotes audientes publice jus aut medicinam, Decret. l. III, tit. 50, cap. 10; 2° in clericos præfecturas

sæculares recipientes, ibid. cap. 4; 3° in alienantes bona Ecclesiæ vel ultra triennium locantes, Extrav. comm. r. 3, t. IV, cap. unico; 4° in impugnantes in concionibus montes pietatis, ex bulla 11 Leonis X; 5° in eos qui sacris Ordinibus initiati, matrimonium contrahere volunt, Clem. l. IV, tit. 1, cap. unico; 6° in ficte resignantes vel permutantes beneficia, bulla 58 S. Pii V; 7° in procurantes ut alii occupent jura et bona ecclesiarum vacantium, Sexti l. I, tit. 6, cap. 13.

*Contra regulares :* 1° in eos qui extra claustra jus vel medicinam audiunt, ex capite supra citato pro clericis et sacerdotibus idem facientibus; 2° in habitum dimittentes vel matrimonium contrahere attentantes, Clem. l. IV, tit. 1, cap. unico; 3° in instituentes novum ordinem sine licentia Papæ, Sexti l. III, tit. 10, cap. unico; 4° in adeuntes curias principum ut monasteriis suis vel prælatis noceant, Clem. l. III, tit. 10, cap. 1, § *Quia vero;* 5° in tenentes arma intra claustra sine licentia, ibid.; 6° in moniales professas quæ absque legitima licentia limites clausuræ violant, concil. Trid., sess. 25, cap. 5 de Regul. et Monial., et ex variis summorum Pontificum Const.

Aliæ sunt excommunicationes latæ sententiæ, in variis juris canonici partibus expressæ ac non reservatæ, sed vel fuerunt abrogatæ, vel apud nos non receptæ.

II. Excommunicationes episcopis reservatæ. — Sunt : 1° ea quæ contrahitur ex levi, sed tamen mortaliter culpabili percussione clerici aut monachi, vel ex gravi percussione, si sit mulier, ut ex infra dicendis patebit; 2° ea quam incurrunt qui absoluti a censura reservata in articulo mortis a potestatem non habente, superiori se non sistunt postquam convaluerunt; 3° ea quam contrahunt procurantes abortum fetus animati, effectu secuto; 4° ea quam incurrunt qui communicant cum excommunicatis ab episcopo in actu propter quem excommunicati sunt; 5° illæ quas episcopi propriis statutis tulerunt et sibi reservarunt. Hæc omnia per se patent, vel ex dicendis intelligentur, sed non ubique eodem modo recepta sunt.

III. Excommunicationes summo pontifici reservatæ. —

1ª in percussores clericorum ab Innocentio II in concilio generali Lateran. II, anno 1139 celebrato, lata, in sequenti canone expressa, Decreti parte 2, causa 17, q. 4, can. 29 : « Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii » reatum incurrerit, quod in clericum vel in monachum » violentas manus injecerit, anathematis vinculo subja- » ceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere » nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspec- » tui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. »

Diximus 1° *Si quis;* quo nomine intelliguntur personæ cujuscumque sexus, status et ætatis, modo sint rationis compotes et doli capaces. Hoc extenditur ad efficaciter mandantes, consulentes et consentientes, non vero ad inefficaciter mandantes aut consulentes. *Ita communiter theologi.* Item ad non impedientes, si ex officio vel justitia impedire teneantur, ut reges, judices, cæteri superiores, patres, tutores, etc. Sic S. Ligorius, l. VII, n. 268, et multi cum illo.

Diximus 2° *suadente diabolo;* quia ad excommunicationem non sufficeret percussio jocosa, ex casu contingens, ex ignorantia qualitatis personæ læsæ ad justam sui vel alterius injuste lacessiti defensionem facta; neque si sit sub omni respectu levis, si a patre, præceptore aliove superiore correctionis causa fiat.

Diximus 3° *clericum*, id est, omnis qui prima tonsura est initiatus, dummodo in statu ecclesiastico perseveret et habitum clericalem ex consuetudine deferat.

Diximus 4° *vel in monachum;* qua voce intelligendus est quilibet religiosus, professus, novitius, conversus, laicus utriusque sexus; item Tertiarii S. Dominici, S. Francisci, si gestent habitum, et vivant in communitate : similiter eremitæ subjecti alicui regulæ et superiori. Ita *Busembaum* et post eum S. Ligorius. Unde apud nos Fratres Doctrinæ christianæ et Sorores Charitatis hoc privilegio muniuntur, saltem ii qui sequuntur regulam a summo Pontifice approbatam, et probabiliter etiam qui subjiciuntur regulæ sola episcopi approbatione munitæ. *Reiffenst.*, l. III, tit. 39, n. 107; S. Lig., l. VII, n. 271.

Diximus 5° *manus violentas injecerit;* per quod intelligitur quævis contumeliosa actio exterior mortalis circa personam clerici, vel res ei adhærentes, sive fiat manu, sive baculo, sive gladio, catapulta, lapide, luto, aqua, pulvere, sputo, etc. Cum ille canon in favorem clericorum conditus fuerit, non stricte, sed latissime illum interpretandum esse censent theologi, ac proinde quamlibet actionem externam graviter peccaminosam, habita ratione honoris personæ ecclesiasticæ debiti, ad hanc excommunicationem incurrendam sufficere. Hinc infertur ut excommunicatos habendos esse eos qui clericum conspuunt, aqua conspergunt, crines ejus evellunt, vestes dilacerant, pileum vel pallium per vim eripiunt; eum in carcere injuriose retinent; equum cui insidet occidunt vel graviter vulnerant, aut persequuntur et in causa sunt quod cadat, etc. Consensus clerici a censura non excusaret, quia in honorem status clericalis hæc fuit decreta.

Diximus 6° *subjaceat;* hoc verbum excommunicationem ferendæ censuræ denotare videtur : sed generaliter doctores eam esse latæ sententiæ judicant.

Notorius percussor cujus factum nulla tergiversatione celari potest a Martino V, in Constitutione *Ad vitanda scandala,* fuit exceptus a necessitate denuntiationis publicæ : statim ergo jure communi est vitandus; sed in Gallia notorietas facti communiter non agnoscitur, nisi aliqua intervenerit sententia judicis; secus enim factum fere semper aliqua tergiversatione celari vel saltem imminui potest, ita ut de existentia censuræ absolute non constet.

Diximus 7° *et nullus episcoporum,* etc.; hæc quippe censura jure communi reservatur summo Pontifici, juxta verba canonis : attamen ex usu receptum est, episcopos ab illa absolvere quandoque : — a) quando percussio non fuit enormis seu atrox; percussio autem reputatur enormis seu atrox, si mors inferatur, membrum abscidatur aut frangatur, si magna fiat sanguinis effusio aliter quam per nasum; aut si actio injuriosa, ex se levis, erga perso-

nam in dignitate constitutam, ut Papam, cardinalem, episcopum, exerceatur; vel ex illa magnum oriatur scandalum, ut si quis alapam superiori in loco publico impingat, episcopum in carcere detineat, etc. Episcopi est judicare in casibus particularibus, an percussio reputanda sit enormis et Pontifici maximo reservata, vel non; — b) quando percussio, etsi enormis, est occulta, seu aliqua tergiversatione celari potest; — c) si facta sit ab impubere, muliere, sene, paupere vel aliis qui propter legitimum impedimentum ad summum Pontificem recurrere non possunt. Sic pro his præcedentibus generaliter theologi nostri capitibus 26 et 58, tit. 39, lib. v Decretal., innixi.

In his capitibus apponitur conditio ut, sic ob quamdam necessitatem absoluti, *impedimento cessante, ad Sedem Apostolicam accedant, illius mandatum suscepturi*, pueris exceptis.

2ª excommunicatio Sanctæ Sedi reservata est in incendiarios, quando per Ecclesiæ sententiam, id est, ab episcopo fuerint publicati, Decretal. l. v, tit. 39, c. 19;

3ª in habentes Litteras Apostolicas falsas et eas destruere nolentes, ibid. tit. 20, cap. 4;

4ª in falsificantes Litteras Apostolicas : datur etiam in complices et fautores et in falsificatis utentes, sed non videtur reservata, ibid. c. 7;

5ª in ecclesiarum effractores et simul spoliatores, si fuerint ab episcopo denuntiati, ibid. tit. 39, cap. 22;

6ª in recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad religionem; in simoniacos reales circa Ordinem vel beneficium, et in mediatores ac cooperatores, Extrav. comm. l. v, tit. 1, cap. 1 et 2;

7ª in committentes confidentiam, secundum dicta in Tractatu *de Decalogo*, ubi de pœnis contra simoniacos;

8ª in communicantes eodem crimine cum excommunicatis a Papa, Decretal. l. v, tit. 39, cap. 29;

9ª in duellantes et ad duellum cooperantes, in dominos temporales qui locum in terris suis ad duellum inter Christianos concesserint, ex concil. Trid., sess. 25, cap. 19 de Reform.;

10ª in hæreticos, schismaticos eorumque fautores;

11ª in violantes clausuram monialium ad malum finem, ex decreto S. Congr. Concilii, edito jussu Clementis VIII, anno 1602, et in quascumque personas utriusque sexus ingredientes monasteria monialium, vel feminas ingredientes claustra religiosorum, sub prætextu facultatum revocatarum, ex bulla Greg. XIII *Ubi gratia*, die 13 julii 1575, ut fusius explicatur agendo de clausura religiosa. Sed hæc reservatio est intra Italiam et extra Urbem, *Ferraris*, vº *Moniales*, art. 3, n. 47;

12ª in religiosos qui sine licentia episcopi vel parochi, S. Viaticum aut Extremam-Unctionem administrant clericis aut laicis, vel matrimonium celebrant, Clement., l. v, tit. 7, cap. 1;

13ª in confessarios sollicitantes, nec non in muratorios, carbonaros, aliosque ad sectas secretas pertinentes, ex variis summorum Pontificum Constitutionibus.

*Notandum* episcopos a præcedentibus excommunicationibus absolvere quoties non sunt publicæ vel ad forum externum delatæ, ut ex concil. Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform., eruitur et in praxi observatur. Item quando excommunicati sunt moniales, feminæ, valetudinarii, senes, pauperes, et denique, quacumque ex causa, summum Pontificem aut ejus legatum adire moraliter non possunt, ut constat ex Decretal. l. v, tit. 39, cap. 6, 13 et 33, et ex praxi.

Ut autem judicetur an illæ excommunicationes, aut reservatio eis annexa, stricte vigeant, attendendum est ad ea quæ in Tractatu *de Legibus* diximus, ubi de promulgatione legum et de consuetudine.

Imo, certum videtur plures alias excommunicationes summo Pontifici reservatas, quarum nonnullæ inveniuntur in corpore juris, in decretis conciliorum et in Constitutionibus Pontificum Romanorum, desuetudine fuisse abrogatas vel apud nos nunquam in usu.

Sic in vexantes eos qui censuram in aliquos tulerunt; in dantes vel recipientes aliquid pro gratia vel justitia apud Sedem Apostolicam; in exenterantes corpora defunc-

torum; in falsificantes monetam regis Franciæ; in imponentes tributa ecclesiasticis; in trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale; in violantes immunitatem ecclesiasticam; in taxantes de hæresi opinionem pro immaculata vel contra immaculatam Conceptionem B. Mariæ Virginis; in eos qui sacras Scripturas in sensu contrario sensui ab Ecclesia approbato interpretantur, etc.

IV. Excommunicationes inscriptæ in bulla *In cœna Domini*. — Hæc bulla, incipiens *Consueverunt*, invenitur in Bullario Mainardi, t. VI, p. 140, et sic vocata est quia diu feria V Majoris Hebdomadæ Romæ publicari solebat; est opus plurium Pontificum Romanorum. Quidam dicunt eam primum habuisse initium sub Martino V, anno 1420; alii contendunt originem ejus tribuendam esse Clementi V, vel etiam probabiliter Bonifacio VIII, qui anno 1294 fuit electus. Julius II jussit, anno 1511, ut hæc bulla ubique vigeret; Paulus III absolutionem censurarum in ea expressarum sibi reservavit, anno 1536; S. Pius V præcepit, anno 1568, ut per universalem Ecclesiam publicaretur.

In ea anathemate percutiuntur 1° hæretici, eorum fautores et qui libros eorum legunt vel retinent, ut explicavimus in Tract. *de Decalogo*, agentes de prohibitione librorum; 2° piratæ et eorum fautores; 3° pædagia nova imponentes vel prohibita exigentes; 4° falsificantes Litteras Apostolicas; 5° arma et alia inimicis nominis Christiani deferentes; 6° impedientes eos qui victualia seu alia necessaria Romam deferunt, vel eis faventes; 7° vexantes sine jurisdictione eos qui in curia Romana commorantur; 8° vexantes quoquo modo patriarchas, archiepiscopos, episcopos eorumque mandatores; 9° lædentes eos qui ad Romanam curiam recurrunt, vel negotia in ea prosequuntur; 10° impedientes exsecutionem Litterarum Apostolicarum; 11° laici judices qui ecclesiasticas personas, capitula, conventus, collegia, etc., ad se trahunt vel trahi faciunt; 12° statuentes aliquid contra libertatem ecclesiasticam; 13° usurpantes bona et jurisdictionem ecclesiarum; 14° omnes, etiam imperiali, re-

gali, ducali, vel alia quacumque præfulgentes dignitate, qui, per se vel per alios, causas spirituales aut spiritualibus annexas a judicibus ecclesiasticis terminari impediunt, vel in eas se immittunt; 15° offendentes peregrinos Romam adeuntes, ibi commorantes, vel inde revertentes; 16° bona Sedis Apostolicæ occupantes.

Greg. XIII addidit, anno 1583, ut videre est in Bullario, t. IX, p. 27 : 1° appellantes a Papa ad futurum concilium; 2° naufragorum bona rapientes aut ab aliis rapta accipientes; 3° imponentes decimas et alia onera personis ecclesiasticis vel ecclesiis absque Romani Pontificis licentia; 4° judices sæculares se interponentes in causis criminalibus contra personas ecclesiasticas, et omnes eorum cooperatores.

Hæc celeberrima bulla in Hispania, in Germania, in Gallia publicata non fuit, et nunc a Clemente XIV, nec Romæ publicatur. Vid. t. IV Tract. *de Legib.*, part. 2, cap. 2, art. 5.

### § III. — De monitoriis.

I. De monitorio et obligatione ex illo orienti. — Monitorium est simul monitum et mandatum judicis ecclesiastici quo jubetur auctores alicujus criminis vel injustitiæ erga proximum commissæ intra tempus determinatum sub pœna excommunicationis revelari.

Nomine judicis ecclesiastici intelliguntur episcopi, vicarii generales et officiales : concil. Trid., sess. 25, cap. 3 de Reform., dicit quidem monitoria a nemine præterquam ab episcopis decerni posse, sed eorum vicarios generales et officiales eamdem cum illis jurisdictionem exercentes, ex Sexto, l. 1, tit. 4, cap. 2, excludere noluit.

Cum excommunicatio sit pœna gravissima, infligi non potest ob levem causam, neque ob finem qui aliter obtineri potest. Hinc monitorium decernere non licet, 1° si injustitia erga proximum commissa non sit gravis; 2° si crimen, cujus auctores sunt ignoti et revelandi sunt.

bono societatis graviter non noceat; 3° si rei alia via detegi possint.

In causis spiritualibus monitoria publicari possent absque licentia magistratus civilis, ut patet ex ipsius rei natura. Si vero casu ad tribunalia sæcularia vocanda foret, res cum judice civili, ad præcavenda gravia pericula, componenda esset.

Olim ipsi judices sæculares quandoque a judicibus ecclesiasticis petebant monitoria, ut, ope revelationum, ad accuratam auctorum criminis vel injustitiæ notitiam pervenirent : nunc hujusmodi praxis a moribus nostris est prorsus aliena, et ideo episcopi ab illa etiam in causis spiritualibus abstinent.

Non est dubium quin, publicatis monitorialibus litteris, stricta existat obligatio pro cunctis episcopi subditis statim deveniendi ad revelationem postulatam vel ad satisfactionem præscriptam; episcopi enim habent jus imperandi sub gravi, in materia gravi : porro supponitur materiam esse gravem, et excommunicationis denuntiatio est signum gravissimi mandati : ergo.

A revelatione tamen excusantur in jure 1° qui revelationem facere non possent sine periculo vitæ, infamiæ, alteriusve gravis damni sibi aut suis propinquis imminentis; 2° consanguinei et affines usque ad quartum gradum, nisi de hæresi, proditione regni, ac de aliis ad bonum commune patriæ aut religionis spectantibus ageretur : quo in casu nemo eximitur, præter sceleris auctores et complices; 3° famuli respectu dominorum suorum, nisi ageretur de criminibus intra familiam patratis quæ a solis domesticis probari possent; 4° qui rem sub secreto naturali sciunt, ut advocati, notarii, medici, obstetrices; 5° ecclesiastici viri, si de causis capitalibus agatur, nisi bonum generale id postulet, quia Ecclesia abhorret a sanguine; 6° qui rem imperfecte norunt, vel eam didicerunt ab alio qui eam revelavit, quia eorum testimonium nihi adderet.

Qui vero nulla causa exempti, intra tempus determinatum revelationem non facerent, mortaliter peccarent,

et excommunicatione majori ligarentur in ipso termini elapsu.

II. De aggravatione et reaggravatione. — Quando intra tempus assignatum nulla fit revelatio, nova obtineri potest sententia quæ dicitur aggravatio, et deinde tertia quæ appellatur reaggravatio. Tres illæ sententiæ una et eadem sunt censura, cum diversis circumstantiis terrorem excitantibus iterata, juxta quosdam; secundum alios, tres exprimunt gradus excommunicationis; prima bonorum spiritualium communium interiorem privationem significat; secunda, privationem communionis in civilibus cum cæteris Christianis, et tertia prohibet ne fideles cum excommunicato in rebus etiam profanis communicent.

Prima sententia simpliciter legitur intra Missarum solemnia; quando aggravatio pronuntiatur, interea campanæ pulsantur, cerei accensi exstinguuntur, et in terram projecti conculcari solent, feretris passim in ecclesia expositis, aliisque terribilibus cæremoniis simul adhibitis, ut videre est in Decreto, part. 2, causa 11, q. 3, can. 106. Deinde per reaggravationem judex ecclesiasticus sub pœna ejusdem anathematis prohibet fidelibus ne quamcumque habeant societatem cum homine tali anathemate percusso. Hinc vulgaris opinio homines, ab humana societate sic repulsos et Satanæ traditos, in horrendas bestias verti, vocari populariter *loups-garous*, per noctem circumvagari, cum occurrentibus pugnare, etc.

Opinio tamen monstrorum dictorum *loups-garous*, antiquior est excommunicationibus per monitoria latis, ut videre est in Actibus Sanct. Boll., t. II, p. 503, nota A. Apud Græcos et Latinos jam pridem invaluerat tempore Plinii majoris qui eos hac de re suggillat, l. VIII, cap. 22.

# CAPUT SECUNDUM.

## DE SUSPENSIONE.

I. Quid suspensio. — Suspensio est censura privans clericum, ex parte vel ex toto, usu potestatis quam habet ratione ordinis, officii vel beneficii. Igitur alia est totalis, quæ suspendit ab ordine simul et ab officio, ac beneficio, et alia partialis, quæ ab ordine tantum, vel ab officio, vel a beneficio suspendit. Hinc suspensio ab aliis censuris in eo differt, quod in solos clericos fieri possit, quia ii soli potestatis ecclesiasticæ sunt capaces. Impropriis ergo vocibus utuntur qui de clerico aliqua suspensione innodato loquentes, dicunt eum esse interdictum.

Suspensio non est essentialiter censura proprie dicta : aliquando infertur ad puniendam culpam præteritam, ut habetur in Decretal., l. II, tit. 20, cap. 33, vel ad vitandum scandalum, præcavenda sacrilegia, etc., ut eruitur ex cap. 10, tit. 34, l. v. Hæc promiscue intelliguntur ab auctoribus sub nomine suspensionis, et eosdem communiter habent effectus.

II. Quid depositio et degradatio. — Depositio et degradatio sunt gravissimæ pœnæ, non vero censuræ, quia non decernuntur per modum remedii medicinalis : assimilari tamen solent suspensioni, quia solis clericis infliguntur, et privationem beneficiorum ac honorum ecclesiasticorum inducunt.

Depositio virum ecclesiasticum non solum privat usu potestatis ecclesiasticæ, sed ipso titulo : est igitur ex se pœna perpetua et irremissibilis.

Degradatio est solemnis omnium titulorum, privilegiorum, honorum et insignium ecclesiasticorum privatio, ita ut degradatus, solo sibi remanente charactere indelebili, ad conditionem laicalem reducatur. Cunctis ornamentis suo Ordini competentibus indutus, in publicum

profertur, et episcopus eum exuit, unum ornamentum post aliud extrahendo, sicut in ordinatione eum successive induerat, sed modo inverso, incipiens scilicet a paramento ultime collato. Deinde caput ejus abraditur ut ne unum quidem clericatus vestigium in eo remaneat. Sic olim degradari solebant clerici qui de aliquo crimine convicti, ultimo supplicio vel aliis pœnis infamantibus plectendi erant : jam pridem hæc terribilis cæremonia obsolevit in Gallia; communius æstimant canonistæ nostri eam cessasse versus finem decimi sexti sæculi.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE EFFECTIBUS SUSPENSIONIS.

I. De effectibus suspensionis in genere. — Multiplices suspensionis effectus enumerantur : 1° suspensio simpliciter dicta semper est totalis et omni usu potestatis ecclesiasticæ privat; suspensio vero partialis aliqua parte tantum hujus potestatis privat, id est, ea parte quæ in lege, statuto vel mandato, aut sententia exprimitur.

2° Qui suspensionem violat, mortaliter peccat, nisi ignorantia invincibili aut alia causa legitima excusetur, quia Ecclesiæ in re gravi resistit. Potest tamen ea facere quæ a laicis fieri solent, v. g., baptizare sine solemnitate in necessitate, cantare in choro laicorum more, divinum officium privatim recitare.

3° Suspensus in uno loco, ubique habendus est ut suspensus; sic expresse habet Glossa in can. 24, q. 1, causæ 7, secundæ partis Decreti.

II. De effectibus suspensionis ab ordine. — 1° Suspensio ab Ordine simpliciter, privat exercitio cujuslibet Ordinis, quia tunc nulla est ratio cur ad unum Ordinem potius quam ad alterum terminetur : suspensio vero ab Ordine superiore, exercitium Ordinis inferioris non impedit, quia unus ab alio separari potest, et odia restringi convenit. Unde episcopus a pontificalibus suspensus, Missam celebrare et sacramenta, præter Confirmationem et

Ordinem, administrare potest. Verum disputatur inter theologos an suspensus ab Ordine inferiori, functiones Ordinis superioris exercere possit : quidam negant; alii probabilius affirmant, modo inferior Ordo, a quo suspensus est, cum superiori non sit ita connexus ut ejus functiones exercere debeat, Ordinem superiorem exercendo : hinc suspensus a diaconatu Missam celebrare non posset, quia evangelium legeret; sed episcopus a facultate dandi tonsuram suspensus, alios Ordines subditis jam tonsuratis conferre posset.

2° Suspensus ab Ordine non solum mortaliter peccat actum Ordinis exercendo, sed fit irregularis, *ut dicemus infra.*

3° Actus Ordinis a suspenso etiam non tolerato exerciti, sunt quidem graviter illiciti ex parte exercentis et ex parte petentis, nisi gravis causa excuset; sed nihilominus sunt validi, quia, ut supponitur, pendent solummodo a charactere.

III. De effectibus suspensionis ab officio et jurisdictione. — 1° Suspensio a jurisdictione privationem jurisdictionis importat ex toto vel ex parte, prout est totalis vel partialis, non vero exercitium Ordinis, nisi id exprimatur, aut agatur de iis functionibus Ordinum quæ exercitium jurisdictionis aliquo modo includunt. Unde episcopus suspensus a jurisdictione, diœcesim suam administrare, censuras ferre, etc., non potest : sed Ordines conferre, Confirmationem administrare, Missam celebrare non prohibetur.

2° Suspensio ab officio, sine limitatione, privat usu cujuscumque ministerii ecclesiastici, tum Ordinis, tum jurisdictionis, quia officium ecclesiasticum, sine addito, hæc omnia complectitur. Unde parochus suspensus ab officio, nec Missam celebrare, nec prædicare, nec catechizare, nec officiis Ecclesiæ præesse, nec sacramenta ministrare potest. Reddit etiam inhabilem ad obtinenda beneficia vel officia ecclesiastica, vel ad ea conferenda, ut recte concluditur ex Decretal., l. I, tit. 4, cap. 8.

3° Actus jurisdictionis a suspenso tolerato facti, sunt

ex parte ipsius illiciti, excepto casu magnæ necessitatis proximi, et tamen validi, ex bulla *Ad vitanda scandala:* sed, ex eadem bulla, actus jurisdictionis a suspenso nominatim et publice denuntiato exerciti, prorsus nulli sunt, quia hujusmodi clericus omni potestate destituitur: tales habendi sunt parochi qui per sententiam ab homine nominatim suspenduntur.

Sed notandum, ex dictis in Tractatu *de Ordine*, simplicem facultatum revocationem sufficere apud nos ut actus parochorum non titularium et a fortiori vicariorum fiant invalidi; proinde, nec suspensione, nec denuntiatione opus esse, si velit episcopus.

IV. De effectibus suspensionis a beneficio. — 1° Suspensus a beneficio, vel etiam simpliciter suspensus, titulum beneficii non amittit, sed fructus durante suspensione non facit suos, et eos restituere tenetur. Potest tamen ea desumere quæ ad necessariam sui sustentationem necessaria sunt, modo non obstinate insordescat, in censura, et eas obligationes beneficii expleat quibus suspensio non interdicit. S. Ligorius, n. 316; *Collet*, etc. In præsenti rerum statu, apud nos raro supersunt fructus beneficii seu officii ecclesiastici, sublata portione ad necessariam titularis sustentationem requisita. Raro igitur ex hac parte dari potest obligatio restituendi.

*Notandum* insuper clericos suspensos stipendia pro obeundis muneribus ecclesiasticis taxata percipientes, peccare sine ullo dubio mortaliter obeundo functiones a quibus suspensi sunt; tamen hæc stipendia faciunt sua eodem modo ac non suspensi, ut asserit Coll. Andeg. Ratio est, quia cum hæc ex beneficio non proveniant, ab Ecclesia non consentur interdicta, nisi clare exprimantur : at jus canonicum ea nullibi expresse prohibuit percipi: ergo, etc.

*Nota.* Quando suspensio est occulta, absolutio ab illa datur sub forma generali: *Absolvo te ab omni vinculo*, etc.. ubi vero est publica, vel absolutio conceditur in foro interno, et alia non adhibetur forma; vel in foro externo, et tunc specialis ad hoc obtinenda est licentia a superiore, et adhibenda forma solemnis in Rituali determinata.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE PRÆCIPUIS SUSPENSIONIBUS.

I. Enumerantur præcipuæ suspensiones. — Inter suspensiones, aliæ jure communi latæ sunt, aliæ ab ordinariis feruntur per statuta diœcesana, et aliæ per sententias speciales, quæ dicuntur ab homine.

Præcipue attendendum est ad suspensiones in jure communi existentes. Aliæ sunt contra episcopos, aliæ contra regulares et aliæ contra clericos, præter illas quæ attingunt conventus et capitula.

*Contra episcopos,* 1° ordinantes religiosos non professos, S. Pius V, const. *Romanus pontifex;* 2° ordinantes non subditum, absque licentia ipsius Ordinarii, concil. Trid., sess. 23, cap. 8 de Reform.; 3° conferentes Ordines simoniace, Extrav. l. v, tit. 1, cap. 2; 4° conferentes tonsuram clericalem infanti, illiterato, aut conjugato, Sexti l. i, tit. 9, cap. 4; vel ante ætatem præscriptam Ordines sacros conferentes, Decretal. l. i, tit. 11, cap. 14; 5° submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ absque consensu capituli et Sedis Apostolicæ licentia, Sexti l. iii, tit. 9, cap. 2; 6° alienantes bona Ecclesiæ, Extrav. comm., l. iii, tit. 4, c. unico; 7° accedentes ad ecclesias ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis Litteris Apostolicis suæ promotionis, Extravag. l. i, tit. 3, cap. 1.

*Contra regulares*, 1° recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis, Sexti l. iii, tit. 14, cap. 2; 2° non deferentes habitum regula determinatum, Clement. l. iii, tit. 10, cap. 1, § *Si quis;* 3° apostatas sacros Ordines in apostasia suscipientes, Decretal. l. v, tit. 9, cap. 6; 4° Ordines sacros ante professionem suscipientes, S. Pius V, const. *Romanus pont.*; 5° introducentes mulieres intra claustra monialium, S. Pius V, const. 20; 6° capitulares recipientes prælatos eisque obedientes absque litteris Pontificiis, Extrav. lib. i, tit. 3, cap. 1.

*Contra clericos;* 1° recipientes Ordines sacros ante legitimam ætatem, Decretal. l. i, tit. 11, cap. 14; 2° reci-

pientes hos Ordines extra tempora absque legitima dispensatione, S. Pius V, const. *Cum ex sacrorum;* 3° recipientes Ordines non servatis interstitiis sine dispensatione, Decretal. l. I, tit. 11, cap. 8; 4° recipientes ordines ab alieno episcopo absque proprii episcopi licentia, Decreti part. 1, dist. 71, cap. 1, et conc. Trid. sess. 23, cap. 8 de Reform.; 5° recipientes Ordines sacros ab eo qui renuntiavit episcopatui et non sedi suæ tantum, Decretal. l. I, tit. 13, cap. 1; 6° recipientes ordines a proprio episcopo in aliena diœcesi, absque licentia episcopi illius loci, quo in casu episcopus ordinans est etiam suspensus, concil. Trid. sess. 6, cap. 5 de Reform.; 7° recipientes Ordines a schismatico, vel ab excommunicato aut suspenso, Decretal. l. v, tit. 8, cap. 1, et l. I, tit. 13, cap. 2; 8° recipientees scienter Ordines dum sunt aliqua censura ligati, Decretal, l. v, tit. 39, cap. 32; 9° Ordines sacros per saltum suscipientes, Decret. l. v, t. 29, c. unico, et concil. Trid. sess. 23, cap. 13 de Reform.; 10° duos Ordines majores eodem die vel duobus immediate sequentibus diebus recipientes, Decretal. l. I, tit. 11, cap. 13 et 15; 11° recipientes Ordinem sacrum post matrimonium contractum etiam non consummatum. Ext. Joan. XXII, tit. 6, cap. unico; 12° recipientes Ordines sacros cum litteris capituli, sede vacante, ante annum elapsum, concil. Trid. sess. 7, cap. 10 de Reform.; 13° Parochos jungentes matrimonio sponsos alterius parochiæ, sine licentia parochi vel episcopi, concil. Trid. sess. 24, cap. 1 de Reform.

II. De effectu et absolutione istarum suspensionum. — Suspensiones præcedentes multum variantur quoad extensionem, durationem, reservationem et alias circumstantias, ut videre est in locis citatis. Multæ summo Pontifici sunt reservatæ: attamen episcopi absolvere possunt per se vel per alios, 1° ab eis quæ sunt occultæ et ad forum contentiosum non deductæ; 2° ab eis quæ sunt publicæ, quando recursus ad summum Pontificem est moraliter impossibilis; 3° in omni casu ab eis quæ incurruntur suscipiendo Ordinem per saltum, vel extra

tempora, vel ante ætatem legitimam, vel ab alieno episcopo absque litteris dimissoriis, vel ab episcopo excommunicato, vel cum dimissoriis capituli ante annum, etc., et extraneos parochianos matrimonio jungendo.

Præterea sedulo discendæ et memoria retinendæ sunt suspensiones unicuique diœcesi propriæ, et quæ reperiuntur in Rituali, vel in statutis synodalibus. In Statutis nostris anni 1851 declaratur eum qui habet potestatem absolvendi a reservatis, non ideo absolvere posse a suspensione, nisi adsit probabile periculum scandali aut infamiæ, et ea conditione ut sic absolutus teneatur, *per se vel confessarium, ad nos intra mensem recurrere, sub pœna reincidendi in suspensionem.*

*Notandum* periculum mortis non esse rationem cur sacerdos simpliciter approbatus absolvere possit a suspensione, quia suspensio susceptionem sacramentorum non prohibet, excepta promotione ad Ordinem superiorem.

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE INTERDICTO.

I. Quid et quotuplex interdictum. — Interdictum est censura qua usus quorumdam sacramentorum, participatio divinis officiis et sepultura ecclesiastica prohibentur.

Dividitur in locale, personale et mixtum. Interdictum locale immediate afficit locum et mediate personas in eo degentes, sive incolas, sive extraneas; personale, e contra, immediate afficit personas et eas ubique sequitur; mixtum simul afficit locum et personas, ut, v. g., si civitas et cives ejus interdicantur.

Interdictum, tum locale, tum personale, potest iterum esse generale, vel particulare : est generale, si omnia loca sacra vel omnes incolas, vel simul loca et personas alicujus urbis, provinciæ aut regni afficiat : contra vero, si quædam loca determinata vel aliquas personas tantum afficiat, est particulare.

II. De effectibus interdicti. — Effectus interdicti sunt : 1° prohibitio celebrationis et auditionis divinorum officiorum sub peccato mortali. Attamen, quia ex stricta hujusmodi statuti observatione excrescebat indevotio populi, ut ait Bonifacius VIII, in Sexto, l. v, tit. 11, cap. 24, permisit idem Pontifex maximus ut in generali alicujus loci interdicto, singulis diebus in ecclesiis et monasteriis Missæ celebrarentur aliaque divina officia dicerentur, *sed submissa voce, januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis;* solemniter vero hæc fierent in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes et Assumptionis B. Mariæ Virginis, solis excommunicatis exclusis : quod Martinus V et Eugenius IV ad quasdam alias festivitates extenderunt.

2° Privatio usus activi et passivi sacramentorum, solis exceptis Baptismate, Pœnitentia, Confirmatione ac S. Viatico in periculo mortis, non autem Extrema-Unctione, Decretal. l. v, tit. 39, cap. 43, et Sext. l. v, tit. 2, cap. 9.

3° Privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ut in pluribus juris canonici locis habetur : in loco interdicto nemo sepeliri potest, nec etiam infans, sed interdicto cessante, omnes in loco sacro reponendi sunt; in interdicto personali generali, personæ quæ non fuerant nominatim denuntiatæ, in loco sacro sepeliri poterant, cum silentio et absque campanarum pulsatione : eruitur ex Clementin. lib. III, tit. 7, cap. 1, et ex Glossa.

Si episcopus aliquam ecclesiam, ob crimen in ea patratum vel ob gravem injuriam ei illatam, interdicat, ut quandoque accidit, conditiones interdicti in sua sententia exprimit : eis sedulo standum est.

Sæpius olim summi Pontifices generalia tulerunt interdicta in monasteria, in diœceses, in urbes, in provincias, in respublicas, in regna, ut populos rebelles compescerent, et frequentius ut reges vel magistratus graviter delinquentes, ad meliorem frugem adducerent; tunc enim populi solo metu pœnarum ecclesiasticarum exterriti, et sacramentorum ac divinorum officiorum privationem ægre ferentes, satisfactionem debitam præstabant, vel ra-

tionibus et querimoniis suis principem aut magistratus ad satisfaciendum compellebant. Sicque finis intentus sæpe obtinebatur; non tamen semper, et aliquando infelices inde, ob malitiam hominum, prodiere exitus.

Nunc vero, habita ratione incredulitatis sed indifferentiæ in hoc sæculo fere universalis, tale remedium nullius foret utilitatis; risum potius quam horrorem in plerisque hominibus excitaret, et in detrimentum religionis vergeret.

Interdictum *ab homine* ab eo solo auferri potest qui illud tulit, vel ab ejus successore, aut superiore aut delegato; hoc patet ex supradictis.

*Appendix de cessatione a divinis.*

Cessatio a divinis est prohibitio facta clericis divina officia in aliquo loco celebrandi, sacramenta administrandi et sepulturam ecclesiasticam faciendi. Alia est *a jure*, quæ ipso facto existit quando ecclesia polluitur vel exsecratur; et alia est *ab homine*, quæ a superiore jurisdictionem in foro externo habente, in signum mœroris, vel ad reparationem gravis injuriæ Deo illatæ per sententiam particularem alicui loco imponitur, et tunc omnes qui sunt in eo loco afficit. Non tamen est censura proprie dicta; non enim adhibetur ad corrigendos delinquentes, nec unquam personas immediate afficit, sed tantum ratione locorum eas attingit.

Quamvis cessatio a divinis magnam habeat similitudinem cum interdicto, ab illo tamen in pluribus punctis discrepat: 1° enim interdictum potest esse personale, non cessatio a divinis; 2° interdictum est censura: unde qui illud violat fit irregularis; licet autem transgressor cessationis a divinis graviter peccet, nullam incurrrit pœnam canonicam; 3° durante interdicto generali, divina celebrare licet officia, januis clausis et submissa voce, ac solemniter in quibusdam festis; hæc vero in cessatione a divinis non permittuntur, etc.

FINIS TRACTATUS DE CENSURIS.

# TRACTATUS

# DE IRREGULARITATIBUS.

I. Definitur irregularitas.— *Irregularitas,* juxta vim nominis, idem sonat ac *extra* vel *contra regulam.* Multam habet affinitatem cum censuris, et tamen non est censura, quia non fuit instituta nec infligitur ad corrigendos mores, sed propter ministerii sacri honorem. Definitur : *Impedimemtum canonicum prohibens ne quis clero adscribatur, vel ad Ordinem superiorem ascendat, vel functiones Ordinis suscepti exerceat.*

Dicitur 1° *impedimentum*, id est, moralis inhabilitas ex aliqua indecentia proveniens, quæ delictum non semper supponit, et in hoc a censura distinguitur. Hinc ignorantia etiam invincibilis solius irregularitatis ab ea non excusat, quia inhabilitatem non tollit.

2° Dicitur 2° *canonicum ;* quia illud impedimentum solo jure ecclesiastico fuit introductum : unde infertur nullam admittendam esse irregularitatem nisi in jure sit expressa, ut in Sexto, l. v, tit. 11, cap. 18, supponitur.

Dicitur 3° *prohibens ne quis,* etc. ; directe prohibet susceptionem Ordinum, etiam tonsuræ, ut communiter docent auctores, ac proinde ascensum ad Ordinem superiorem, et indirecte Ordinum susceptorum exercitium, non prohibet vero exercitium jurisdictionis : unde irregularis valide ac licite ferret censuras, diœcesim administraret, sacerdotes approbaret, etc. ; sed illicite, quamvis valide, sacramentaliter absolveret, benedictiones episcopales aut sacerdotales impertiret, etc., quia hæc ad Ordines pertinent. Ea omnia ipsi licent quæ laico competunt, ut functiones minorum Ordinum exercere, in ecclesia cantare, sacramenta, præter Ordinem, suscipere, etc.

II. Dividitur irregularitas. — Irregularitas dividitur *ratione effectus* in totalem et partialem : totalis ea est quæ omnis Ordinis susceptionem et suscepti exercitium prohibet. Partialis illa est quæ vel ascensum ad Ordinem superiorem, vel exercitium alicujus Ordinis, aut quarumdam tantum ejus functionum prohibet, v. g. : sacerdos cæcitate percussus, Missam celebrare non potest, sed ad concionandum, ad confessiones audiendas non ideo est inhabilis ; diaconus qui sinistrum amittit oculum ad sacerdotium fit inhabilis, *ut infra ostensuri sumus*, verum in suo Ordine ministrare potest.

Dividitur *ratione causæ* in irregularitatem ex delicto, quæ semper supponit peccatum mortale, per se externum et in sua specie consummatum, quia gravis pœna gravem supponit culpam, et in pœnis stricta adhibenda est interpretatio, juxta regulam : *Odia restringi convenit ;* et in irregularitatem ex defectu, quæ absque ulla culpa contrahi potest, *ut ex dicendis patebit.*

III. De eo qui potest statuere irregularitates. — Omnes consentiunt solum Romanum Pontificem vel concilium generale statuere posse irregularitates. Hæc potestas non competit episcopo pro sua diœcesi aut provincia ecclesiastica. Hinc non datur irregularitas propriæ Ecclesiæ, provincialis aut nationalis, nec ulla est nisi jure communi expressa, ut in Sexto, l. v, tit. 2, cap. 18, supponitur.

*His prænotatis*, dicemus 1° de irregularitate ex delicto, 2° de irregularitate ex defectu, et 3° de irregularitatis cessatione.

---

## CAPUT PRIMUM.

### DE IRREGULARITATE EX DELICTO.

Septem numerantur delicta ex quibus oritur irregularitas, videlicet : 1° homicidium ; 2° mutilatio sui vel alte-

rius; 3° illegitima Ordinum susceptio; 4° indebita Ordinum usurpatio; 5° indigna Ordinum administratio contra censuram; 6° Baptismi iteratio; 7° hæresis.

*Homicidium.*

Triplex distinguitur homicidium, justum, injustum et casuale. Homicidium justum irregularitatem ex delicto inducere non potest, cum non sit peccatum; homicidium casuale, id est, præter intentionem accidens, si non fuerit voluntarium in causa, ab omni peccato excusatur, ac proinde irregularitatem ex delicto producere nequit. Restat igitur homicidium injustum, voluntarium in se vel in causa.

Homicidium injustum, voluntarium in se vel in causa, ita ut sit peccatum mortale, publicum vel occultum, physice aut moraliter volitum, irregularitatem inducit. Id constat ex Decreto, parte 1, dist. 50, can. 4, et seq., ex Decretal. l. v, toto titulo 12, de Homicidio, ex aliis juris canonici capitibus, et ex concil. Trid. sess. 14, cap. 7 de Reform. Cum illi textus loquantur de homicidio culpabili etiam in causa ut expresse habetur in Decretal. l. v, tit. 12, cap. 10 et 11, sequitur omnes qui ad injustam occisionem hominis efficaciter concurrerunt, sive physice, sive moraliter, irregulares fieri, nisi aliqua ratione a mortali peccato excusari possint.

*Hinc* 1° si homicida, inflicto vulnere, facti pœniteat ante mortem vulnerati, secuta morte, nihilominus est irregularis, quia per gravem culpam efficaciter ad mortem cooperatus est: contra vero, qui alterum graviter vulneravit illum occidere volens, non est irregularis, si mors de facto non secuta fuerit, vel ex alia causa provenerit.

*Hinc* 2° qui homicidium mandavit, et mandatum revocare voluit sed non potuit, homicidii inde secuti fit reus ac proinde irreguliris; secus si revocationem mandati sufficienter manifestasset. Si vero consilio vel suasionibus aliquem ad alterum occidendum determinasset, homi-

cidio patrato irregularis esset, etsi illud postea impedire voluisset, quia illius causa efficax vere fuisset.

*Hinc* 3° omnes qui ad homicidium se excitant, quamvis unus tantum mortem inferat; omnes qui in bello injusto prælıantur, etsi unus occidatur; omnes qui pecuniam vel arma ad homicidium vel ad bellum injustum subministrant; omnes qui innocentem accusant aut judicant ad mortem, vel in causa ejus injuste testificantur; omnes qui occisorem sua præsentia, suis verbis aliove modo ad occidendum determinant, vel jam determinatum positive commovent, fiunt irregulares, *ut communiter docent theologi*, et S. Ligorius, l. VII, n. 374. Qui vero homicidium nomine suo patratum approbant, mortaliter peccant, *ut patet;* sed irregularitatem non incurrunt, quia in homicidium reipsa non influxerunt et ratihabitio nullibi exhibetur in jure ut irregularitatem inducens.

*Hinc* 4° qui homicidium impedire potest, et illud impedire non vult, si ad id teneatur solum ex charitate, non fit irregularis : *ita omnes;* si ex justitia, scinduntur theologi : multi negant eum irregularitatem incurrere, quia in homicidium vere non influit; alii vero, inter quos Navarrus, *Suarez*, *Bonacina*, *Tournely*, etc., affirmant, dicentes eum vere esse homicidam; etenim damnum in eo casu injuste illatum imputatur ei qui cum ex justitia illud impedire posset et deberet, non impediit : ergo similiter, etc. S. Ligorius æstimat priorem sententiam esse probabilem, et posteriorem communiorem ac probabilęm.

*Hinc* 5° qui prævidet aut prævidere potest et debet mortem alterius ex actione sua licita vel illicita secuturam ess', et hoc periculum culpabiliter præcavere negligit, irregularitatem contrahit, quia homicidium ei imputatur; secus, si nulla aut venialis tantum sit culpa. Sic expresse habetur in Decretal., l. v, tit. 12, cap. 7 et seq.

*Hinc* 6° qui abortum fetus animati directe vel indirecte cum gravi culpa procurat, fit irregularis. Decretal., l. v, tit. 12, cap. 20.

*Hinc* 7° qui cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum sui vel alterius occidit invasorem, irregularitatem

non incurrit, quia non peccat; si vero periculum mortis aliter vitare posset, aut pro solis temporalibus aggressorem occideret, mortaliter peccaret, homicida ac proinde irregularis esset. Decretal., l. v, tit. 12, cap. 2.

*Mutilatio.*

Qui sibi vel alteri aliquod amputat membrum per culpam gravem, fit irregularis, ut statuitur in Decreto, part. 1, dist. 55, can. 5 et 6; in Sexto, l. III, tit. 1, cap. 8; et supponitur in Clementin., l. III, tit. 5, cap. unico.

Diximus 1° *sibi vel alteri*, quia in jure mutilatio sui ipsius strictius quam mutilatio alterius prohibetur et irregularitatem producit. Decreti prima parte, dist. 33, can. 2, et dist. 36, can. 1.

Diximus 2° *aliquod amputat membrum*, quia per mutilationem simpliciter dictam intelligitur membri abscissio, et nomine membri illa pars hominis quæ habet officium per se distinctum, ut manus, pes, auris, etc. Qui ergo aliquam hujusmodi partem sibi vel alteri, per culpam gravem, abscinderet, sive physice instrumentum adhibendo, sive moraliter, abscissionem fieri jubendo, consulendo, etc., irregularitatem ex delicto incurreret. Secus, saltem probabilius, si tantummodo partem membri auferret, v. g., extremitatem digiti, cartilaginem auris, vel etiam, juxta multos, nasi, quia illæ cartilagines sunt quidem ornamenta odoratus et auditus, sed non proprie organa. Item qui hominem excæcavit, eum visu privando, sed oculum non extrahendo; qui membrum debilitavit, sed non abscidit, non est irregularis, quia proprie dicta non existit mutilatio.

Qui tamen digitum sibi truncavit, vel, absque justa ac licita causa, seipsum eviravit et evirari fecit, irregularis declaratur in jure, Decreti parte 1, dist. 55, can. 4, 5, 6, etc. Qui vero natus est eunuchus, vel talis factus est ex morbo, ex accidente, ex operatione necessaria, nullo modo irregularis est, ut omnes fatentur, et in jure ibid., can. 7, habetur.

*Illegitima Ordinum susceptio.*

Ordines illegitime suscipit : 1° qui non examinatus, vel non admissus, inter ordinandos se sistit et ordinationem suscipit; 2° qui sine episcopi dispensatione plures Ordines, quorum unus est sacer, eodem die recipit. Decretal., l. v, tit. 30, cap. 1, 2, 3, etc.; 3° qui post matrimonium contractum, etiam non consummatum, sacramentum Ordinis, invita uxore, suscipit. Extrav. Joan. XXII, tit. 6, cap. unico. Aliæ numerantur furtivæ Ordinum susceptiones quæ potius suspensionem quam irregularitatem inducunt; sed quoniam pro earum absolutione, sicut pro irregularitatum dispensatione, recurrendum est ad Papam, parvi refert, quoad praxim, an in his casibus sit irregularitas vel suspensio.

*Indebita Ordinum usurpatio.*

Ille dicitur Ordines usurpare qui functiones Ordinis quem non recepit, ex officio exercet. Clericus qui serio, scienter et solemniter ministrat in Ordine sacro quem non recepit, irregularitatem incurrit, ut statuitur in Decretal. l. v, tit. 28, cap. 1 et 2.

Dicimus 1° *clericus*, quia non constat laicum sic agentem irregularitatem incurrere : S. Ligorius, l. VII, n. 359, opinionem negantem tradit ut probabiliorem.

Dicimus 3° *serio ;* quia si ad discendum, repræsentandum aut jocandum ita se gereret, procul dubio irregularis non fieret; non enim functiones Ordinis non suscepti proprie usurparet.

Dicimus 3° *scienter ;* quia in textu Decretalium citato supponitur adesse temeritatem, et aliunde, seclusa scientia, gravis non existeret culpa ad irregularitatem ex delicto omnino necessaria. Unde qui crederet se talem Ordinem suscepisse, vel tale ministerium sui esse Ordinis, irregularitatem non incurreret.

Dicimus 4° *solemniter*, id est, cum circumstantiis requi-

sitis ut ex officio ministrare censeatur. Hinc qui evangelium cantaret sine stola, vel epistolam sine manipulo, functiones diaconi vel subdiaconi exercere non censeretur, cum simplices clerici vel etiam laici id aliquando faciant [1].

Clericus qui ex ignorantia vel ex falso parochi consilio epistolam cantaret cum manipulo, non ideo irregularis esset, quia graviter non peccaret.

Dicimus 5° *in ordine sacro;* in minoribus enim Ordinibus laici ministrare possunt, etiam cum vestibus ecclesiasticis.

Dicimus 6° *quem non recepit;* nam si exerceret functiones Ordinis realiter suscepti, sed illicite vel invalide, v. g., ob jurisdictionis defectum, graviter peccaret, et tamen irregularitatem non contraheret.

Hinc diaconus qui sine licentia episcopi officio vespertino vel defunctorum præsidet, concionem ad populum habet, solemniter baptizat, communionem distribuit, graviter peccat; sed irregularitatem non incurrit, quia functiones sui ordinis exercet : at si benedictionem cum sanctissimo sacramento impertiret aliasve benedictiones sacerdotales aut episcopales faceret, populum cum aqua benedicta ante Missam parochialem solemniter aspergeret, irregularis esset.

*Notandum* hanc irregularitatem ascensum ad superiorem Ordinem impedire, non vero exercitium Ordinis suscepti, nisi per modum suspensionis ad biennium aut triennium, juxta beneplacitum episcopi. Decretal. l. III, tit. 2, cap. 29.

[1] S. Cong. Rit. interrogata an consuetudo laicos, etiam conjugatos, induendi vestibus sacris, exceptis stola et manipulo, qui, ubi desunt diaconi et subdiaconi, pro majori solemnitate, celebranti assistunt, conservari possit, respondit, die 11 sept. 1847 : *Consuetudo tanquam abusus, omnino eliminanda, et in casu Missa cantetur per solum presbyterum.* Attamen responsiones diei 18 deceb. 1784 et diei 22 julii 1848 ferunt simplicem clericum, in necessitate, epistolam cantare posse absque manipulo.

*Indigna Ordinum ministratio contra censuram.*

Qui excommunicatione majori, suspensione aut interdicto ligatus, actum Ordinis sacri solemniter exercet, irregularitatem incurrit. Id constat 1° ex toto titulo 27, l. v Decretal.; 2° ex Sexto, l. v, tit. 11, cap. 1, 18 et 20; 3° ex communi doctorum consensu.

Qui vero cum excommunicatione minori sacram exerceret functionem, irregularitatem non contraheret, ut expresse statuitur in Decretal. l. v, tit. 28, cap. ultimo, nec qui alia censura innodatus, minores exerceret Ordines, cum hujusmodi actus a laicis et clericis indistincte nunc exerceantur, nec qui functiones majorum Ordinum exerceret, sed non solemniter, v. g., evangelium sine stola transversa, vel epistolam sine manipulo cantaret, cum hæc a cantoribus fieri possint, saltem in quibusdam circumstantiis, ut supra diximus, nec qui solemniter canit officium, nisi præsideat ut sacerdos, nec qui actus solius jurisdictionis exercet, v. g., diœcesim administrat, matrimonio assistit, etc.

Qui ex ignorantia cum censura ministrat, irregularitatem non incurrit : hæc exceptio in Decretal. l. v, tit. 27, cap. 9, exprimitur. Idem videtur dicendum de eo qui ex gravi necessitate cum censura ministrat : at episcopus vel sacerdos qui aliquem censuris innodatum cogit ad ministrandum, fit irregularis, ut docent S. Ligorius, l. VII, n. 358, et alii ex Decretal. l. v, tit. 27, cap. 5.

Qui celebrat in ecclesia polluta non fit irregularis, quia censuram non violat ; secus, si in ecclesia interdicta hoc faceret, *ut patet*. Item qui ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, schismatico, hæretico, ordinationem scienter accipit, similiter est irregularis, ut ex pluribus juris canonici locis probat S. Ligorius, l. VII, n. 358.

An qui cum censura ordinationem suscipit irregularitatem incurrat, non sibi consentiunt doctores ; sed omnes fatentur eum fieri suspensum et dispensatione summi Pontificis indigere.

*Baptismi iteratio.*

Irregulares ex delicto fiunt rebaptizans, ei assistentes seu ministrantes et rebaptizatus adultus, id est, qui iterationi Baptismi sui libere consentit, idque constat quoad rebaptizatum, ex Decreto, p. 1, dist. 50, can. 65; quoad assistentes, ex Decretal. l. v, tit. 9, cap. 2, ubi acolythus, qui baptismatis iterationi ministerium suum præstitit, declaratur irregularis, si actio ejus sit publica. Unde theologi et canonistæ communiter inferunt ipsum rebaptizantem *a fortiori* irregularem fieri, et plures asserunt hanc irregularitatem incurri, ex consuetudine, tum a rebaptizante, tum a ministrante, sive actio sit publica, sive sit occulta. Vide *Dens*, t. V, p. 208.

Qui baptismum dubium sub conditione iterant, certe non fiunt irregulares, ut omnes fatentur; si vero Baptismum nullo rationali motivo dubium iterarent, licet sub conditione, irregulares fierent, juxta Catechismum concilii Trident., Bened. XIV et alios multos, contra alios non paucos, inter quos *Suarez*, *Tournely*, S. Ligorius, l. VII, n. 356, etc. De hac quæstione jam egimus in Tractatu *de Baptismo*, cap. 6, art. 1, § 8.

Qui ab hæretico nominatim declarato, sine ulla necessitate baptizatur, in qualibet ætate, modo sit doli capax, est irregularis, ut in secunda parte Decreti, causa 1, q. 7, can. 10, expresse declaratur.

*Hæresis.*

In Sexto, l. v, tit. 2, cap. 2, hæretici, credentes, receptatores, defensores, fautores eorum, ipsorumque filii, usque ad secundam generationem, declarantur irregulares.

Sed valde dubium est an illa decretalis adhuc vigeat in pluribus regionibus ubi hæretici jam a longo tempore vivunt catholicis admixti. Etenim, irregularitas, ratione hæresis, suam radicem habere videtur in infamia; porro

hæc infamia non permanet post conversionem, saltem in supradictis circumstantiis; unde in Gallia, quicumque hæretici vere conversi, *a fortiori* eorum filii, ad clericatum idonei, ab episcopis ordinari solent sine ulla summi Pontificis dispensatione, et nemine renitente.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### DE IRREGULARITATE EX DEFECTU.

In veteri Lege quilibet ex stirpe Aaron descendens, *si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si herniosus, omnis qui habuerit maculam... non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* Lev. XXI, 18-21. Ergo quædam tunc existebant irregularitates ex defectu.

In primis Ecclesiæ sæculis, nulla agnoscebatur irregularitas ex defectu : in quinto vel in sexto sæculo quædam fuerunt in usu; aliæ decursu temporis eis additæ sunt, et nunc juxta præsentem disciplinam octo numerantur, scilicet : 1° defectus natalium, 2° defectus animi, 3° defectus corporis, 4° defectus ætatis, 5° defectus libertatis, 6° defectus famæ, 7° defectus sacramenti seu bigamia, 8° defectus lenitatis.

#### 1° *Defectus natalium.*

I. De introductione et effectu hujus irregularitatis. — Corruptio quæ, durantibus nono et decimo sæculis, clerum invaserat, fuit in causa cur concilium Biturícense, anno 1031 celebratum, stricte prohibuerit, can. 8, ne filii presbyterorum sive diaconorum, sive subdiaconorum, ad clericatum susciperentur; quæ prohibitio ad omnes alios illegitimos fuit extensa, ut patet ex Decretal. l. I, toto titulo 17, et præsertim capite 1 et ultimo, idque

convenienter ob reverentiam sacro ministerio debitam, propter peccati parentum detestationem, et ob metum ne filii incontinentiæ paternæ forent imitatores, ut frequenter accidit.

Illegitimi autem sunt, — a) qui nascuntur ex simplici fornicatione; — b) *a fortiori* adulteri et incestuosi; — c) qui ex matrimonio civiliter tantum contracto proveniunt; — d) qui suscepti sunt ex matrimonio legitimo quidem, sed cujus usus factus est illicitus per solemne votum castitatis in religione approbata, vel per Ordinis sacri susceptionem, ut habetur in Decretal. l. I, tit. 17, cap. 14. — e) Multi volunt infantes expositos, quorum parentes ignorantur, habendos esse ut illegitimos, quia sæpe de facto extra matrimonium validum nati sunt. Ita *Bonacina*, *Tournely*, etc. S. Ligorius vero l. VII, n. 432, cum pluribus aliis, contrariam habet sententiam ut probabiliorem, quia illegitimitas non constat, et *in dubio odia restringi convenit*. In tali conflictu obtinenda esset dispensatio saltem ab episcopo.

II. De cessatione hujus irregularitatis.—Illegitimitas tolli posset, quoad Ordines, 1° per legitimum subsequens matrimonium, modo inter partes nullum exstiterit impedimentum canonicum tempore copulæ, ex Decretal. l. IV, tit. 17, cap. 6. Unde si quis filium habuerit naturalem ex Anna et duxerit Mariam, atque, Maria mortua, matrimonium inierit cum Anna, filius ex ea natus fit legitimus. Contra vero, si quis, vivente uxore sua, filium habuerit ex Martha, et deinde, mortua uxore sua, hanc Martham ducat, filius ex illa habitus manet illegitimus. Qui ergo prolem ex muliere sibi consanguinea vel affine habuit et eam vult ducere, postulando dispensationem ab impedimento, simul postulare debet ut proles legitimetur. Hanc clausulam scribæ cancellariæ Romanæ omittere non solent, quando expositum fuit prolem existere.

Nota S. Ligorius, l. VII, n. 423, filium naturalem, qui ante matrimonium parentum sacris Ordinibus fuisset initiatus, dispensatione non obtenta, per matrimonium

eorum sequens legitimum fieri, ita ut ministrare et ad superiores Ordines ascendere posset absque ulla dispensatione, quia, licet susceptio Ordinis cum tali irregularitate gravis sit culpa, novam tamen non producit irregularitatem.

Si matrimonium esset nullum ob impedimentum occultum uni saltem sponsorum ignotum, filii ex illo nati reputarentur legitimi, modo solemnitates ab Ecclesia præscriptæ, videlicet denuntiationes in locis determinatis, non fuissent omissæ, aut legitima obtenta fuisset dispensatio: secus enim matrimonium esset clandestinum, et bona fides adesse non censeretur. Ita S. Ligorius, et plures apud ipsum.

2° Illegitimitas quoad Ordines tollitur per professionem religiosam, non vero quoad dignitates etiam in religione, v. g., abbatiam, prioratum, etc. : ad hoc requiritur dispensatio.

3° Tolli potest per legitimam dispensationem, quam episcopus concedere potest ad tonsuram et minores Ordines recipiendos, et possidenda beneficia quibus Ordo sacer non est annexus : ad sacros vero Ordines solus Papa dispensare potest. *Ita communiter theologi.*

Ad hæreditates et officia sæcularia olim dispensabat summus Pontifex cum illegitimis, quia lex civilis solam admittebat legitimitatem ab Ecclesia probatam : nunc autem apud nos illius dispensatio ad effectus civiles prorsus nulla est, sicut dispensatio principis vel legitimatio a lege civili admissa, ad suscipiendos Ordines insufficiens esset.

### 2° *Defectus animi.*

Triplex distinguitur defectus animi, scilicet defectus rationis, defectus scientiæ et defectus fidei confirmatæ. Triplex ille defectus irregularitatem producit.

1° Defectus rationis quo laborare censentur perpetuo amentes; ii qui vel semel ex læsione organorum, non vero ex febri aliave causa transeunte, fuerunt insani; lunatici, qui per temporum intervalla usum rationis

amittunt; epileptici et arreptitii seu a dæmone vexati, ut ex Decreto, p. 1, dist. 33, cap. 2, constat. Hi omnes ad suscipiendos Ordines sunt irregulares, etiamsi videantur sanati, propter quamdam indecentiam et periculum ne eadem infirmitate corripiantur. Ordines vero susceptos exercere permittuntur si per temporis spatium ab episcopo determinandum relapsi non fuerint. Can. 3 dist. modo citatæ requirit spatium unius anni pro iis qui a dæmone vexantur.

2° Defectus scientiæ competentis irregularitatem inducit, ut constat ex Decreto, p. 1, dist. 36, can. 1, et ex dictis in Tractatu *de Ordine*, cap. 7, art. 2, n. 4.

3° Defectus fidei confirmatæ, quo intelligendi sunt neophyti, seu adulti recenter conversi ex paganismo, judaismo, mahumetismo, *ne superbia elati, in judicium incidant diaboli*, ut ait ipse B. Paulus, I Tim., III, 6, et habetur in Decreto, p. 1, dist. 48, can. 1 et 2. Episcopi est judicare an sufficiens effluxerit tempus ab eorum conversione ut neophyti jam non sint reputandi.

### 3° *Defectus corporis.*

Ex variis canonibus distinctionis 55, p. 1 Decreti, ex Decretal. l. I, tit. 20, *de corpore vitiatis ordinandis*, et l. III, tit. 6, *de clerico ægrotante vel debilitato;* hi omnes sunt irregulares qui propter aliquem corporis defectum functiones Ordinum vel nullatenus exercere possunt, vel non sine magna indecentia, aut horrore vel scandalo assistentium.

Hinc irregulares judicantur 1° mutilatus, crus ligneum habens; manu, pollice vel indice uti non valens; verum qui caret tantum ungue pollicis vel indicis, non est irregularis; qui jam est ordinatus et habet pollicem vel indicem impeditum, in casu necessitatis aliis digitis Eucharistiam ministrare posset, sed probabilius celebrare nequiret, ut S. Ligorius docet et plures apud ipsum, l. IX, n. 244, et l. VII, n. 408. Qui uno tantum minori digito caret, aliter quam per voluntariam mutilationem, non

judicatur irregularis; nec, juxta *Tournely*, qui caret duobus; nec juxta communem sententiam, qui sex habet digitos, modo sextus aliorum usum non impediat; et sextus ille digitus abscindi potest sinepericulo irregularitatis, quia hæc resecatio non est proprie mutilatio.

2° Cæcus, visu omnino carens vel ita cæcutiens, ut in Missali legere non possit : si tamen jam sit sacerdos, et moraliter certus sit se non erraturum pronuntiando, facultatem obtinere potest Missas votivas de B. Maria vel de *Requiem* celebrandi, ut in Tractatu *de Eucharistia* diximus. Qui visu oculi dextri tantum privatur, non est irregularis, modo notabilis inde non nascatur deformitas; si vero non videat oculo sinistro, qui dicitur oculus canonis, ut irregularis communiter habetur, nisi canonem oculo dextro sine deformitate legere possit, quod episcopi judicio subjicitur.

3° Surdus, quia vocem ministri respondentis audire non potest, nec igitur sine indecentia celebrare; ita communissime doctores, contra nonnullos qui hanc indecentiam negant, dicentes celebrantem ex aliis signis percipere posse ministrum respondisse. Si tamen surditas, sacerdotio suscepto, adveniat, sacerdos non reputatur irregularis, quia defectus facilius toleratur in promoto quam in promovendo. Surdaster non est irregularis neque ad Ordines exercendos, neque ad eos suscipiendos. S. Ligorius, l. VII, n. 450.

4° Mutus aut balbutiens, qui verba integra pronuntiare non potest, aut non nisi cum magna difficultate, et risum vel contemptum excitat.

5° Claudus qui sine baculo in altari sustentari non potest, non vero ille qui claudicat vel crura distorta habet, si baculo non indigeat, nisi inde magna sit in eo deformitas.

6° Leprosus aut alio morbo perpetuo celebrationem impediente, aut horrorem excitante, laborans, v. g., cancere aliave plaga valde deformante : item qui haberet labia corrosa vel abscissa ad instar leporis, inquit S. Ligorius; qui careret naso, vel haberet valde distortum,

demissum aut promissum. Qui tamen jam esset ordinatus, posset in his casibus celebrare secreto, ut in Tractatu *de Eucharistia* diximus.

7° Monstruosus, v. g., habens gibbam enormem quæ magnam producit deformitatem, incurvus qui recto capite stare non potest, pygmæus adeo brevis statura ut risum moveat, præsertim si ingens caput habeat, qui brachia tantum extendere non potest quantum ad ministerium altaris necesse est; Æthiops qui apud nos risum movet, aut quemdam horrorem excitaret, si divina celebraret mysteria.

In dubio autem an aliquis ex defectu corporis sit irregularis, Ordinarius habet jus pronuntiandi, licet a defectu vere existente dispensare non possit, ut ex Decretal. l. I, tit 20, c. 2, et ex communi doctorum sententia constat.

### 4° *Defectus ætatis.*

De hoc defectu sufficienter egimus in Tractatu *de Ordine*.

### 5° *Defectus libertatis.*

Hoc defectu irregulares censentur qui ita implicantur negotiis alienis, ut non possint se devovere ecclesiastico ministerio, quales sunt : 1° servi proprie dicti, donec plenam consecuti fuerint libertatem, ex Decreto, p. 1, dist. 54, can. 1 et 9, ex Decretal. l. I, tit. 18. Cum servi proprie dicti apud nos non existant, de hac irregularitate longius disserere inutile esset.

2° Conjugati, nisi eorum uxores castitatem voluntarie profiteantur in religione approbata, vel in sæculo, ex consensu episcopi. Si conjugatus promovendus esset ad episcopatum, uxor ejus religionem ingredi teneretur. Hæc statuuntur in Decretal. l. III, t. 32, cap. 5, 6 et seq. Si vir fieret religiosus, et uxor esset juvenis, ipsa etiam vitam monasticam amplecti deberet; si vero esset senex et sterilis, in sæculo remanere posset, viro ad religionem ex consensu ejus transeunte, ibid., cap. 9. Qui per divor-

tium perpetuum, v. g., ob adulterium, ab uxore separatus esset, absque consensu ejus Ordines sacros suscipere vel religionem ingredi posset, ut docet S. Ligorius, l. VI, n. 969, *Notandum*.

3° Curiales, id est, curiæ sæculari præstito juramento alligati, ut judices, et communiter qui publicam vel etiam privatam gerunt administrationem aut curam habent bonorum temporalium aliarumve rerum sæcularium alterius, quales sunt thesaurarii vel depositarii publici, donec rationem negotiationis vel gestionis suæ reddiderint. Item magistratus et milites donec officio suo, consentiente principe cui sunt obstricti, penitus renuntiaverint, ex Decreto, p. 1, dist. 54, can. 3, et ex Decretal. l. I, tit. 19, cap. unico. Olim in Gallia officiales regii ordinari poterant retentis officiis quorum munera cum dignitate ecclesiastica non erant incompatibilia.

### 6° *Defectus famæ.*

Duplex distinguitur infamia, una juris, et altera facti. Infamia juris ea est quæ incurritur per sententiam declarantem aliquem de enormibus criminibus esse convictum. Infamia facti ea est quæ contrahitur per notorietatem publicam alicujus criminis enormis, vel per exercitium artis ignominiosæ. Hæc divisio indicatur in Decretal. l. I, tit. 11, cap. 17, ubi dicitur : *Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non est irregularitas.*

Quicumque vere sunt infames, vel quia ad pœnas infamantes fuerunt damnati, vel ratione criminum notoriorum aut artis ignominiosæ infamati, sunt irregulares, ut expresse statuitur in Decreto, p. 2, causa 6, quæstione 1, can. 17. Crimina autem quibus annexa est infamia, sunt homicidium, perjurium factum in judicio, hæresis, simonia, sodomia, crimen læsæ majestatis, adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio cardinalium vel episcoporum; et, ex jure novo, nempe ex conc. Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform. matri-

monii, mulierum raptus, ad illum cooperatio; item duellum, paratio armorum contra parentes, exercitium histrionis cum turpibus repræsentationibus, etc.

*Notandum* 1° hæc crimina, quamdiu manent occulta, irregularitatem non producere, excepto solo homicidio : porro reputantur occulta quoties in judicio non fuerunt probata, vel aliunde non evaserunt ita notoria ut nulla tergiversatione celari possint.

*Notandum* 2° innocentes ex falsis testimoniis ad pœnas infamantes, v. g., ad triremes, ad exsilium, ad deportationem, ad publicam expositionem damnatos, nihilominus manere irregulares, donec sententia fuerit revocata vel legitimam dispensationem obtinuerint, quia de facto sunt infames.

Qui olim publicam egerant pœnitentiam, censebantur infames, ac proinde irregulares, ex Decreto, p. 1, dist. 33, can. 2, et dist. 61, can. 3.

Item qui professionem ex jure infamantem exercuerunt, nempe artem scenicam, histrionicam, et generaliter ii omnes qui in theatris ex professione luserunt.

Alii sunt conditionis adeo vilis, ut quamvis proprie non sint infames, ad Ordines tamen, propter honorem ecclesiasticum, admitti nequeunt, v. g., qui actu exercent artem macellariam, cloacariam, funambulariam, *a fortiori* carnificiam : non vero excluduntur eorum filii, nec ii qui a multo tempore has viles artes non exercent, vel eas in aliis regionibus exercuerunt et hoc ignoratur. Attamen sæpe prudentia exigit ut filii carnificum, ultimo supplicio aliave pœna infamanti damnatorum, latronum, decoctorum, etc., quamvis non irregulares, a statu clericali removeantur; et sic agere consuevimus.

Infamia juris per solam legitimam dispensationem auferri potest : infamia vero facti, per longam et sinceram emendationem tollitur. Episcopus autem judicat an sufficiens exstiterit probatio ut bona recuperata fuerit fama.

7° *Defectus sacramenti, seu bigamia.*

I. Quid et quotuplex bigamia. — Bigamia in eo consistit ut quis duas vel plures habuerit uxores. Triplex in jure canonico distinguitur, nempe realis, interpretativa et similitudinaria.

Bigamia realis ea est quam modo definivimus, cum quis scilicet duas vel plures duxit uxores.

Bigamia interpretativa dicitur, cum quis matrimonium iniit cum muliere non virgine, videlicet cum vidua, vel cum meretrice aut cum puella ab alio corrupta, non vero a se cognita : in posteriori hoc casu non existeret divisio carnis, nec ideo bigamiæ interpretatio. Secus si ad propriam accederet uxorem post adulterium ab ea commissum, aut si post matrimonium consummatum, aliud cum alia muliere etiam virgine invalide contrahat et consummet.

Bigamia similitudinaria locum habet cum quis post castitatem solemniter promissam vel in professione religiosa, vel in Ordinis sacri susceptione, matrimonium etiam cum virgine contrahere attentat et consummat. Sed qui plures habuit concubinas, vel cum diversis mulieribus fornicationem commisit, non est bigamus, quia reipsa plures non habuit uxores, nec plures habere tentavit, nec quid simile fecit.

II. De effectu triplicis bigamiæ. — Triplex bigamia supra recensita irregularitatem producit, ut constat ex variis juris capitibus, præsertim ex Decreto, p. 1, dist. 3, can. 2, et part. 2, causa 31, q. 1, canone 10, ex Decretal. l. 1, tit. 21, *de Bigamis non ordinandis ;* et hæc irregularitas fundatur in textibus Apostoli, qui I Tim. III, 2, et ad Titum, 1, 6, requirit ad Ordines sacros viros *unius uxoris*. Et rationes sunt : 1° defectus sacramenti, id est significationis sacramentalis, siquidem matrimonium apud christianos est sacramentum, id est symbolum unionis Christi cum Ecclesia ; porro hanc unionem scilicet unius cum una, virginis cum virgine non perfecte

repræsentat qui plures successive uxores habuit, aut mulierem non virginem duxit; 2° signum incontinentiæ quod in secundo matrimonio, quamvis licito, invenitur.

Bigami non solum sunt irregulares quoad Ordines suscipiendos vel Ordinum susceptorum exercitium, sed insuper omni privilegio clericali privantur, v. g., tonsuram et habitum clericalem deferre non possunt, ex Sexto, l. I, tit. 12, *de Bigamis*, capite unico. Quod tamen non intelligendum est de clericis in Ordinibus sacris constitutis qui, propter reverentiam Ordinum, privilegio clericali, tonsura et habitu non privantur nisi per degradationem.

Hæc irregularitas, quoad susceptionem et usum Ordinum majorum, a solo Pontifice maximo tolli potest. Plures volunt episcopos ab illa dispensare posse quoad Ordines minores; sed opposita sententia nunc communior et probabilior videtur. Excipitur tamen bigamia similitudinaria in qua episcopus, post longam pœnitentiam et laudabilem vitam, dispensare potest, ex Decretal. l. III, tit. 3, cap. 4; S. Lig., l. VII, n. 452.

### 8° *Defectus lenitatis*.

I. Principium et natura hujus irregularitatis. — Cum Christus fuerit mitissimus, pertransierit benefaciendo et nemini nocuerit, maxime congruit ut ipsius ministri sua lenitate sint commendabiles. Deus ipse noluit ut David sibi ædificaret templum, quia multum sanguinem effuderat et plurima bella bellaverat. I Paralip. XXII, 8. Eadem ratione innixa, statuit Ecclesia eos qui, post Baptismum, ad mortem vel mutilationem, illa secuta, voluntarie, licet juste, concurrerint, irregulares futuros esse, ut patet ex variis juris canonici capitibus, maxime ex Decreto, p. 1, dist. 51, can. 1 et 5; ex Decretal. l. v, tit. 20, cap. 1; ex Sexto, l. III, tit. 24, cap. 3, et ex unanimi doctorum consensu.

Diximus 1° *post Baptismum*, quia id formaliter expri-

mitur in jure, nempe in Decreto, p. 1, dist. 50, can. 8 et 61, et dist. 51, can. 1.

Diximus 2° *ad mortem vel mutilationem*, quia utraque exprimitur.

Diximus 3° *illa secuta*, quia lex factum supponit : non sufficit ergo sola intentio occidendi vel mutilandi, nec solus conatus, effectu non secuto.

Diximus 4° *voluntarie*, quia, ex Clement. l. III, tit. 4, cap. unico, furiosus, infans, dormiens, si occidant aut mutilent, irregulares non fiunt. Idem dicendum est *a pari* de ebrio, nisi prævidere potuerit se in ebrietate occisurum esse. Qui ad tuendam propriam vel alterius vitam injustum occidit vel mutilat aggressorem, hoc voluntarie facere non censetur, et ideo irregularitatem non incurrit, ut supra ostendimus, et quia irregularitas non statuitur in jure nisi ob homicidium vel mutilationem in bella justo vel in judicio.

Diximus 5 *juste* ; si enim injuste ageret, irregularitatem ex delicto et non tantum ex defectu incurreret.

Diximus 6° *concurrerint ;* quo verbo omnes comprehenduntur qui ad justam alterius mortem vel mutilationem proxime cooperati sunt.

II. Enumerantur qui defectu lenitatis sunt irregulares. — Qui in bello justo offensivo propria manu aliquem occidit vel mutilat, fit irregularis, non vero qui ad bellum justum incitavit, in bello ad fortiter dimicandum exhortatus est, qui incarceravit, percussit, vulneravit, etc., quia jus loquitur tantum de occisione vel mutilatione. Unde qui nullum certe occidit nec mutilavit, quamvis strenue decertaverit et multi fuerint occisi, non est irregularis, et in hoc ingens datur discrimen inter bellum justum et bellum injustum, quoad irregularitatem ; nam in bello injusto omnes decertantes fiunt irregulares, etsi unus occiderit vel mutilaverit. *Ita communiter theologi*, et ex professo Benedictus XIV, Inst. 101, n. 9. Probatur insuper ex Decretalium lib. v, tit. 12, cap. 24, laicum et clericum in bello justo defensivo occidentem vel mutilantem non fieri irregularem. Sæpe au-

tem bellum ex utraque parte potest esse justum, saltem respectu militum, qui regi vel duci suo parere debent quoties non præcipitur aliquid evidenter injustum.

Attamen Congr. Concilii Trid. sancivit, die 13 januarii 1703, clericum in sacris constitutum vel beneficiatum, qui militiæ nomen dedit, in bello militavit, irregularem esse si aliquando sclopetum adhibuerit in aliquo conflictu, etiamsi juramentum præstaret se nullum læsisse. Vide S. Ligorium, l. VII, n. 459.

In dubio an existat factum cui annexa est irregularitas, v. g., occisio vel mutilatio in bello justo, judicandum est eam existere pro foro interno, quia pars tutior est eligenda. Itaque in eo casu non licet Ordines suscipere nec susceptos exercere. Sed clericus beneficio adepto non privaretur ante sententiam judicis, quia dubia irregularitas habetur ut nulla in foro externo donec probetur. Ita Bened. XIV, Inst. 101, n. ultimo.

2° Qui in judicio justo ad mortem aut mutilationem alicujus active, efficaciter, proxime et per actionem ex natura sua ad id ordinatam cooperantur, irregulares fiunt. — a) *Active*, quia sola præsentia exsecutioni sententiæ, vel exhortatio confessarii ad mortem patienter subeundam irregularitatem non pareret. — b) *Efficaciter*, quia, *ut jam diximus*, intentio et conatus, effectu non secuto, ad irregularitatem non sufficiunt. — c) *Proxime*, qui enim remote tantum ad mortem aut mutilationem concurrunt, v. g., arma bellica faciunt, vendunt, præparant, instrumenta pro truncandis, suspendendis aut mutilandis damnatis fabricant, erigunt, irregulares non fiunt; neque rex constituens leges quibus malefici ad supplicia damnandi sint, vel judicibus delegans potestatem has leges applicandi; nec episcopus tradens brachio sæculari clericum degradatum, vel hominem de hæresi convictum, nec doctor, concionator, confessarius, etc., docens malefactores puniendos esse, modo aliquem vel aliquos in particulari non designent. — d) *Per actionem ex natura sua*, etc., quia effectus qui per accidens evenit, non est imputabilis : unde confessarius qui dicit carni-

fici : *Officium meum implevi ; nihil impedit quin tuum impleas*, irregularis non fit. — e) *Cooperantur :* hoc verbo comprehenduntur judices eorumque assessores et scribæ ad sententiam positive concurrentes, non vero domini temporales etiam ecclesiastici, causas aliis committentes, ut habetur in Sexto, l. III, tit. 24, cap. 3; testes qui libere sese offerunt ad deponendum contra reum, etiamsi protestarentur se non intendere sententiam sanguinis : ab irregularitate vero excusantur qui ad testificandum coguntur, ut communiter docent theologi; accusatores qui coram judice sæculari reum de crimine digno sententia sanguinis accusant; criminalem petentes vindictam, ut faciunt procuratores imperiales eorumque substituti seu vicem gerentes; vel denuntiatores, nisi propriorum vel cognatorum usque ad quartum gradum damna præcavere aut eorum reparationem obtinere volentes, protestentur se nolle sententiam sanguinis, juxta expressam dispositionem juris in Sexto, l. v, tit. 4, cap. 2. Hæc autem protestatio in causa aliena ab irregularitate non excusaret. Vide S. Ligorium, l. VII, n. 468.

3° Medici et chirurgi laici qui artem suam secundum regulas prudenter exercent, irregulares non sunt, etiam quando membra absciderunt et mortem ex remediis vel operationibus suis cum bona fide administratis aut factis accidere procuraverunt : si vero propter ignorantiam, præcipitationem, vel incuriam, mortaliter peccarent, aliquem mutilando, vel morti ejus occasionem præbendo, irregulares fierent ex delicto, *ut patet*.

Stricte prohibitum est clericis, in concilio Later. III, ad sententiam sanguinis concurrere, vel ubi exercetur interesse; vel, si in sacris Ordinibus sint constituti, ullam chirurgiæ artem quæ adustionem vel incisionem inducit, exercere, Decretal. l. III, tit. 20, cap. 9. Unde clerici ad sententiam sanguinis positive concurrentes, non tantum fiunt irregulares sicut laici, sed mortaliter peccant propter Ecclesiæ prohibitionem : si exsecutioni sententiæ simpliciter intersint, in illam sua auctoritate vel præsentia minime influentes, peccant saltem venialiter, propter

prohibitionem et scandalum inde proveniens; sed irregulares non fiunt. Item nec ii sunt irregulares, qui medicinam vel chirurgiam scienter ac prudenter exercuerunt, modo nec adustio, nec incisio intervenerit. Sedulo tamen caveant ne, per remedia imprudenter præscripta, mortem alicujus etiam infantis nondum nati procurent: nam tunc irregularitatem ex delicto facile incurrerent.

---

## CAPUT TERTIUM.

### DE IRREGULARITATIS CESSATIONE.

I. De modo quo cessant irregularitates. — Quædam irregularitates cessant 1° per ablationem causæ, si nempe cesset defectus corporis aut ætatis, si obligatus ad publica officia, ea deserat vel aliter ab eis solvatur; 2° per Baptismum, quo irregularitates ex delicto, v. g., ex homicidio, ex mutilatione, tolluntur : ea via tamen non auferetur irregularitas ex bigamia, sive culpabili, sive non culpabili, oriens; 3° per professionem religiosam qua irregularitas ex defectu natalium ad suscipiendos Ordines tollitur, non vero ad dignitates possidendas, ut supra notavimus; 4° per dispensationem; omnes enim irregularitates proprie dictæ solo jure ecclesiastico fuerunt institutæ; ergo legitima dispensatione auferri possunt, sicut impedimenta matrimonium dirimentia vel impedientia.

Diximus *irregularitates proprie dictæ*, id est, quadam indecentia fundatæ; nam si veræ existerent impossibilitates, ut si vir careret manibus, cruribus, scientia omnino necessaria, jure naturali inhabilis esset et a nemine legitime dispensari posset.

II. De his qui ab irregularitatibus dispensare possunt. — 1° Summus Pontifex a qualibet irregularitate, tum ex delicto, tum ex defectu, dispensare potest, quia

habet potestatem in omni jure ecclesiastico dispensandi.

2° Major pœnitentiarius in cunctis casibus occultis dispensare potest pro foro interno super irregularitate ex quocumque delicto vel defectu proveniente.

3° Episcopi autem dispensare possunt per se, vel per vicarium generalem ad id specialiter deputandum, in omni irregularitate ex delicto occulto provenienti, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis ad forum contentiosum deductis : hanc facultatem expresse eis concessit conc. Trid. sess. 24, cap. 6 de Reform. Hinc ut advertit *Ferraris*, v° *Irregul.*, art. 3, n. 8, dispensare possunt ab irregularitate provenienti ex homicidio occulto causa defensionis propriæ vel alienæ, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia tale homicidium non censetur voluntarium, et ab irregularitate ex mutilatione occulta etiam voluntaria, quia mutilatio non excipitur a concilio. In irregularitatibus ex defectu dispensare nequeunt, sola bigamia similitudinaria excepta, de qua superius diximus, p. 580.

4° Capitulum, sede vacante, eamdem habet potestatem ab irregularitatibus dispensandi ac episcopus, quia jurisdictionem episcopalem exercet. Ita *Ferraris*, ibid. n. 13.

5° Prædicta concilii Trid. concessio facta episcopis, prælatis, episcopis inferioribus, non competit, ut S. Congr. Concil. declaravit, die 9 decemb. 1582, quia reipsa hi prælati, etsi subditos et jurisdictionem quasi episcopalem habeant, proprie tamen non sunt episcopi.

Verum plures summi Pontifices hanc facultatem prælatis regularibus relative ad subditos concesserunt, v. g., S. Pius V, prælatis ordinis Prædicatorum, Sixtus IV prælatis Ordinis Minorum, Paulus III præpositis generalibus societatis Jesu, etc. Juxta S. Ligorium, l. VII, n. 355, prælati regulares in genere, ex privilegio S. Pii V, et ex alio Gregorii XIII, dispensare possunt cum suis subditis in omni irregularitate occulta, in qua episcopi dispensant cum suis.

III. De forma adhibenda in dispensando de irregularitatibus. — Nulla præscribitur forma sub qua dispen-

satio ab irregularitate applicari debeat : sola sufficit voluntas superioris irregularitatem, vel irregularitates, si plures sint, cognoscentis, tollere formaliter volentis, et suam voluntatem clare exprimentis. Attamen ubi est formula ab episcopo determinata, adhibenda est ab iis qui obtinent facultatem super irregularitatibus dispensandi, juxta mentem episcopi. Apud nos hujusmodi formula existit, sed declaratur illam non esse præscriptam sub pœna nullitatis.

*Quæritur* utrum aliquis in dubio judicandus sit irregularis.

*R.* Duplici ratione irregularitas dubia esse potest, scilicet si dubitetur an existat lex tale factum aut talem defectum inter irregularitates inducens, et dubium est juris; et si, lege certo existente, dubitetur an admissum fuerit factum vel existat defectus cui annexa est irregularitas, v. g., an in abortu fetus fuerit animatus, an mors ex facto agentis provenerit, an quis sit satis gibbosus, claudus, maculatus, etc., ut sacrum ministerium decenter exercere queat, et dubium istud dicitur facti.

1° In dubio juris communiter docent theologi, ex cap. 18, tit. 11, l. v Sexti, neminem teneri se gerere ut irregularem; nam ibi supponitur nullam existere irregularitatem, quæ in jure non sit expressa : sed cum odia sint restringenda, irregularitas dubia non est proprie expressa in jure : ergo, etc. Ita multi Probabilistæ cum S. Ligorio, l. VII, n. 346, et alii de laxitate non suspecti, ut P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, etc. Si tamen, omnibus perpensis, longe probabilius esset legem existere, tunc dicit *Collet* unumquemque se gerere teneri ut irregularem, quia in tali conflictu, ex principiis ejus circa probabilismum, pars tutior est eligenda.

2° In dubio an commissum fuerit homicidium voluntarium, v. g., an mors ex vulnere, ex potione, etc., secuta fuerit, standum est pro irregularitate, ut expresse statuit Innocentius III, in Decretal. l. v, tit. 12, cap. 18 relatus, et generaliter docent auctores.

An in aliis dubiis facti admittenda sit irregularitas,

valde controvertitur inter theologos. S. Ligorius cum aliis multis, ut *Suarez*, *Cabassut*, *Collet*, negat, quia odia sunt restringenda, et in dubio nemo habendus est ut reus : *Daelman*, *Billuart*, *Dens*, volunt irregularitatem existere, quia rationes a summis Pontificibus allegatæ pro validitate irregularitatis ex homicidio voluntario dubio provenientis, valent etiam pro alio quocumque dubio. Ergo, etc.

Prior sententia probabilior nobis videtur, et certum esse arbitramur episcopum in tali dubio ad cautelam dispensare posse.

FINIS TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

# APPENDIX.

Cum doctrinæ in celebri Bulla *Auctorem fidei* expressæ, in cursu theologiæ sæpissime recurrant, antequam his Institutionibus finem imponamus, ipsammet Bullam in extenso referendam duximus prout in *Bullario magno Romano* jacet. Sic omnes hanc fidei definitionem errorumque confutationem, nostris præsertim temporibus maximi momenti, facile adire poterunt, quam forte, nisi hic submitteremus, reperire nequirent.

## SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VI

DAMNATIO quamplurium propositionum excerptarum ex libro italico idiomate impresso sub titulo : *Atti e Decreti del concilio diocesano di Pistogia dell' anno* 1786. *In Pistoja per Atto Bracali, stampatore vescovile. Con approvazione;* cum prohibitione ejusdem libri, et aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam forsan editorum, quam in posterum edendorum.

---

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, universis Christi fidelibus salutem, et Apostolicam benedictionem.

§ 1. Auctorem fidei et consummatorem Jesum aspicientes, nos jubet Apostolus [1] sedulo recogitare qualem quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne, laboribus et periculis defatigati, deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos, ac refici tum maxime necessum est, cum adversus corpus ipsummet Christi, quod est Ecclesia [2], diræ istius, nec

[1] Ad Hebr. XII. — [2] Ad Coloss. 1.

unquam desituræ conjurationis æstus acrius exardescit; ut a Domino confortati, et in potentia virtutis ejus scuto fidei protecti resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea exstinguere [1]. In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cujusque generis christiani nominis hostes colluctatio subeunda : gravior Nobis quibus pro credita pastorali Nostræ sollicitudini gregis totius cura et moderatione, *major cunctis christianæ religionis zelus incumbit* [2]. Verum in hac ipsa oneris gravitate, quæ humeris nostris imposita est, *portandi onera omnium qui gravantur*, quo magis conscii Nobis sumus infirmitatis Nostræ, eo firmiorem in spem erigit Nos, et sublevat Apostolici hujusce muneris in persona B. Petri divinitus instituta ratio, ut qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiæ gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse Apostolicæ gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione, ac tuendos hæredes dedisset.

§ 2. Et in hisce quidem ærumnis quæ undique circumstant ad cæterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat Nos gaudere, majorem inde tristitiam hauriremus. *Quippe cum aliquis sacrosanctæ Ecclesiæ Dei præpositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in præceps deviæ persuasionis avertit, et hoc in amplissima urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et major sollicitudo adhibenda* [3].

§ 3. Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiæ, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina; fuit episcopus duplicis sedis honore insignis (Scipio de Riccis, antea episcopus Pistoriensis et Pratensis), quem ad Nos pro pastolari munere suscipiendo accedentem paterna charitate complexi sumus; qui vicissim Nobis, atque huic Apostolicæ Sedi in ipso sacræ suæ ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemni jurisjurandi

[1] Ad Ephes. VI. — [2] S. Siricius ad Himerium Tarrac. *epist.* I *ap. Coust.* — [3] S. Cælest. I, *ep.* XII, *apud Coust.*

religione obstrinxit. Atque is ipse non longo intervallo posteaquam a complexu Nostro cum osculo pacis dimissus, ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversæ sapientiæ magistrorum fraudibus circumventus, eo cœpit intendere, ut quam superiores antistites ex ecclesiastica regula laudabilem, et pacatam christianæ institutionis formam jamjam pridem invexerant, ac pene defixerant, non ille pro eo ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictæ reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

§ 4. Quin etiam cum et hortatu Nostro ad synodum diœcesanam animum adjunxisset, præfracta ejus in suo sensu pertinacia effectum est ut unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam synodus hæc Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquandiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit hoc fuisse auctorum consilium, ut quæ antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, Apostolicis, quibus proscripti sunt, decretis fidem auctoritatemque derogarent.

§ 5. Quæ cum cerneremus, quo graviora sunt per sese, tanto impensius pastoralis Nostræ sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quæ surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accommodatiora viderentur, atque in primis sapientis moniti memores prædecessoris Nostri B. Zosimi [1], *ea quæ magna sunt magnum pondus examinis desiderare*, synodum ab episcopo editam primum quatuor episcopis, aliisque adjunctis e clero sæculari theologis examinandam commisimus, tum et plurium S. R. E. cardinalium, aliorumque episcoporum congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca

[1] Zosimus, *ep.* II, *apud Coust.*

inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram Nobis voce et scripto edita excepimus; qui et synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt; quorum auditis perspensisque animadversionibus, illud quoque Nobis curæ fuit, ut selecta ex tota synodo præcipua quædam pravarum doctrinarum capita, ad quæ potissimum fusæ per synodum reprobandæ sententiæ directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subjiceretur.

§ 6. Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte jam paratæ calumniæ obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus hujusmodi periculosis noxiisve novitatibus reprimendis plures Nostri sanctissimi prædecessores, tum et gravissimi antistites, ac generales etiam synodi rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent. Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persæpe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum latens error lenius influat in animos, fiatque ut corrupta per brevissimam adjectionem aut commutationem veritate sententiæ, confessio quæ salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque hæc quidem involuta, fallax disserendi ratio, cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in synodo minime ferenda, cujus est hæc laus præcipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quæ nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quæ afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quæ alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius

[1] S. Leo M. *ep.* CXXIX *edit Balter.*

explicata, aut etiam correcta reperiantur : quasi procax isthæc affirmandi, et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quæ fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret : aut quasi rudibus præsertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem synodi vulgari lingua omnibus expositæ, præsto semper essent alia, quæ inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis, satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per sese componenda, ut quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani antistitis Nestorii litteris jam olim sapienter detectum, gravissima reprehensione prædecessor Noster Cælestinus[1] coarguit; quibus nempe in litteris vestigatus veterator ille, deprehensus, et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens, vel confiteretur negata vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium sæpe omni ætate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quæ sub latibulo ambiguitatis periculosam, suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

§ 7. Quam et Nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus jam feliciter evenisse) magno fore adjumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui supererunt, quod Deus avertat, synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas, justæ suæ damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes, per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illæ

[1] S. Cælestinus, *ep.* XIII, *n.* 2, *ap. Coust.*

testantur sententiarum dissimilitudine, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc præconcepta mitior opinio de synodo, his etiam omnis conquerendi locus præcludatur, qui si recte sapiunt, ut videri volunt, ægre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quæ erroras præ se ferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

§ 8. Necdum tamen satis ex animo lenitati nostræ factum putavimus, seu verius charitati, quæ urget Nos erga fratrem nostrum, *cui* omni ope *volumus, si adhuc possumus, subvenire* [1]. Charitas nempe illa urgent Nos, qua inductus prædecessor Noster Cælestinus [2] etiam *contra fas,* seu majori quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos exspectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque Patribus volumus et optamus homines prava docentes *pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat* [3].

§ 9. Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem prætermissum videretur, præfatum episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur, amantissimis litteris ad eum jussu Nostro datis ad Nos acciendum duximus, polliciti fore ut benevolo animo a Nobis exciperetur, nec vetaretur quin, quæ in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque expromeret. Nec vero spes Nos omnis deseruerat fieri posse, ut siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in episcopo maxime Augustinus [4] requirebat cum simpliciter et candide, omni remota concertatione et acerbitate, recognoscenda ei proponerentur præcipua doctrinarum capita, quæ visa essent majori animadversione digna, tum facile sese ipse colligens non dubitaret, quæ ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quæve manifestam pravitatem præ se ferrent, aperte repudiare : atque ita magna cum sui nominis existimatione, tum lætissima bonorum

[1] S. Cælest. *ep.* XIV, *ad populum C. P., n.* 8, *ap. Coust.* — [2] *Ep.* XIII, *ad Nestor. n.* 9. — [3] *Ep.* CLXXVI, *n.* 4; CLXVIII, n. 2, *edit. Maur.* — *L.* IV, *de Bap., Contra Donat.* c. V, et l. V, c. XXVI.

omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione, orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur [1].

§ 10. Nunc vero cum ille oblato beneficio, incommodæ valetudinis nomine, minus utendum sibi esse censuerit; differre jam non possumus quin apostolico Nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alterius ve diœcesis periculum agitur : *universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur* [2]. Undique jam pridem non exspectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremæ Apostolicæ Sedis judicium. Absit ut vox Petri in illa unquam Sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac præsidens præstat quærentibus fidei veritatem [3]. Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa prædicare [4]. Abscidendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum læditur, sed totum corpus Ecclesiæ sauciatur [5]. Atque divina opitulante pietate, providendum ut, amputatis dissensionibus, fides catholica inviolata servetur, et his, qui privata defendunt, ab errore revocatis, Nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur.

§ 11. Implorato itaque cum assiduis nostris, tum et piorum Christi fidelium privatis publicisque precibus, Spiritus sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratæ synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas sive per ambiguitatem insinuatas, suis, ut præfatum est, cuique appositis notis, et censuris damnandas et reprobandas censuimus, prout hac Nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus et reprobamus :

[1] S. Cælest., *epist.* XVI, *n.* 2, *ap. Coust.* — [2] Idem, *epist.* XXI *ad episcopos Galliarum.* — [3] S Chrysol. *ep. ad Eutychem;* S. Cælest. *ep.* XII, *n.* 2. — [4] Idem., *ep.* XI *Cyrillo*, *n.* 3. — [5] S. Leo M. *ep.* XXI *Flaviano C. P.*, *n.* 2.

Sunt autem quæ sequuntur :

*De obscuratione veritatum in Ecclesia.* (Ex. decr. de Grat. § 1.)

I.

§ 12. Propositio, quæ asserit *postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quæ sunt basis fidei, et moralis doctrinæ Jesu Christi,*

*Hæretica.*

---

*De potestate communitati Ecclesiæ attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.* (Epist. Convoc.)

II.

§ 13. Propositio, quæ statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;*

Sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas,

*Hæretica.*

---

*De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.* (Decr. de Fide, § 8.)

III.

§ 14. Insuper quæ statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale;*

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia,

*Hæretica.*

---

*De potestate Ecclesiæ quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.* (Decret. de Fide, §§ 13, 14.)

IV.

§ 15. Propositio, affirmans *abusum fore auctoritatis Ec-*

*clesiæ transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde,* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis;*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores,* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda,

*Hæretica.*

---

V.

Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persuasione :

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi;*

Ex Bened. XIV, in brevi *Ad assiduas*, anni 1755, primatibus, archiepiscopis et episcopis regni Poloniæ.

*Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.*

---

*Jura episcopis præter fas attributa.* (Decr. de Ord. § 25.)

VI.

§ 16. Doctrina synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis;*

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necesssariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et concilia generalia pro universa Ecclesia,

*Schismatica, ad minus erronea,*

VII.

Item in eo quod hortatur episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem*, idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium ;*

Per id quod supponit episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchiæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent,

*Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

---

VIII.

Item quod et sibi persuasum esse ait *jura episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse ; et ubi contigerit horum jurium exercitium gravi de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque exigit majus bonum suæ Ecclesiæ ;*

In eo quod innuit jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ,

*Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

---

*Jus perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinæ.* (Epist. convoc.)

IX.

§ 17. Doctrina, quæ statuit *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis diœcesanis ab*

*episcopo et parochis æqualiter pendere, ac stabiliri debere; ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum,*

*Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianæ a Calvino innovatæ.*

---

*Ex ep. convoc. Ex ep. ad vic. for. Ex orat. ad syd.* § 8. *Ex sess.* 3.

X.

Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

*Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.*

---

*Orat. Synod.* § 8.

XI.

Sententia enuntians veteri majorum instituto ab Apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse *ut decreta aut definitiones aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent, et approbatæ a synodo diœcesana,*

*Falsa, temeria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ Constitutionibus Apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens, et hæresim.*

---

*Calumniæ adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas.* (De Fide, § 12.)

XII.

§ 18. Assertiones synodi complexive acceptæ circa decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas,

quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, et quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

*Falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.*

---

*De pace dicta Clementis IX.* (Ord. synod., § 2, in nota.)

XIII.

§ 19. Propositio relata inter acta synodi, quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII præscripti,

*Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.*

---

Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando,

*Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens, et hæresim.*

---

*De coagmentatione corporis Ecclesiæ.* (Append. n° 28.)

XV.

§ 20. Doctrina, quæ proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite, et fidelibus qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris Dei in spiritu et veritate :*

Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate,

*Hæretica.*

---

*De statu innocentiæ* (De Grat. §§ 4, 7; de Sacr. in gen. § 1; de Pœnit. § 4.)

XVI.

§ 21. Doctrina synodi de statu felicis innocentiæ qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanæ naturæ, non gratuitum Dei beneficium;

*Falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens hæresi Pelagianæ.*

---

*De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.* (De Bapt. § 2.)

XVII.

§ 22. Propositio his verbis enuntiata : *Edocti ab Apostolo spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis*;

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat mortem, quæ in præsenti statu inflicta est velut justa pœna peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,

*Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.*

---

*De conditione hominis in statu naturæ.* (De Grat. § 10.)

XVIII.

§ 23. Doctrina synodi enuntians *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat,* tamen *Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum,* ac primum ut in statu naturæ *homo relictus propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis;*

Doctrina, ut jacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere,

*Suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.*

---

*De conditione hominis sub lege.* (Ibid.)

XIX.

§ 24. Item quæ subjungit hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit,* superadditque *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris;*

Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per observantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit evitare, qui pius est;*

Ex S. Cæsario, serm. 73 in append. S. Augustini, serm. 273, édit. Maur.

Ex S. Aug. de Nat. et Gr. c. 43 de grat. et lib. arb. c. 16, Enar. in Psal. 56, n. 1.

*Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.*

## XX.

Qua parte datur intelligi hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis;*

Ex concil. Araus. II, can. 3.

*Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.*

---

*De gratia illuminante, et excitante.* (De Grat. § 11.)

## XXI.

§ 25. Propositio, quæ asserit *lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali : gratiam in tali casu producere eumdem effectum quem lex producebat; ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti : hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi, inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam Novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei;*

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creat in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. 6, cap. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur;

*Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum eumque renovans.*

---

*De Fide velut prima gratia.* (De Fide, § 1.)

XXII.

§ 26. Propositio, quæ innuit fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem, et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur; et sunt :

Perinde ac prior non esset gratia, illa quæ *ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem*,

Ex S. Aug. de dono persev. c. 16, n. 41.

*Suspecta de hæresi eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.*

---

*De duplici amore.* (De Grat., § 8.)

XXIII.

§ 27. Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati : ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere ;

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur : aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati,

*Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baio damnatum, artic.* 40.

---

§ 12.

XXIV.

Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a na-

tura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum, *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiæ imaginis Dei.*

Ex S. August. de spir. et lit. c. 28.

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quæ non reprehenditur.*

Ex S. August. serm. 349, de charit. edit. Maur.

*Falsa, alias damnata.*

---

*De timore servili.* (De Pœnit., § 3.)

XXV.

§ 28. Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet *duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;*

Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ.

*Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ;* opus esse, *juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam,* ut intret timor primo per quem veniat charitas : timor medicamentum, charitas sanitas.

Ex S. August. in epist. Joan. c. 4, tract. 9, n. 4, 5.
In Joann. evang. tract. 41, n. 10.
Enarratione in psal. 127, n. 7.
Sermone 157, de verbis Apostoli, c. 13.
Sermone 161, de verbis Apostoli, n. 8.
Sermone 249, de charitate, n. 7.

*De pœna decedentium cum solo originali.* (De Bapt. § 3.)

XXVI.

§ 29. Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ et pœnæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulantur Pelagiani,

*Falsa, temeraria, in scolas catholicas injuriosa.*

---

*De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adjuncta conditione.* (De Bapt. § 12.)

XXVII.

§ 30. Deliberatio synodi, qua prætextu adhæsionis ad antiquos canones in casum dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione,

*Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.*

---

*De participatione victimæ in sacrificio Missæ.* (De Euch. § 6.)

XXVIII.

§ 31. Propositio synodi, qua postquam statuit *victimæ participationem esse partem sacrificio essentialem,* subjungit *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa victima, spiritu illam recipiendo;*

Quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid

in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant : et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet,

*Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.*

---

*De ritus consecrationis efficacia.* (De Euch. § 2.)

XXIX.

§ 32. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1° Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2° tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis, seu conversionis totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum concilium definivit, et quæ in solemni fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque ideo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica,

*Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma transsubstantiationis, favens hæreticis.*

---

*De applicatione fructus sacrificii.* (De Euch. § 3.)

XXX.

§ 33. Doctrina synodi, qua dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in*

*liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis* ; dein continuo subjicit : *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet :* unde et consequenter traducit *velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant ;*

Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis quibus applicatur, quam aliis quibusque ; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus; quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum,

Sess. 23, cap. 1 de Reform.
Bened. XIV, constit. *Cum semper oblatus*, § 2.

*Falsa, temereria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

---

*De convenienti ordine in cultu servando.* (De Euch. § 5.)

## XXXI.

§ 34. Propositio synodi enuntians conveniens esse pro divinorum officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique ideo placere morem illum restituere,

*Temeraria, perantiquo, pio multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim latina vigenti et probato mori injuriosa.*

---

*Ibid.*

XXXII.

Item præscriptio vetans ne super altaria sacrarum reliquiarium thecæ floresve apponantur,

*Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.*

---

*Ibid.* § 6.

XXXIII.

Propositio synodi, qua cupere se ostendit ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eum vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus, aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet,

*Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.*

---

*De ordine pœnitentiæ.* (De Pœnit. § 7.)

XXXIV.

§ 35. Declaratio synodi, qua postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili, et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt;*

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta,

*Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.*

---

*De Pœnit.* § 10, *n.* 24.

XXXV.

Propositio his verbis concepta : *Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis, oportet ut sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet præcedere absolutionem ; longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas : si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis ;*

Quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis : quasi ut vera ratio sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem,

*Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.*

---

*De prævia necessaria dispositione pro admittendis pœnitentibus ad reconciliationem.* (De Grat. § 15.)

## XXXVI.

§ 36. Doctrina synodi, qua postquam præmisit: *Quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quæ fit in sacramentis,* subdit, *suppositicias conversiones, quæ fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos pœnitentes ad sacramenta,* quæ signa, ut deinde tradit (§ 18), *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis,* quem insuper *fervorem charitatis* perhibet (*De Pœnit.* § 10) *velut* dispositionem *quæ debet præcedere absolutionem;*

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim pœnitentes ab absolutionis beneficium admittantur,

*Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa...*

---

*De auctoritate absolvendi.* (De Pœnit. § 10, n. 6.)

## XXXVII.

§ 37. Doctrina synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat *post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse ut quisque judicium*

*hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali*, propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio*;

Quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo *conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos*; sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam,

*Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.*

---

*Ibid.* § 11.

XXXVIII.

Item doctrina, qua postquam synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ*, ut ait, *ad pœnitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit, *per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent*;

*Contraria can.* 13 *concilii Nicæni I, Decretali Innocentii I ad Exuperium Tolos., tum et Decretali Cœlestini I ad episcopos Viennens. et Narbonens. provinciæ, redolens pravitatem, quam in ea Decretali sanctus Pontifex exhorret.*

---

*De peccatorum venialium confessione.* (De Pœnit. § 12.)

XXXIX.

§ 38. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones,

*Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sancto conc. Trid. probatæ contraria.*

---

*De indulgentiis.* (De Pœnit. § 16.)

XL.

§ 39. Propositio, asserens *indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti;*

Quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam,

*Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata.*

---

*Ibid.*

XLI.

Item in eo quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum;*

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum,

*Falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata.*

---

*Ibid.*

XLII.

Item in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimerica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos,*

*Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos*

*Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in artic. 2 Lutheri.*

---

*Ibid.*

XLIII.

In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.,

*Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota in Ecclesia frequentatam contumeliosa.*

---

*De reservatione casuum.* (De Pœnit. § 19.)

XLIV.

§ 40. Propositio synodi, asserens *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem,*

*Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.*

---

*Ibid.*

XLV.

Item de spe quam ostendit fore *ut reformato Rituali et ordine pœnitentiæ, nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes;*

Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab episcopo, vel synodo, aboleri posse casus quos Tridentina synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices maximos potuisse

pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare,

*Propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.*

---

*De censuris.* (De Pœnit. §§ 20, 22.)

XLVI.

§ 41. Propositio, asserens *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ;*

Ex S. Aug. ep. 250. Auxilio episcop. 50 tract. in Joann. n. 12.

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans,

*Falsa, perniciosa, in art.* 23 *Lutheri damnata, ad minus erronea.*

---

§§ 21, 23.

XLVII.

Item quæ tradit necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem, præcedere debeat examen personale, atque ideo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu,

*Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.*

---

§ 22.

XLVIII.

Item quæ pronuntiat *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset,*

*Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.*

§ 24.

XLIX.

Item quæ damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia,*

*Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.*

---

*Ibid.*

L.

Item in eo quod insinuat soli episcopo fas non esse uti potestate quam tamen ei defert Tridentinum (sess. 14, c. 1 de Ref.) suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ,

*Jurisdictionis prælatorum Ecclesiæ læsiva.*

---

*De Ordine.* (De Ordine § 4.)

LI.

§ 42. Doctrina synodi, quæ perhibet in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, *ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset : neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.*

---

§ 5.

LII.

Item quæ innuit non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in concilio Chalcedonensi : subjungens (§ 6), quamdiu Ecclesia sese his principiis in

delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum Ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

---

7.

LIII.

Item quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§ 3), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta,

1° Sive quibus ordinationes per saltum vetitæ sunt,

2° Sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii : salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab Apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3° Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares : quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque qui baptismalem innocentiam non conservassent;

*Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. decreta probatam, injuriosa.*

---

§ 23.

LIV.

Item quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis, et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolæ*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ dum secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his quibus spiritualia ministrantur,

*Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.*

---

§ 14.

LV.

Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris ætatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis et aliis officiis velut acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia, non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum Ordinum functiones per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Concil. prov. IV. Mediol.): idque ad mentem Tridentini (sess. 23, c. 17), *ut sanctorum Ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab Apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur,*

*Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandæ, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, et in minorum Ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones, et speciatim per Trid. probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.*

---

§ 18.

LVI.

Doctrina, quæ statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem,

*Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.*

---

*Ibid.* § 22.

LVII.

Præscriptio synodi, quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur : item in eo quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse,

*Pro sua generalitate derogans moderationi Trident. sess.* 7, *c.* 5, *et sess.* 25, *c.* 17.

---

*De sponsalibus et matrimonio.* (Libel. memor. circa sponsalia, etc., § 2.)

LVIII.

§ 43. Propositio, quæ statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium ce-

lebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere ;

Quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ,

*Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.*

---

*De matrim.* §§ 7, 11, 12.

LIX.

Doctrina synodi, asserens *ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia*, quod *jus originarium* præterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum*, subjungens, *supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

*Canonum* 3, 4, 9, 12, *sess.* 24 *concil. Trid. eversiva, hæretica.*

---

*Cit. libel. memor. circa sponsal.* § 10.

LX.

Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in Collectione Justiniani*, tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta*

*civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;*

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata : item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,

*Libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.*

---

*De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus.*

*Et primum de adoranda humanitate Christi.* (De Fide, § 3.)

LXI.

§ 44. Propositio quæ asserit *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ;*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

*Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.*

---

*De orat.* § 10.

LXII.

Doctrina, quæ devotionem erga sacratissimum cor Jesu

rejicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata,

*Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.*

---

*De orat.* § 10, *et Append. n.* 32.

LXIII.

Item in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ;

Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro,

*Captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.*

---

*De ordine præscripto in piis exercitationibus obeundis.*
(De orat. § 14. Append. n. 34.)

LXIV.

§ 45. Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;*

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum, vel externarum actionum præfinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo,

*Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.*

---

*De Pœnit.* § 10.

LXV.

Propositio enuntians *irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt exercitia, vel missiones..... forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura,*

*Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pio salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato injuriosa.*

---

*De modo jungendæ vocis populi cum voce Ecclesiæ in precibus publicis.* (De orat. § 24.)

LXVI.

§ 46. Propositio asserens *fore contra Apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur, vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ;*

Intellecta *de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces* inducendæ,

*Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

---

*De lectione sacræ Scripturæ.* (Ex nota in fine Decr. de Gratia.)

LXVII.

§ 47. Doctrina perhibens a lectione sacrarum Scripturarum *non nisi veram impotentiam excusare*, subjungens ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,

*Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.*

---

*De proscriptis libris in Ecclesia publice legendis* (De orat. § 29.)

LXVIII.

§ 48. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnellii commentationes in Novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera licet proscripta, eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque parœciis populo post reliquas functiones perlegant,

*Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.*

---

*De sacris imaginibus.* (De orat. § 17.)

LXIX.

§ 49. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis,

*Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ exstent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ, ac tuto permittendæ.*

Ex Brevi *Sollicitudini Nostræ*, Bened. XIV, an. 1745.

---

LXX.

Item doctrina et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

*Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiæ ordini injuriosa, quo* ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.

Ex S. Aug. ep. 78 clero, senioribus, et universæ plebi Ecclesiæ Hipponen.

---

## LXXI.

Item quæ vetat ne imagines præsertim B. Virginis ullis titulis distinguantur præterquam denominationibus, quæ sint analogæ mysteriis de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat,

*Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. præsertim Virgini debitæ injuriosa.*

---

## LXXII.

Item quæ velut abusum exstirpari vult morem quo velatæ asservantur certæ imagines,

*Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.*

---

*De Festis.* (Libel. memorial. pro fest. reform. § 3.)

## LXXIII.

§ 50. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem solemnitatum originem duxisse,

*Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.*

*Ibid.* § 8.

LXXIV.

Deliberatio synodo de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis : idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus in quibus, ex pristina Ecclesiæ lege, viget etiamnum id præceptum : tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis ;

Quatenus adstruit episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis jejuniisve celebrandis aut indictum Missæ audiendæ præceptum abrogare,

*Propositio falsa, juris conciliorum generalium et summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.*

---

*De juramentis.* (Libell. memorial. pro juram. reform. § 5.)

LXXV.

§ 51. Doctrina, quæ perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis divini præceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus :* insuper *continuatam patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse :* indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit : statuitque ideo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali;

*Falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris Ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.*

---

*De collationibus ecclesiasticis.* (De collat. ecclesiast. § 1.)

LXXVI.

§ 52. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat, velut eam *quæ viam aperuit invehendis novis et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;*

Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt,

*Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicæ religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.*

---

*Ibid.*

LXXVII.

Item in eo quod subdit, *mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua factum est ut ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse ut oblitterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ oblitterari unquam potuerit, et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis,

*Propositio falsa, temeraria, erronea.*

---

§ 4.

LXXVIII.

Præscriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua posteaquam præmisit, *in quolibet arti-*

*culo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinæ*, subjungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo quod est inutile, aut onerosius, quam libertas filiorum novi fœderis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, ut pote inducens ad superstitionem et materialismum*;

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia quæ spiritu Dei regitur disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum,

*Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.*

---

*Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.* (Orat. ad synod. § 2.)

LXXIX.

§ 53. Assertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit,

*Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogans.*

---

*De tribus regulis fundamenti loco a synodo positis pro reformatione regularium.* (Libell. memorial. pro reform. regularium, § 9.)

LXXX.

§ 54. Regula 1ª quæ statuit universe et indiscrimina-

tim *statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis,*

*Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori, summorumque Pontificum sanctionibus contraria*; quasi monachi, quos morum gravitas et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, *non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ* clericorum officiis *aggregentur.*

Ex S. Siricio, epist. decret. ad Himerium Tarracon, c. 13.

## LXXXI.

Item in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset;

*Scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

## LXXXII.

*Regula 2ª multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem:* item in eo quod præmittit, § 4, *regularium fundatores* qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse quam primariam mali causam magisque dilatare*;

Intellecta de ordinibus et institutis a Sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat,

*Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores, eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.*

## LXXXIII.

Regula 3ª, qua postquam præmisit *parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias,

*Falsa, temeraria, regularibus institutis a Sancta Sede ad religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.*

*De systemate, seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione regularium.* (§ 10.)

## LXXXIV.

§ 55. Art. 1. *De uno duntaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda præ cæteris regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius ordinis merita : sic tamen ut in his, quæ forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.*

2. *Ne compotes fiant ecclesiasticæ hierarchiæ, qui se huic ordini adjunxerint, nec ad sacros Ordines promoveantur præterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tanquam curati, vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra mœnia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem.*

*Quo plus auctæ sunt psalmodiæ orationes, preces, tantumdem perœqua proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque regularium.*

5. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inœqualitas isthœc gravissimas omni tempore lites excitavit, ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit.*

6. *Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiæ consolatio et christianismi ornamentum exstiterunt. Vota castitatis, paupertatis et obedientiæ non admittentur instar communis et stabilis regulæ. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab episcopo postulabit qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedant. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate : ad ipsum pertinebit monachos admittere, et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

8. *Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare caperent : quo casu dispensationi locus fieret in generali regula numero 2° statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duœ in diem Missæ celebrentur, satisque cœteris sacerdotibus esse debeat unam cum communitate concelebrare.*

*Item pro reformatione monialium.* (§ 11.)

*Vota perpetua usque ad annum 40, aut 45, non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendæ : a carnali spiritualitate qua plerœque distinentur, avocandæ : expendendum utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui;*

*Systema vigentis, atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, Constitutionibus*

*Apostolicis et pluriam Conciliorum etiam generalium speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta, conviciis et calumniis.*

*De nationali concilio convocando.* (Libel. memorial. pro convoc. conc. national. § 1.)

---

## LXXXV.

§ 56. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem ecclesiasticæ historiæ sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum nationum controversiæ spectantes ad religionem;

Sic intellecta, ut controversiæ ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ, per nationale concilium irrefragabili judicio finiri valeant: quasi inerrantia in fidei et morum quæstionibus nationali concilio competeret,

*Schismatica, hæretica.*

§ 57. Mandamus igitur omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus et doctrinis sentire, docere, prædicare præsumant, contra quas in hac Nostra Constitutione declaratur, ita ut quicumque illas vel earum aliquam conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

§ 58. Cæterum, per hanc expressam præfatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in eo complures deprehensæ fuerint propositiones et doctrinæ sive illis, quæ supra damnatæ sunt,

affines, sive quæ communis ac probatæ cum doctrinæ et disciplinæ temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos pontifices et Apostolicam sedem animum præ se ferunt.

§ 59. Duo vero speciatim notanda censemus, quæ de augustissimo sanctissimæ Trinitatis mysterio, § 2 Decreti *de Fide*, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quæ facile rudes præsertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum posteaquam rite præmisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianæ doctrinæ institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non tribus personis distinctus : in cujus formulæ commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

§ 60. Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi, seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturæ locis consecrata, voce ipsa Patris e cœlis et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo præscripta, tum et præclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esse quod edoctus ab Augustino Angelicus præceptor [1] vicissim ipse docuit *in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quæ in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino [2], *eo dicitur Verbum quo Filius.*

§ 61. Neque silentio prætereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab Apostolica Sede conventus Gallicani declarationem an. 1682, ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed

[1] S. Th. 1 p. q. 34, art. 2, ad 3. — [2] Aug. de Trinit. l. 7, c. 2.

quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in Decretum *de Fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quæ sparsim per hoc ipsum Decretum tradita sunt horum articulorum publica et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de synodo, quam prædecessoribus Nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanæ Ecclesiæ non levis injuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum Decretum.

§ 62. Quamobrem quæ acta conventus Gallicani mox ut prodierunt, prædecessor noster ven. Innocentius XI per litteras in forma Brevis diei XI aprilis anni MDCLXXXII, post autem expressius Alexander VIII Constit. *Inter multiplices* diei IV augusti anni MDCXC, pro Apostoli sui muneris ratione improbarunt, resciderunt; nulla et irrita declararunt, multo fortius exigit a Nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam ac præsertim post edita prædecessorum Nostrorum decreta, huic Apostolicæ Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam præsenti hac Nostra Constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

§ 63. Ad id genus fraudis pertinet, quod synodus in hoc ipso decreto *de Fide* quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis Facultatis theologi ad Innocentii XI judicium detulerunt, tum et alios duodecim a card. *de Noailles* Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultrajectensi concilio vanum vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis jactare in vulgus, nempe universæ Europæ notissimum esse, eos articulos Romæ severissimo examini subjectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis pontificibus fuisse commendatos : cujus tamen assertæ commendationis non modo nullum exstat authenticum documentum, quin potius

eidem refragantur acta examinis, quæ in Nostræ supremæ inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse judicium.

§ 64. Hisce propterea de causis librum hunc ipsum, cui titulus : *Atti e Decreti del concilio diocesano di Pistoja dell anno MDCCLXXXVI. In Pistoja per Atto Bracali stampatore vescovile. Con approvazione;* sive præmisso, sive quovis alio titulo inscriptum, ubicumque, et quocumque idiomate, quavis editione, aut versione hactenus impressum aut imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in ejus, sive doctrinæ defensionem, tam scripto quam typis forsan jam editos, seu, quod Deus avertat, edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contra facientes ipso facto incurrendæ, prohibemus pariter et interdicimus.

§ 65. Præcipimus insuper venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et pœnas præfatas, aliaque juris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

§ 66. Volumus autem ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§ 67. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam-Mariam-Majorem, anno Incarnationis Dominicæ

millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, quinto kalendas septembris, pontificatus Nostri anno vigesimo.

PH. CARD. PRODATARIUS. R. CARD. BSACHIUS DE HONESTIS.

VISA
DE CURA J. MANASSEI

LOCO † PLUMBI.
F. LAVIZZARIUS.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

*Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, indictione duodecima, die vero trigesima prima augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini PII divina Providentia PAPÆ SEXTI anno vigesimo, supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ et publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranens., et Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Joannem Renzoni Apostolicum Cursorem.*

FELIX CASTELLACCI, Magister Cursorum.

FINIS BULLÆ *Auctorem fidei.*

# INDEX.

## TRACTATUS

### DE JURE, INJURIA ET RESTITUTIONE.


Pag.

I. Definitur justitia. . . . . 1
II. Dividitur justitia. . . . . 2
III. Dividitur tractatus. . . . . 3


### PARS PRIMA.

#### DE JURE ET PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS.


I. Juris definitio et divisio. . . . . 3
II. Hujus partis distributio. . . . . 4
CAP. I. De dominio in genere. . . . . 5
I. De dominii natura. . . . . 5
II. De origine dominii. . . . . 6
III. De legitimitate dominii. . . . . 6
CAP. II. Quodnam sit dominii subjectum, seu quinam dominii sint capaces. . . . . 7
ART. I. De parvulis et amentibus. . . . . 8
PROP. Parvuli et amentes dominii sunt capaces. . . . 8
ART. II. De filiis familias. . . . . 8
I. Quinam sint filii familias. . . . . 8
II. Quænam sint jura minorum et quomodo a lege restringuntur. . . . . 9
III. Quæstiones practicæ. . . . . 9
*Quæritur* 1° utrum filius familias perfectum habeat dominium in bona a parentibus sibi data. . . . . 9
*Quæritur* 2° utrum lucra quæ filius familias in domo paterna facit, ad ipsum vel ad patrem pertineant. . . . 10
Art. III. De uxoribus. . . . . 12
I. De regimine communitatis. . . . . 12
II. De regimine communitatem excludente. . . . . 13
III. De regimine dotali. . . . . 14
*Quæritur* an uxor ex bonis communibus eleemosynas facere possit, aut aliquid pro se vel liberis vel pro aliis personis clam sumere valeat. . . . . 15
ART. IV. De clericis. . . . . 16
I. De bonis patrimonialibus clericorum. . . . . 16

Pag.
II. De bonis quasi patrimonialibus clericorum. . . . . 17
III. De bonis ecclesiasticis clericorum. . . . . 18
*Quæritur* ad quodnam bonorum genus revocanda sunt salaria quæ nunc in Gallia pastoribus et canonicis a gubernio solvuntur. . . . . 21
CAP. III. De objecto dominii. . . . . 22
I. De rebus in quantum objectum dominii fieri possunt. 22
II. De homine, in quantum fieri potest objectum dominii. 24
*Quæritur* 1° utrum servis fugere liceat. . . . . 28
*Quæritur* 2° utrum commercium *Nigrorum* sit licitum. 28
CAP. IV. De modis quibus dominium acquiri potest. . . . 29
ART. I. De occupatione. . . . . 30
I. De occupatione quatenus in genere dominium legitimum introducit. . . . . 30
II. De occupatione quorumdam animalium. . . . . 30
III. De occupatione fodinarum. . . . . 33
IV. De lignatione et pastione. . . . . 34
ART. II. De inventione. . . . . 36
§ I. De thesauris. . . . . 36
I. Ad quem pertineat thesaurus. . . . . 36
II. Quæstiones practicæ. *Quæritur* 1° an homo qui pretio communi emit agrum suspicans thesaurum in eo esse reconditum, totum sibi retinere possit, si reipsa illum inveniat. . . . . 38
*Quæritur* 2° an opifex qui in angulo parietis, vel in arca veteri, aut in veste summam pecuniæ invenit, illam aut illius partem retinere valeat. . . . . 38
§ II. De rebus amissis. . . . . 38
I. De rebus amissis et inventis juris naturalis et positivi principia. . . . . 38
II. Quæstio practica. *Quæritur* quid sit agendum, si postquam res ab inventore fuit consumpta, vel in pios usus impensa, dominus compareat. . . . . 41
§ III. De bonis derelictis et vacantibus. . . . . 42
ART. III. De accessione. . . . . 43
I. De accessione per productionem. . . . . 43
II. De accessione per specificationem. . . . . 44
III. De accessione per adjunctionem. . . . . 44
ART. IV. De præscriptione. . . . . 45
Definitio et motiva præscriptionis. . . . . 45
§ I. De legitimitate præscriptionis. . . . . 46
PROP. Præscriptio, servatis conditionibus debitis, legitimus est modus quo quis potest in conscientia dominium alicujus rei acquirere, vel ab aliqua obligatione liberari. 47
§ II. De conditionibus requisitis ad legitime præscribendum. 48
I. Quot requirantur conditiones ad præscribendum. . . 48
II. An et qualis bona fides requiratur ad præscribendum. 48
PROP. Bona fides interna et realis requiritur ad præscribendum. . . . . 49
III. De causis bonæ fidei obstantibus. . . . . 49
IV. De conditionibus lege determinatis ut præscriptio valeat. . . . . 53
V. Quæstiones practicæ. . . . . 57

Pag.

*Quæritur* 1° utrum et quomodo possit quis præscriptioni renuntiare. . . . . 57
*Quæritur* 2° utrum census annui olim ecclesiis aut privatis debiti, qui ab initio perturbationis Gallicanæ non fuerunt soluti, nec hodie juridice repetuntur, in foro conscientiæ solvendi sint, an vero virtute præscriptionis maneant exstincti, saltem quoad præteritos redditus vocatos *arrérages*. . . . . 57
CAP. V. De modificationibus dominii. . . . . 60
ART. I. De restrictione dominii circa dispositionem. . . 60
I. De obligatione alienandi. . . . . 60
II. De prohibitione alienandi. . . . . 61
ART. II. De restrictionibus dominii circa fruitionem et exclusionem. . . . . 61
§ I. De usufructu. . . . . 61
I. De juribus ad usufructuarium pertinentibus. . . . . 61
II. De obligationibus usufructuario impositis. . . . . 62
§ II. De usu. . . . . 63
§ III. De servitute. . . . . 63
I. De definitione et diversis speciebus servitutis. . . . 63
II. De cessatione servitutum. . . . . 64

## PARS SECUNDA.

### DE INJURIA ET RESTITUTIONE IN GENERE.

I. Injuriæ definitio et explicatio. . . . . 65
II. Definitur restitutio. . . . . 66
CAP. I. Quænam sit obligatio restituendi et unde oriatur. . . 67
ART. I. De obligatione restituendi. . . . . 67
I. De existentia obligationis restituendi. . . . . 67
PROP. Restitutio in re vel in voto absolute necessaria est ad salutem. . . . . 68
II. De natura obligationis restituendi. . . . . 69
*Quæritur* utrum præceptum restituendi sit affirmativum vel negativum. . . . . 69
ART. II. De radicibus restitutionis. . . . . 70
I. Quid et quot sint radices restitutionis. . . . . 70
II. Quæritur an ex sola justitia commutativa obligatio restituendi oriatur. . . . . 70
III. Quæritur utrum obligatio restituendi semper supponat culpam. . . . . 71
CAP. II. Quinam ad restitutionem teneantur, et quid ac quantum restituere debeant. . . . . 73
ART. I. De possessore rei alienæ. . . . . 73
§ I. De possessore bonæ fidei. . . . . 74
I. Jura et obligationes possessoris bonæ fidei quoad rem. . . . . 74
*Quæritur* 1° quid possessor bonæ fidei agere debeat si rem non habeat quando illius dominum agnoscit. . . . 74
*Quæritur* 2° utrum possessor bonæ fidei, qui rem alienam dono accepit, vel mediocri pretio comparavit, et eam

Pag.

summo vendidit pretio, auctarium pretii domino reddere teneatur. . . . . 76

*Quæritur* 3° utrum qui rem furtivam in bona fide emit, possit, ubi advertit illam fuisse ablatam, eam furi remittere ut pecuniam suam recuperet, an vero eam domino reddere teneatur. . . . . 76

*Quæritur* 4° an qui rem furtivam domino reddit, exigere possit ut sibi reddatur pretium solutum. . . . . 77

II. Jura et obligationes possessoris bonæ fidei quoad fructus. — *Quæritur* an possessor bonæ fidei fructus quos, durante bona fide, ex re aliena percepit, restituere teneatur. . 78

§ II. De possessore malæ fidei. . . . . 79

I. Obligationes et jura possessoris malæ fidei quoad rem. 79

*Quæritur* 1° an possessor malæ fidei restituere teneatur valorem rei furatæ, quæ apud ipsum periit, et similiter apud dominum perisset. . . . . 79

*Quæritur* 2° ad quid teneatur fur si res varii fuit valoris pro vario tempore quo eam possedit, v. g., pullus crevit, factus est equus generosus, postea decrevit et factus est equus contemnendus; frumentum cujus pretium crevit et deinde decrevit, etc. . . . . 81

II. Obligationes et jura possessoris malæ fidei quoad fructus et expensas. . . . . 82

*Quæritur* utrum possessor malæ fidei deducere et retinere possit expensas quas in re conservanda aut melioranda fecit. . . . . 83

III. De prædis militum quæstio subintroducta: *Quæritur* utrum milites retinere possint bona quæ in bello obtinuerunt, vel in urbis depræ̃datione diripuerunt. . . . 84

§ III. De possessore dubiæ fidei. . . . . 86

I. De dubio cum possessione incipiente. . . . . 87

II. De dubio post possessionem incipiente. . . . . 87

Art. II. De injusto damnificatore. . . . . 88

§ I. De his qui immediate damnum alteri inferunt. . . 88

I. De conditionibus requisitis ut damnificatori exsurgat obligatio restituendi. . . . . 88

II. Ponuntur et solvuntur dubia, quæ ad supra dictarum conditionum adimpletionem spectant. . . . . 90

*Quæritur* 1° utrum artifices et professionem quamdam exercentes, ut cæmentarii, lignarii, advocati, medici, chirurgi, notarii, etc., reparare teneantur damnum quod ex eorum negligentia vel imperitia sequitur . . . . 90

*Quæritur* 2° ad quid teneantur conscripti desertores (*conscrits déserteurs*). . . . . 91

*Quæritur* 3° ad quid teneantur juvenes qui ope aliena gratuitam acceperunt educationem sub spe quod futuri essent clerici, si postea hunc statum sponte deserant aut illo seipsos indignos culpa sua efficiant. . . . . 93

*Quæritur* 4° ad quid teneantur qui, tempore perturbationis publicæ in Gallia (*temps de la Révolution*), debita ex chartis numinariis (*papier monnaie*) solverunt, a die 1° januarii 1791 usque ad mensem *thermidor an* IV (1 julii 1796). . . . . 94

Pag.

*Quæritur* 5° utrum qui per levia furta successive commissa grave intulit damnum proximo, illud sub peccato mortali resarcire teneatur. . . . . 96
*Quæritur* 6° quid sit faciendum in dubio an actio fuerit damnificativa vel non. . . . . 97
*Quæritur* 7° quænam sit obligatio reparandi damnum injuste illatum per culpam theologicam, sed venialem. . 99
